Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Adam Rechenberg

Adami Rechenbergi[i] Summarium Historiæ Ecclesiasticæ : In Usum Studiosæ Juventutis Adornatum, Cum Privilegio S. Regiæ Maj. Et Elector. Saxoniæ

Editio Sexta, Lipsiae: Apud Joh. Herbord Klosium, 1714

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866669213

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Fr. Fud. 774
80 p.
Fud.
56. 6. 13.
1 Exemplar
I. f. 3423.
1726. Berol.
0-4.-3. I. F. Stumph.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866669213/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn866669213/phys_0004
DFG

S. F. W.

ADAMI RECHENBERGI SUMMARIUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

IN USUM

STUDIOSÆ JUVENTUTIS

ADORNATUM,

CUM

PRIVILEGIO S. REGIÆ MAJ. ET ELECTOR. SAXONIÆ.



EDITIO SEXTA.

LIPSIÆ,

APUD JOH. HERBORD KLOSIUM,
BIBLIOPOLAM.

ANNO CHRISTI 1714.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866669213/phys_0005
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn866669213/phys_0006
DFG

LECTORI BENEVOLO S. O.

ETsi hac præfandi opera supersedere poteram; cum libri hujus inscriptio, argumentum scopumque pertractationis meæ, inspicienti illum, me non monente, statim prodat: Nolui tamen morem vulgo receptum migrare; ut instituti mei ratio pateret magis. Plures nempe anni efluxere, quod semel iterumque Viris-Juvenibus optimis, qui nunc Ecclesiæ aut scholis inserviunt, summam historiæ ecclesiasticæ exposui. Hujus cognoscendæ gratia cum anno proxime elapso, alii itidem meam exposcerent operam, utique & his, pro muneris mihi demandati ratione, gratificandum duxi. Enimvero experientia jam edoctus animadverteram, multum temporis excerpta incalamum dictando consumi quod majori cum auditorum fructu, dilucidationi alicujus libelli historici posset impendi. Sed cum de tali, & huic quidem instituto idoneo dispicerem, deprehendi inter multos celeberrimorum virorum libros, qui

in hoc ſtudiorum genere, alias utiles proſtant, non facile haberi poſſe, qui & auditorum & meo propoſito hic commode inſerviret. Quia illi omnes aut nimium breves, aut nimis prolixi videbantur. Ex illis commodum, quod intendebam, auditoribus meis promittere non poteram; hi vero prolixitate ſua, auditores aliis bonarnm litterarum ſtudiis occupatos abſterrebant. Itaque tandem mihi in mentem venit, è re Studioſæ Juventutis fore, ſi Breviarum aut *Summarium* hujus hiſtoriæ novum adornarem, eoque multa paucis complecterer, ut in prælectionibus deinde uberior diſſerendi materia ſuppeteret. Atque hoc conſilium meum cum ipſis auditoribus non diſplicere, intelligerem; telam hanc pertexere cœpi, cœptamque perſequi haut ante deſtiti, quam DEO benedicente, ad finem perduxiſſem. Ac licet primum hunc libellum privatis uſibus tantum deſtinaſſem; paſſus tamen ſum, ut Bibliopolæ, qui me rogabat, operæ, in plurium veniret manus, forteque aliis etiam, qui me non auſcultarunt, inſerviret. Ubi cum in hujus hiſtoriæ tyronum gratiam, eum ſolum ſcripſerim; non erit, ut ſpero, cur polyhiſto-

rum

rum hac in parte immites forte censuras metuam. Novi enim plura, quam hoc *Summario* continentur, ad plenam historiam requiri. Nec ignoro etiam, qua contextus serie, res alias diffusæ, in historia justa coaptari atque in conserti operis formam redigi debeant. At quis hæc in compendio requirat, quod tironibus tantum doctrinæ causa proponitur? Quare malui ego hac in parte iis, qui brevitatem amant, prodesse, quam doctos aut curiosos delectare. Res S. Theologiæ cultoribus scitu imprimis necessarias, destinctim per classes velut digessi; parcius illa attingendo, quæ ab autoribus aliis fusius in peculiaribus commentariis tradita prostant, aut etiam à tironibus ignorari possint. V. Testamenti historiam juxta temporum intervalla, per indicem tantum designavi. At quæ Novi Fœderis est, paulo uberius pertractavi. Annorum seriem secundum Rom. Coss. Imperatorum, vel etiam Pontificum numerum, aut vitas, ob rerum ordinem constitutum, observare mihi non licuit. Nec id adeo etiam necessarium videbatur; cum multæ tabulæ chronologicæ, ut Funccii, Chytræi, Calvisii, Petavii, Helvici, & aliæ extent, quibus hac

in parte quis simul uti possit & debeat. In ultima tamen *periodo*, quæ nobis *quinta* est, ac superioris & nostri jam decurrentis ævi historiam continet, annorum fere seriem attendi, cum, ut rerum sibi invicem succedentium connexio, tum ut sectarum, ac tot tantarumqve circa Sacra, post reformationem nostri Lutheri, enatarum controversiarum origines, Juvenibus innotescerent, & apud autores à me nominatos à discendi cupidis evolvi possent. Insperst etiam sub finem cujusqve seculi *memorabilia* quædam, subjungte, ut, vocant, *judicio pragmatico*. In universa tamen hac pertractatione id operam dedi, ne limites historiæ transgressus, ipsa controversa dogmata excuterem, aut de iis mihi judicium temere arrogarem. Aliud enim est rem enarrare, aliud illam judicando determinare. Sicubi vero in tanta rerum & scriptorum copia hallucinatus sum, corrigi aut modeste moneri me, non iniqve feram: nec paucis offendar maculis, qvas aut incuria fudit, aut humana parvum cavit natura. DEUS, Ecclesiæ in hac rerum tempestate, multis procellis agitatæ, halcionia reddat, eamqve servet ad illum usqve diem, qvi hoc universum hauriet & tempus abolebit. Vale, L. B. &, si mereor, fave!

IN

INDEX.

Patrum & Scriptorum ecclesiasticorum in Historia singulorum seculorum recensitorum.

A.

Abelardus (Petr.) pag. 340
Adamus Bremens. 305
Ado Vien. 239
Ægidius Roman. 377
Æneas Sylv. 479
Agobardus 235
Amonius 239
Albertus M. 379
Albertus de Argen. 426
- Stadens. 383
Albinus s. Alcuinus (Fl.) 209
Alexander de Hales 377
Algerus 319
Aligerius 426
Alvarus 239
Alphonsus Tostatus 468
Amularius 239
Ambrosius 110. 739. 765
Amphilochius 109
Amsdorfius 534
Anastasius Sinait. 172
- - Abb. 238
Andras Damasc. *Ep.* 191

Angelus de Clavasio 473
AnnaComnena 337
Annius (Joan.) Viterb. 480
Anshelmus 303
Antonius Eremita Ægypt. 103
Antonius de Padua 377
- Campanus (Joh.) 482
- Florent. 473
Appollinarius Sen. 105
Arator Poet. 170
Archidenus Basil. 338
Archyropulus (Joh.) 484
Armandus de Bellovisu 381
Arminius (Jac.) 646
Arnobius Afer 100
Arnobius Junior 143
Arnoldus (Abb. Lub.) 382
Athanasius 102. 735 758
Athenagoras 49
Aventinus 526
Augustinus *Aurel.* 113. 740. 767
Aureolus (Petr.) 420

B.

Balduinus (Frid.) 646
Balsamon (Theod.) 338
BaptistaMant. 526
Barlaam 416
Baronius Card. 646
Basilius M. 108. 735. 762
- Seleuc. Ep. 146
- Maced. Imp. 241
Beccus s. Veccus 376

Beda Venerab. 193. 205
Beka (Joh.) 426
Bellarminus (Rob.) 646
Benedictus (Umb.) 169
Benno 305
Berengarius 301
Bernhardus 339
Bertramus ſ. Ratramus 236
Beſſarion Trapez. 475
Bidenbachius (Fel.) 646
Biel (Gabr.) 468
Blondus Flav. 477
Bonaventura 397
Bonfinius (Anton.) 480
Bonifacius (V Vineft.) 28.
Bradvvardinus Th. 424
Brentius (Joh.) 534
Brigitta 424
Bruno 306
Bucerus (Mart.) 534
Budæus 526
Bugenhagius 534
Burchardus 272

C.

Calixtus (Georg.) 688
Calovius (Abrah.) 687
Cananus (Jo.) 417
Cantacuzenus (Jo.) 467
Capiſtranus (Jo.) 467
Capaio 616
Capreolus (Jo.) 464
Caſaubonus (Iſ.) 646

Cassianus (Joh.) 141
Cassiodorus (Marc. Aurel.) 169
Catharina Senens. 425
Cedrenus (Georg.) 299
Cerularius (Mich.) 298
Charlierius (Jo.) 463
Chemnitius (M.) 603
Chrysolaras Demetr. 483
Chrysostomus (Jo.) 113. 735. 736
Cinnamus (Jo.) 338
Clemens Alexandr. 51
Clichtoveus (Jac.) 526
Cnophius 534
Cochlæus (Jo.) 535
Codinus Curopalata 418
Constantinus Porphyrog. Imp. 268
Cranzius (Abb.) 526
Crocius (Lud.) 646
Cruciger 534
Cyprianus (Thasci) 77. 739. 755
Cyrillus Hierosolym. 104. 735
- - Alexandrin. 144. 735. 773

D.

Damascenus (Jo.) 211
Damascus 107
Damiani (Petr.) 303
Dannhauerus (Conrad.) 687
Dionysius (Alex.) 78
(Areopag.) 103. 745
(Exiguus) 169
(Carthus.) 469
Dorschæus (Jo. Georg.) 687

Du-

Ducas 484
Durandus a S. Port. 420
Durantes (Gvil.) 379

E.

Eberhardus 426
Eccius (Jo.) 535
Edmundus (Virgo) 378
Eginhardus 535
Eligius Lemovic. 192
Emſerus (Hier.) 525
Ephræm Syrus 108
Epiphanius 107. 735. 767
Eraſm. Rot. 526
Erigena (Jo.) 237
Evagrius Archidiac. Conſtant. 111
Evagrius Scholaſt. 173
Eugenius (M.) 483
Eugenius (Joh.) 483
Eulogius Patriarch. Alex. 173
Eulogius Martyr 238
Euſebius Pamph. 101. 735. 736. 761
Euſtathius 102
Euſtrathius 336
Futychius 269

F.

Faber (Jac.) 535
Facundus Herm. 170
Fagius 534
Flacius (Matt.) 558
Forſterus (Jo.) 646
Fortunatus Venant. 170
Freculfus 235
Fredegarius (Scholaſt.) 210

Froiſſardus (Joh.) 478
Fulbertus 300
Fulgentius Afer 169
Fulgentius Gottoſch. 137

G.

Gagvinus (R.) 481
Galatinus (Petr.) 526
Gelaſius I. 142
Gelaſius Cizic. 146
Gennadius (Maſſil.) 142
(Georg, Schol.) 458
Georgius Trapez. 484
Georgius (Monach.) 211
(Metrop.) 337
Acropolit. 375
Metoch. 376
Pachymer. 376
de Valentia 647
Gerhardus (Jo.) 687
Gerlachius (Steph.) 646
Geſnerus (Salom.) 645
Gervaſius Tilber. 382
Glycas (Mich.) 337
Gobelinus Perſona 480
Godofridus Viterb. 344
Gomarus (Fr.) 646
Gottoſchalcus (Fulgent.) 237
Gratianus 342
Graverus (Albert.) 687
Gregorius (Thaum.) 78
(Nyſſenus) 108. 735
(Nazianz.) 109. 738. 735. 764

Gregorius (Florent.) 170
(Magnus) 171
VII. 306
Gretserus 647
Grosthead. (Rob.) 378
Grynæus 617
Guilielmus de Seliniaco 376
Guilielmus Paris. 377
Guilielmus Tyrius 345

H.

Haffenrefferus, Matth. 646
Hanapuus (Nic.) 378
Harmenopulus Constant. 338
Haymo 238
Hedius (Casp.) 534
Hegesippus 50. 110
Heilbrunneri (Jac. & Phil.) 646
Helmoldus 345
Henricus de Hasia 473
Hermannus Contractus 301
Hermolaus Barb. 476
Hesychius 190
Hieronymus III. 739. 766
Hieromachus (Matth.) 417
Hilarius 104. 759
Hilario 484
Hildebrandus (Gr. VII.) 360
Hildebertus de Lavard. 307
Hincmarus 237
Hippolytus 76
Hoe. (Matth.) 687
Hœpfnerus (Hem.) 646. 487

Hochstratus 535
Hugo de S. Victore 142
Etherianus 343
de S. Caro 378
Hülsemannus (Io.) 687
Humbertus Cardinal. 302
Hungerus 647
Hunnius, Ægid. 645
Hun. Nicol. 687
Hussus (Io.) 465
Hutterus (Leonh.) 645

I.

Iacobus de Voragine 380
de Vitriato 388
Ignatius 47. 748
Ildefonsus 192
Innocentius III. 380
IV. & V. 380
Ioachimus Abb. Flor. 343
Iohannes Presb. 112
Scholast. 173
Cepp. Iejunat. 173
Philoponus 190
Malala 190
Iohannes Moschus 191
Erigena 237
Saresber 344
de S. Ægidio 377
de Parisiis 383
Capistr. 467
de Turrecremata 469
Iornandes s. Iordanus 171

Josephus Briennius 482
Irenæus 50. 735. 749
Isidorus Pelusiota 144
Junior 171
Isychius 190
Julius Afr. 76
Firmianus Matern. 103
Junius (Fr.) 646
Justinus Martyr 48. 735. 736
Justinianus Laurent. 466
Ivo Carnot 305

K.

Kalteisen (Henr.) 465
Keckermannus (Barthol.) 646

L.

Lactantius Firmian. 101. 757
Lambertus Schaffn. 304
Lanfrancus 302
Langius 526
Latomus (Jac.) ibid.
Leontius Byzant. 173
Liberatus 170
Lichtenau Conrad.) 382
Longolius 526
Lucifer (Calarit.) 104
Ludgerus 239
Luitbrandus (Ital.) 272
Lupoldus German. 426
Lutherus (M.) 526
Lyranus (Nic.) 419
Lyserus (Polyc.) 645. 687

M.

M.

Macatius (Sen.) 110
(Macres) 483
Major (Georg.) 534
Mantuanus 526
Marbachius, Phil. 646
Marius Mercator 143
Marian. Scotus 304
Martinus Polonus 383
Marsilius Patavin. 422
- Ficinus 272
Matthæus Marescholcus de Pappenheim 426
Matthæus Paris. 383
Maximus (Taurin.) 144
(Constantin.) 192
Mayronius Fr. 419
Meffrethus, Pr. 476
Melanchthon (Phil.) 534
Melito Asinus 49
Menzerus (Balth.) 646
Methodius 79
Methodius (Homolog.) 241
Micrologus (Joh.) 306
Minutius Felix 76
Moerlinus Joach. 558
Morus (Thomas) 526
Moschus vel Eviratus 191
Mosellanus, (Petr.) 526
Moses Barceph. 273
Mylius (Georg.) 645

N.

Nauclerus (Joh.) 481

Naucratius 134
Nemesius 111
Netterus Th. 487
Nicephorus Patriarch. Const. 234
Nicephorus Blemmida 375
Calistus 416
Gregoras 417
Nicetas (David Paphl.) 240
Pectoratus 298
Serron. 299
Philosoph. 337
Acominadus 375
Nicolai (Phil.) 645
Nicolaus de Cusa 464
Nicon Armenus, 269
Nidhardus 239
Nilus Constantin. 147
Archimandr. 297
Metropolita Rh. 417
Nonnus 146
Notgerus s. Notkerus Leod. 273
Notgerus 239

O.

Ocham s. Occam Gv. 521
Odo Francus 271
Odo Camerac. 339
Oecolampadius (Joh.) 534
Oecumenius 270
Optatus Milevitanus 107
Origenes 77. 735. 736. 753
Orosius (Paul.) 140
Osiander (Andr.) 534

Otto Frising. 345

P.

Pachomius 103
Pachymeres 376
Palamas Greg. 417
Papias 48
Pappenheim Matth. Marefch. 462
Pappus (Jo.) 646
Pareus (David) 646
Paschasius Rathb. 136
Paulus 474
Pectoratus (Nic.) 299
Peraldus Gv. 379
Perezius 477
Petrarcha (Fr.) 425
Petrus Siculus 239
Venerab. 340
Lombardus 341
Comestor. 341
Blesensis 324
de Monte 382
de Vineis 382
de Alliaco 462
de Natal. 480
Dusburg. 426
Pfeffinger (Jo.) 558
Phædadius 105
Philastrius 112
Philostorchius (Cappad.) 145
Photius 240
Phranza. G. 483
Picus, Jo. 417

Pirckhaimerus 527
Piscator (Jo.) 646
Pisides Georg, 191
Planudes (Max.) 418
Platina (Baptist.) 479
Pletho (G. G.) 483
Poggius Brandolinus 478
Polanus (Armand,) 646
Polycarpus 47
Pontius Paulinus 112
Prierias (Sylv.) 535
Primasius 170
Procopius Gazæus 172
Procopius Palæst. 172
Prosper Aquitan. 142
Prudentius 105
Psellus (Mich.) 241

R.

Radulphus (Glaver) 302
(Ardens) 339
Rathbertus (Pasch.) 236
Ratramus 236
Raymundus de Bennaforti 377
Martini 380
de Sabunde 477
Regius (Urb.) 558
Reichlinus (Capnio) 526
Reinerus Sachonus 378
Remigius (Rhem.) 143
Lugdun. 271
Rhaterius 237
Rhegino 239

Rhe-

Rhenanus (B.) 526
Richardus de S. Victore 343
de Medlavilla 387
Robertus de Sorbonna 278
Rodericus Ximenius 382
Rolfinck f. Rollvvinck 479
Rungius (Dav.) 945
Rupertus (Tuit. Abb.) 339
Ruysbrochius (Joh.) 423

S.

Sabellicus (M. A.) 487
Sadeel. (Matth. Anton.) 646
Saidus 269. 270
Salvianus Presb. 141
Sanudo Martin. 426
Sarpius (Paul.) 603
Savanorola (Hier.) 470
Saxo Grammat. 383
Scholarius (Georg.) 585
Schilterus (Zach.) 646
Senepfius (Erh.) 558
Scotus (Duns) 418
Scultetus (Abrah.) 664
Scylitzes (Joh.) 299
Sedulius (Presb.) 140
Serron (Nic.) 299
Severus (Sulpitius) 140
Patriarch. Constant. 172
Severinus (A. M. T.) 171
Siguropulus (Sylv.) 484
Sigebertus (Gembl.) 344
Simeon (Metaphr.) 240

Simeon (Junior) 298
Arhiep. Theſſ. 482
Stylites 172
Smaragdus 271
Socrates 145
Sophronius (Damaſc.) 161
Spalatinus (Georg) 534
Speratus Paul. 534
Svares 547
Suarius ibidem
Suavis (Petr.) 603
Suidas 300
Suffridus 426
Suſo Henr. I. Amand. 381
Syneſius 145

T.

Tannerus 647
Tarafius 211
Tatianus 49
Taulerus (Joh.) 423
Tertullianus 51. 739. 572
Theodoretus 145. 735. 738
Theodoricus a Niem. 478
Theodorus (Lector) 172
Studites 234
Theodoretus Abucara 241
Laſcaris Jun. 375
Methochita 416
Vitus (Dieterius) 534
Theodolphus (Ital.) 210. & 239
Theophanes (Iſaac) 211
Theophylactus Simocatta 190

Theophylactus Archiep. Bulgatorum 298
Theophilus Antioch. 50
Thomas Aquin. 378
de Kempis 470
de Vio 526
Thummius (Theod.) 646
Thoranius (Ruff.) 112
Toſſanus (Paul.) 646
Trithemius (Jo.) 526
U.
Uphilas 106
Uſuardus 235
Vaſques (Gabr.) 647
Veccus (Beccus) 376
Videlius (Nic.) 646
Victor Epiſc. Utic. 141
- Epiſc. Cap. 170
Vicentius (Lerinenſ.) 141
- Bellov. 383
Vives (Jo. Lud.) 526
VV.
VValcfridus Strabo 230
VVarnefridus (Paul.) 209
VVeller (Hier.) 558
VVellerus (Jac.) 687
VVeſſelius 476
VViclefus 423
VVilhelmus Malmesb. 344
VVillibaldus 209
VVimphelingus (Jac.) 526
VVimpina (Conr.) 535
VVinefridus 208
VVinckelmannus (Joh.) 646
VVitikindus 272
X.
Ximenius (Rod.) 382
Ximenius Fr. 526
Xiphilinus (Joh.) 299
Z.
Zabarella Fr. 465
Zingabenus (Euth.) 337
Zonaras (Jo.) 337
Zvvinglius 534

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SUMMARIUM.

PARS I.

Hist. Eccles. V. Testamenti delineationem chronologicam exhibens.

§. 1.

Historia Ecclesiastica est notitia rerum in Ecclesia, inde ab orbe condito, ad nostram usque ætatem gestarum, quarum memoriam conservari utile maxime in Ecclesia & vita Christiana est.

§. 2.

Hæc, ob duas temporum magnas *eras* seu *epochas*, in historiam *Veteris & Novi Testamenti* dividitur.

§. 3.

Historia V. Test. quæ a mundo condito inchoata ad nativitatem Christi extenditur, maximam partem ex libris V. T.

A pe-

petenda est: in subsidium tamen historia profana vocari debet. (Confer cum *Tornielli & Saliani Annalibus*, *Jacobi Usserii Annales V. & N. Testamenti*, *Chronicon Edwardi Simsonii*, *Rabinsonii Annal. & Christiani Schottani Bibliothecam Histor. Sacr. V. Testamenti.*)

§. 4.

Quatuor, hæc historia, millia annorum circiter complectitur, Ideo ob rerum maximarum copiam & conversiones, in novas *periodos* seu temporum intervalla, à Chronologis varie distinguitur; ut series historiæ constet, memoriæque consulatur discentium.

§. 5,

Nobis *Thomæ Lydiati, Angli in Canon. Chronolog.* divisionem in IX. *Epochas* sequi placet. Prima est, ab Orbe condito, ad diluvium universale, annorum 1656. Ad hanc spectat historia antediluviana: in qua Ecclesia ab Adamo plantata, à Sethitis & Patriarchis, (qui *Gen. V.* memorantur,) inter Cainitas improbos, ad Noachum usque conservata memoratur. Quo tempore simplex DEI cultus in sacrificiis

à

à DEO mandatis, futuræ quippe passionis Christi typis, in invocatione & prædicatione divini Nominis vitaque sancta consistebat. v. *Gen. IV, 3. 4. & 26. cap. V, 22. & 24. & c. VI, 9.* Præcipuum Religionis caput in Protevangelio *Genes. III, 15.* propositum Theologi passim explicant.

§. 5.

Epocha II. à Diluvio ad natalem Isaaci, est annorum 451. Huc pertinet cultus divini post diluvium instauratio, *Genes. VIII, 20. 21.* Præcepta Noachica, quæ *Seldenus de J. N. & G. l. l. c. 10.* recitat: Repetita divina benedictio, *Genes. IX, 2. seqq.* confusio linguarum, *Gen. XI, 7.* dispersio gentium & earum idololatria, Abrahami evocatio è domo patria, *Gen. XII. & cap. XIII, 14. 15. 16. Rom. IV, 18. 20. Ebr. XI, 8.* qui collapsum divini nominis cultum restauravit, confer *R. Maimon. More Nev. Part. II. c. 39.* Nam DEUS novum cum ipso fœdus iniit, cujus monumentum & Sacramentum ipse instituit circumcisionem, *Genes. XVII, 10. seqq.* qua nota quoque Abrahami posteritas, é qua Salvator proventurus erat, ab aliis populis

distinguebatur, simul salus & justitia per Salvatorem acquirenda obsignabantur, *Rom. IV, 11.*

§. 7.

Epocha III. a natali Isaaci, Gen. XXI. ad exitum Israelitarum ex Ægypto, est annorum 400.. In hanc incidit historia Patriarcharum, quæ à *cap. XXI.* usque ad finem *Genes.* memoratur. Hoc tempore Religio simplex, absque multarum ceremoniarum apparatu sincera viguit. Abrahamus enim enixum pietatis studium fovens, *Gen. XVII, 1. 7. XIIX, 19.* id in sua familia transplantavit ad posteros, vid. *Philonem de Abrahamo p. 350. Euseb. de Præparat, Evang. l. IX. c. 4.*

§. 8.

Epocha IV. ab exitu Israelitarum ex Ægypto ad templum a Salomone exstructum, est annorum 479. Huc spectant Mosis vocatio, vita & res gestæ, Israelitarum exitus ex Ægypto, legum divinarum latio, cultus Leviticus, fœdus peculiare Mose sequestre, cum populo Israelitico initum, symbolum ejus fœderis seu sacramentum institutum, *Agnus*

gnus Paschalis, occupatio Palæstinæ, Res Judicum, Theocratia in populo Israelitico ante institutos Reges, *1. Sam. VIII.* Quo temporis intervallo Religio Ebræorum, multis ritibus instructa, Reique publicæ innexa fuit: ut gens ad idololatriam prona, facilius in obsequio contineretur, typosque simul beneficiorum Salvatoris haberet. Ideo statim atque Israelitæ ad commentitios cultus sese converterent, DEUS quoque partem publicæ libertatis per hostes vicinos delibari passus est, id quod è libro Judicum & Regum multis exemplis constat.

§. 9.

Epocha V. à fundato templo Salomonis, ad Monarchiam Nebucadnezaris absolutam, annis 17. ante eversionem Templi, annos 413. complectitur. In hanc incidit divisio regni Ebræorum in Israeliticum & Judaicum, *1. Reg. XII.* ætas Prophetarum, qui omnes de Messia ejusque officio vaticinati sunt, ac idololatriam populi subinde detestantes, utriusque regni interitum pronunciarunt. Qui evenit, cum decem tribus in remotas ori-

entis regiones avectæ essent, 2. *Regum XVII.* ib. *XVIII.* & postea Judæos quoque in captivitatem Babylonicam abduxisset Nebucadnezar Assyriorum Monarcha, 1. *Reg. XXV.* 1. *Chronic. XXXVI.* & *Jer. XLIII, 12.* His temporibus in utroque regno idololatria ita invaluerat, ut Prophetæ illi extirpandæ impares essent; etsi pœnas divinas magno zelo denunciarent imminentes.

§. 10

Epocha VI. ab eversione Templi ad Monarchiam Cyri Babylonicam, est annorum 70. quamdiu Judæorum captivitas Babylonica duravit, *Jerem. XXV. Dan. IX, 2.* Hoc tempore Ezechiel & Daniel veræ Religionis curam præcipue gesserunt, eamque inter gentiles etiam asserere & profiteri non reformidarunt. Hac tempestate scripti dicuntur libri Tobiæ, Judith, Susannæ, Baruch, Esther.

§. 11.

Epocha VII. hinc à soluta captivitate Babylonica, ad ultimum Darii Codomanni annum, & finem Monarchiæ Persicæ, capta ab Alexandro M. Babylone, computatur,

tatur, continens annos 204. Hujus periodi initio insignes Ecclesiæ Doctores celebrantur Nehemias, Esdras, Haggæus, Zacharias & Malachias. Fundamenta etiam templi secundi jacta, *Esdr. I, 2.* confer *Joseph l. XI. c. 2. 3. 4. & Hagg. II, 3.*

§. 12.

Epocha VIII. à capta Babylone, ad finem regni Macedonici, seu ultimum Ptolomæorum, & primum Julii Cæsaris à victoria Pharsalica, est annor. 282. Hoc temporis intervallo Samaritani Religionem valde turbarunt atque etiam corruperunt. Nam ab Alexandro M. ipsis copia facta erat extruendi templi in monte Garizim, in quo mixtis Judæorum & Gentilium ritibus sacrum DEI cultum maxime contaminarunt, ut Judæis inde fierent abominabiles. Hasmonæorum tempore Ecclesia Judaica multas calamitates sensit ob bella Regum Syriæ & Ægypti, itemque Pontificum suorum ambitionem. v. *Joseph. l. XI. c. 8. seq.*

§. 13

Epocha IX. á primo jacto per Jul. Cæsarem Monarchiæ Romanæ fundamento, ad principium Evangelii, quando CHRISTUS

baptizatus est, mediis annis, Jul. Cæsaris quarto, Triumviratus Romani sexto, Octavii vel Augusti Cæsaris LII. Tiberii Cæs. XV. est ann. 77. Summa ergo omnium annorum á M. C. usque ad baptismum Christi, erit 4033. Sed si ab hac summa annos 30, quos Christus, cum baptizaretur, expleverat, detrahas, annus NATIVITATIS CHRISTI in annum *Mundi conditi* 4003. incidit. Notandum tamen est, Chronologos in designando illo anno, maxime discrepare. Quorum diversas hypotheses excutere aut componere, majoris res operæ est, quam ut hic in compendio confici queat.

§. 14

Interim status Ecclesiæ Judaicæ tum mire corruptus fuit. Nam quod regimen ecclesiasticum attinet, Pontifices contra legem singulis annis mutati sunt, v. *Euseb. H. E. l. 10.* unde turbæ enatæ, v. *Joseph. A. Jud. XX, 8.* Lex divina moralis per glossas & traditiones Rabbinorum contaminata: v. *Matth. V. & VI.* Ipsa Ecclesia, in tres sectas velut scissa, Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum, multas dissensiones aluit. v. *Joseph. l. XIV. 9. Baronii Appa-*

parat. ad Annal. Eccles. n. VIII. & Is. Cas. Exerc. I. ad adpar. Baron. n. IX. His accedebant & *Herodiani*, qui ex adulandi studio, Herodem pro Messia venditasse dicuntur. Erant præterea *Samaritæ*, qui gentilismum cum Judaismo miscuerant; Judæis ideo detestabiles. *Karraei* Sadducæorum surculus, literam tantum legis Mosaicæ urgentes, Rabbinorum traditiones spernebant, ac puncta etiam codicis Ebræi rejiciebant. v. *Scaligeri Elench. Tribæres. & Hotting. Thesaur. Philol. l. 1. c. 1. S. V.* Josephus *l. V. de B. Jud.* etiam *Zelatos* memorat, qui prætextu legis vel religionis gravissima scelera admittere non verebantur.

§. 15.

Hoc exulceratissimo Ecclesiæ Judaicæ tempore, CHRISTUS, Salvator mundi, præmisso pœnitentiæ præcone, Johanne Baptista, nasci voluit: ut omnia repararet, & quæ ad viam salutis mortalibus necessaria sunt, ipse panderet. Id quod ex historia Evangelica omnibus constare satis potest. JESUM autem Nazarenum esse verum illum Messiam à DEO promissum & tot annis Patrum votis optatum, contra profa-

nas improborum hominum recentium nugas, incomparabili opere, de *Demonstratione Evangelica*, hic Lipsiæ recusa, *Petrus Daniel Huetius*, *Episcopus Abricensis* in Gallia evicit.

PARS II.

Hist. Eccl. N. T. s. Christianæ

SECTIO I.

Eaque præliminaris.

CAPUT I.

§. 1.

HIstoria Ecclesiastica N. T. seu Christiana prius distinguenda venit, quam ejusdem partes designentur. Potest autem diversa ratione considerata, *primum* distingui in UTILEM, CURIOSAM, & INANEM seu FABULOSAM.

§. 2.

UTILEM voco, quæ statum Ecclesiæ Christianæ ex certis monumentis, juxta ejus partes distinctas, justa serie describit. Huc pertinent doctores seu scriptores ecclesiastici, doctrina Christiana catholica, errores & hæreses, Synodi & concilia, regimen

gimen, disciplina & ritus, denique persecutiones & martyres. Et ex hac origo Papatus simul noscitur.

§. 3.

Curiosa nobis est, quæ de chronologia, de scriptorum ecclesiasticorum libris, locis in iisdem controversis aut corruptis, antiquitatibus rituum variorum in diversis locis, & similium, quæ eruditam criticen sapiunt, inquirit; ac inde etiam *critica* appellari potest. conf. *Guil. Cave Script. Eccles. Hist. literariæ Proleg. Sect. IV. & V.* Cujus quidem tantus non est usus, ut citra eam status Ecclesiæ nosci nequeat; quatenus tamen ad ἀκρίβειαν eruditam, & controversiis ecclesiasticis quandoque determinandis inservit; etiam viris magis eruditis, quam tironibus utilem esse arbitramur. confer exempli loco *P. Antonii Pagi Critic. Historico - Cronolog. in Annal. Baronii.*

§. 4.

Fabulosam dicimus, quæ de miraculis & gestis Sanctorum, visionibus ac commentis similibus in Ecclesia Romana sat notis memorat. Cujus generis multa

in vitis Patrum & Sanctorum passim legas. v. *Historiam Lombardicam Jacobi de Voragine*, *Catalogum Sanctorum Petri de Natalibus*, similes fabularum consarcinatores Romanenses, quales sunt Legendarii, *Surius*, *Bollandus*, *Papebrochius* & alii.

§. 5.

Hist. vero Eccles. UTILIS iterum *in Universalem*, *particularem & singularem* dispesci potest.

§. 6.

Universalis, res omnes memorabiles in Ecclesia Christiana, inde ab origine ejus, ad nostram usque ætatem gestas complecti debet. Qualem eruditi adhuc desiderant; licet partes ejus habeamus. *Centuriatores* quidem *Magdeburgici*, & horum antagonista, *Cardinalis Baronius*, ejusque *continuatores* talem condere moliti sunt: sed quid de horum conatu alias non spernendo habendum sit, *Is. Casaubonus*, & *Jac. Usserius* optime judicant.

§. 7.

Particularis est, quæ vel partem tantum, aliquam in §. 2. expressam exsequitur: ut historia de hæresibus, de Episcopis, de

de conciliis, de martyribus, de persecutionibus Christianorum. Pertinet huc etiam historia, quæ Ecclesiæ alicujus particularis fata tantum exponit. Cujus generis scriptores hodie multi extant, quos *B. D. Sagittarius in Introduct. sua in Hist. Eccles.* distinctim recenset.

§. 8.

Hist. *Singularis* appellari potest, quæ relationem unius hæresis, concilii, controversiæ alicujus, episcopi & similium continet. Horum nunc scriptorum affatim magna est copia.

CAPUT II.

De

Scriptoribus Ecclesiasticis.

§. 1.

Scriptores Ecclesiasticos, unde historia hæc petenda, in *tres classes* describemus. *Una* est pure historicorum, *altera* apologeticorum, *tertia* dogmaticorum.

§. 2.

Pure-historicos appello, qui ex instituto res Ecclesiæ consignarunt: ut ex anti-

quis sunt: *Eusebius Pamphili*, *Socrates Scholasticus*, *Theodoretus Cyri Episcopus*, *Hermias Sozomenus Salaminicus*, *Theodorus Anagnostes*, *Evagrius Scholasticus*; & ex Latinis, *Ruffinus Aquileiensis Presbyter*, *Sulpitius Severus*, *Magnus Aurelius Cassiodorus* & *c. v. D. Guil. Cave Script. Eccles. Hist. Liter. Prolegom. Sect. VI.*

§. 3

Inter recentiores, primum locum meretur *Nicephorus Callisti filius*, Græcus scriptor, qui sub initium seculi XIV. floruit. Hunc seculo superiori Reformatione Ecclesiæ subsecuta, multi alii exceperunt. Quos *B. D. Sagittarius* in introductione in Hist. Eccles. enumerat atque describit. v. jam laudati *Cave Sect. cit.* & *Severin. Walther Sluteri Propylæum Histor. Christianæ nuper publicatum.*

§. 4.

Apologeticos vocamus, qui pro Christianorum innocentia, olim apologias adornarunt: ut inter antiquissimos sunt, *Justinus Martyr*, *Athenagoras Tertullianus*. Plures *in Dissertatione nostra de Apologiis veterum Christianorum* allegavimus,

vimus. Ex his de vita, doctrina, moribus & calumniis, quibus Christiani olim à gentilibus onerati fuerunt, simulque eorum innocentia constat.

§. 5.

Dogmatici nobis sunt, qui vulgo ob reverentiam *Patres* appellantur, ac doctrinam Christianam scriptis publicis asseruerunt, eamque adversus hæreses ingruentes etiam defenderunt. Qui in *Græcos & Latinos* distinguuntur, inque classes iterum certas digeri possunt. conf. *D. Joh. Hoornbeckii Miscellan. Sacr. libr. 1. & Johan. Forbesii instruction. Histor. Theolog.* qui inde excerpta dedit.

§. 6.

Prima est Ante-Nicænorum, qui tribus primis seculis ante Concilium Nicænum floruerunt, Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, Justinus Martyr, Tatianus, Athenagoras, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandr. Origines, Tertullianus, Hippolytus, Georgius Thaumaturgus, Dionysius Romanus, Theognostus, Dionysius Alexandrinus, Cyprianus, quibus Ar-

no-

nobius & Lactantius sub initium seculi quarti viventes addi possunt. Hos omnes fidem Catholicam de SS. Trinitate amplexos esse, *Samuel Guardinerus*, doctissimus Anglus, contra *Christoph. Sandium*, *Arianum* asseruit.

§. 7.

Secunda est Post-Nicænorum tam Græcorum, quam Latinorum, qui à tempore Concilii Nicæni, usque ad seculum septimum, Ecclesiam scriptis suis illustrarunt. Quorum numerus major est. Sed doctiores seculo quarto, & sub initium quinti celebres fuerunt: Ut Athanasius, Hilarius, Lucifer Calaritanus, Dionysius Areopagita, Damasus, Epiphanius, Optatus Milevitanus, Ephrem Syrus, Basilius M. Gregorius Ponticus Basilii M. frater, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Macarius Senior & Junior, Ambrosius, Hieronymus, Philastrius vel potius Philaster, Rufinus Toranius, Pontius Paulinus, Aurelius Augustinus, Johannes Chrysostomus, Ad *V. Sec.* referuntur, Aurelius Prudentius Poeta, Cœlestius, Theodorus, Synesius

sius, Cyrillus Alexandrinus, Paulus Orosius, Marius Mercator, Theodoretus, Johannes Cassianus, Hilarius Gallus, Vincentius Lerinensis, Socrates, Hermias Sozomenus, Nilus, Leo Magnus, Salvianus, Prosper Aquitanicus, Basilius Seleucus, Arnobius Junior, Claudianus Mamertus, Remigius, Vigilius, Gelasius Afer, Gennadius Massilienſis, & plures alii, sed minoris famæ. *Sexto seculo* incipiente, Fulgentius Afer, M. Aurel. Cassiodorus, Procopius Gazæus, Facundus Hermianensis Primasius Afer, Anastasius Sinaita, Gregorius M. Isidorus Junior, & alii.

§. 8.

Tertia classis est eorum, qui à Sec. VII. ad XII. in Ecclesia celebres sunt. Ubi in Græca, seu orientali Ecclesia plures numerantur docti, quam in latina jam barbarie inundata. Nam præter *Bedam venerabilem*, qui initio seculi VIII. floruit, *Flaccum Alcuinum* An. Chr. 780. inclarescentem & paucos alios, usque ad *Bernhardum* sub initium seculi XII. clarum, pauciores, inter Latinos; plures vero inter

ter Græcos, eruditos Patres invenies. Nam inter hos Sec. IIX. *Johannes Damascenus*, Sec. IX, *Photius*, Sec. X. *Oecumenius*, Sec. XI. *Theophylactus*, Sec. XII. *Theodorus Balsamon* & alii. Post Sec. XII. Scholasticorum turba enata, qui P. Lombardum secuti Theologiam tricis philosophicis involverunt. Hinc tot Sententiarii, Summularii, Fasciculariі & Speculares Theologastri in Scholis innotuerunt.

CAPUT III.
De
Ordine in Histor. Eccl. tractanda.

§. 1.

CIrca *ordinem* tractandæ historiæ hujus, scriptores ecclesiastici variant. Plerique tamen seriem seculorum, quæ ab *Æra nat. Christi* numerantur, observant; addentes Episcopos Rom. & Imperatores, qui rerum quovis seculo potiti sunt.

§. 2.

Guil. Cave, vir in hoc genere studiorum versatissimus, secula illa, á doctoribus & famosioribus hæreticis inprimis & schi-

schismaticis denominat: I. Vocat *Apostolicum*, II. *Gnosticum*, III. *Novatianum*, IV. *Arianum*, V. *Nestorianum*, VI. *Eutychianum*, VII. *Monotheleticum*, VIII. *Iconoclasticum*, IX. *Photianum*, X. *Obscurum*, XI. *Hildebrandianum*, XII. *Waldense*, XIII. *Scholasticum*, XIV. *Wicleffianum*, XV. *Synodale*, XVI. *Reformatum*.

§. 3.

Nos fata Ecclesiæ prospera & adversa contemplantes, primum *quinque* ejus *periodos* constituemus; & deinde sub qualibet periodo, servato seculorum ordine, res præcipuas velut per indicem disignabimus; ut memoriæ discentium magis consulatur.

§. 4

Prima igitur periodus erit *Ecclesiæ* á Christo, Apostolis & Doctoribus *plantatæ* & sub dirissimis X. persecutionibus per orbem *propagatæ*. Ad hanc referimus prima tria secula, quibus Christianismus purior maxime floruit.

§. 5.

Secunda est periodus *Ecclesiæ* sub Imperio

rio Romano & Byzantino *libertate gaudentis*. Cujus initium à Constantino M. primo Imperatore Christiano derivatur, & ad ætatem Imperatoris, seu tyranni Constantinopolitani, Phocæ porrigitur. Cujus ope & auxilio Episcopus R. Bonifacius III. titulum Episcopi œcumenici affectatum obtinuit. Huc pertinent tria à tertio finito, numerata secula sequentia, quibus Christianismus per famosas hæreses, Arianam, Pelagianam, Nestorianam, Eutychianam & alias valde conturbata fuit. Quarum tamen seculum doctissimis Patribus florentibus maxime eminuit.

§. 6.

Tertia periodus est *Ecclesiæ* occidentalis & orientalis, hinc per Episcopos R. & barbariem cum barbaris populis ingruentem, inde per sectam pestiferam Muhammedis *pressæ & obscuratæ*. Huc refero quatuor à sexto, ad decimum inclusive, secula. Quibus Ecclesiam Latinam & Græcam non tantum controversiæ Monotheleticæ, Iconoclasticæ & Photianæ turbarunt; sed & ob barbariem literarum,

rum, inanes ceremoniæ ac superstitiones, magnam partem ex Gentilismo sumtæ, doctrinam Christianam in occidente obscurarunt, & in Oriente Muhammedanismo invalescente per Saracenos multæ Ecclesiæ florentes in Asia & Africa oppressæ fuerunt.

§. 7.

Quarta periodus, est *Ecclesia* sub tyrannide Antichristi Romani Pontificii, & jugo Saracenico-Turcico *gementis & lamentantis.* Ad hanc spectant quatuor insequentia secula usque ad XV. Qua tempestate tyrannis Pontificis R. ab Hildebrando seu Gregorio VII. ad fastigium perducta, tum reipublicæ tum Ecclesiæ gravissima non tantum extitit, sed & doctrina Christiana neglecto sacrarum literarum studio, per superstitiosos ritus & sterilem Scholasticorum philosophiam, penitus contaminata, & tantum non tenebris plusquam Cimmeriis involuta fuit.

§. 8.

Quinta periodus, est *Ecclesiæ repurgatæ* atque a jugo Pontificio in multis locis *liberatæ*, quæ superius & hoc nostrum jam decurrens seculum complectitur. Huc per-

pertinet historia Reformationis, quæ & sua habet intervalla, distinctasque temporum & rerum periodos.

H. E.

SECTIONIS II.

Ejusque pragmaticæ PERIODUS I.

De

Eccl. Chr. primum plantata & per orbem propagata.

Cap. I. de Sec. I. Christ.

§. 1.

INitium hujus seculi à CHRISTO petendum; cujus vita in humilitatis statu exacta, in historia Sacra Evangelistarum integris voluminibus describitur. Quam in *infantiam, pueritiam, adolescentiam & ætatem virilem* dividere licebit.

§. 2.

Ad *infantiam* spectat ejus nativitas, quæ cum circumstantiis *Matth. II. & Luc. II.* describitur. Sed diem & mensem definire difficile est; cum circa annum Chro-

Chronologi adhuc inter se dissentiant. Nos *Thomam Lydiatum* secuti, Annum M. Cond. 4003. supra designavimus. *Scaliger* ann. 3950. nominat, qui in ann. Urb. conditæ 735. incidit. Fuit illo tempore quies magna vereque augusta, & quietis amor, rarum in tanta bellandi felicitate decus. Sed talis status decebat Imperium, in quo Princeps pacis JESUS CHRISTUS nasciturus esset; de qua quiete *Florus l. IV. c. 12.* loquitur: *Ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio.*

§. 3.

Cæterum de *pueritia* Christi nihil annotatum legitur; nisi quod duodecennis in Templo cum Doctoribus publice disputarit, *Luc. II, 46.* Evangelium de *Infantia Servatoris*, quod circumfertur, est apocryphum.

§. 4.

Adolescentiæ apud parentes transactæ historia non fuit consignata. An meditationibus sacris incubuerit tantum; an, quod Patres quidam volunt, in opere manuario cum Josepho occupatus fuerit, de ter-

terminari nequit. Fabulæ ex apocryphis hic de eo narratæ nullam fidem merentur. confer *Baronii Annal. Eccles. A. Chr. XII. n. 6. seqq. & H. Grotii Epistol. ad Gallos XXXIII. Petro Puteano inscriptam.*

§. 5.

Ætatem virilem Christi, ab anno trigesimo plures auspicantur, quo á Johanne Baptista baptizatus ministerium suum aggressus. v. *Casaub. Exercit. Anti-Bar. XIII. p. m. 222. seqq.* Quo juxta *Scaligerum & Calvisium* per quatuor annos: juxta *Eusebium* & alios, per tres annos defunctus est: ut adeo ætatis suæ anno XXXIII. labente, passus sit. confer. *G. J. Vossii Dissert. de Tempore Passionis Christi & Jac. Usserii Ætat. Mundi Sept.*

§. 6.

Durante hoc suo Ministerio, Apostolos duodecim (quot tribus Israelis erant) elegit *Matth. X, 2. seqq. Marc. III, 14. Luc. IX, 1. Act. I, 13. & 26.* Vitas horum non ita pridem peculiari libro erudite *Guil. Cave* descripsit. *Acta* vero inde ab historia Ascensionis, usque ad deductionem Pauli in Urbem, quæ juxta *Lud. Capellum*

A.

A. Chr. LVI. tertio Neronis facta est, *Lucas* consignavit. v. *Capelli Hist. Apostolic. illustrat. Salmurii a. 1683. edit.*

§. 7.

A fine Actorum Apostolicorum, historia incertis narrationibus aut fabulis, in primo hoc seculo adspersa fuit. Quod nec ipsi cordatiores Pontificii scriptores diffiteri audent. Possunt tamen quædam hic velut suppleri ex Epistolis Apostolicis, Apocalypsi Johannis, ex *Joseph. l. XX. Antiq. & historia de Bell. Jud.* nec non ex *C. Tacit. Annal. l. XV. 44. Irenæo, Tertulliano, & Eusebio* inprimis historiæ ecclesiasticæ conditore primo.

§. 8.

Post ascensionem Christi in cœlum, cum festo Pentecostes, Apostoli donis Spiritus S. extraordinariis, ceu legati divini fuissent instructi, primum quidem Hierosolymis Ecclesiam plantarunt; Act. I. & II. seqq. Inde vero, ut jussi erant, per orbem terrarum dispersi, Evangelium tum Judæis tum Gentilibus annunciarunt, ac ut ex Actis Apostolicis & Epistolis Paulinis constat, plures

Ecclesias in Asia, Græcia, Macedonia, Latio & aliis locis fundarunt. vid. Marc. XVI, 15. & 20. Act. XVII, 30. Rom. X, 18. Colossi. I, 6. *Loca* autem, ubi docuerunt, an singulis Apostolis, sorte ducta, fuerint certa assignata, incertum est, conf. *Euseb. H. E. l. III. c. 1. & Baron. ad ann. Chr. XLIV. n. 28. seqq.* *Paulus* certe longe lateque peregrinando Evangelium disseminavit. *Euseb. H. E. l. III. c. 4.* Συνεργοὶ eorum fuerunt LXX. Discipuli *Luc. X, 1. & 7.* allegati. Pseudo-Dorotheus eorum conficta nomina recenset, omnesque fuisse Episcopos fabulatur. His postea accessere Lucas, Silas, Timotheus, Titus, Clemens, & alii viri prædicando Evangelio idonei, quos *Apostolicos* vocant. *Primariæ* autem *Ecclesiæ* ob urbium eminentiam, fuerunt primo statim seculo, *Hierosolymitana, Antiochena, Romana, & Alexandrina.* Quæ postea à sedibus Patriarcharum, h. e. ab Episcopis primariis ibi constitutis dictæ sunt *Patriarchales.* Harum primi Episcopi in *Chronic. & Hist. Eccles. Eusebii* memorantur.

§. 9.

§. 9.

An ante dispersionem fidei compendium, tanquam tesseram quandam doctrinæ Apostolicæ, quod SYMBOLUM inde APOSTOLICUM appellatur, ipsi condiderint, meritò dubitatur. *Baronius* quidem id nimis audacter affirmat *ad A. Chr. XLIV. n. 15. 16.* Verum cum Lucas in Actis suis de eo nihil memoret, & alii testes antiquissimi etiam deficiant; non ab Apostolis illud profectum esse creditur. v. *Vossii Tractat. de tribus Symbol. & L. Ittigii Dissertat. de Pseudepigraph. cap. VIII. & Dupini Biblioth. p. 14. seqq.*

§. 10.

Scripta, & libri ab Apostolis & Evangelistis relicti, qui genuini ac Canonici sint, hodie satis constat. De quibus olim dubitatum fuit, *Eusebius H. E. l. III. 24. & 25.* memorat. conf. Concil. Laodic. *c. 60. Bevereg.* Sunt tamen multa etiam scripta *pseudepigrapha*, quæ Christo, quæ B. Virgini Mariæ, quæ Apostolis tribuuntur: ut *Epistola Christi ad Abgarum, Epistolæ Christi cœlitus demissæ. B. Mariæ Epistola ad S. I-*

gnatium, ad Messanenses, ad Florentinos, Protevangelium Jacobi, Evangelium Petri, Thomæ, Philippi, Bartholomæi, Andreæ, Matthiæ, Thaddæi, Judæ Iscariotæ, Evangelium XII. Apostolorum, Acta Pauli & Theclæ; Actus Petri, Andreæ, Thomæ, Johannis, Philippi, Epistola Pauli ad Laodicenses, Tertia ejus ad Thessalonicenses, ad Senecam, Epistola Petri ad Clementem, Apocalypses Pseudapostolicæ, & alia, quorum νοθείαν eruditissimè nuper *in Dissert.* jam allegata laudatus noster *Ittigius* demonstravit. In hunc censum referas libros & Carmina Sibyllina, quæ *t. VIII. Biblioth. PP.* continentur. v. *Casaub. l. c. p. 8.*

§. 11.

Præter Apostolos, & alii scriptores ecclesiastici hujus ævi memorantur, quorum scripta, vel dubiæ fidei, vel plane subleste, aut supposititia sunt. Ad prius genus referimus (1.) *Barnabæ*, unius ex LXX. discipulis Christi, Epistolam Judæis præcipuè oppositam, quam *Euseb. H. E. l. III. 25.* inter spuria recenset; *Is. Vossius* vero in notis ad illam, & alii genuinam esse pronunciant: (2.) *Clementis*, συνεργῦ S. Pau-

Pauli, Epistolam priorem & posteriorem ad Corinthios, quarum *priorem* genuinam ex *Euseb. l. 1. c. 16. posteriorem* vero adulterinam fuisse Critici statuunt. Ad alterum genus (supposititiorum) referuntur libri eidem Clementi vulgo tributi, ut (1.) *Canones Apostolorum LXXXV. Constitutionum Apostolicarum l. VIII. Recognitionum libri X. Homiliæ Clementinæ XIX.* (τὰ Κλημέντινα vocata) &c. (2.) opera *Dionysii Areopagitæ* nomine evulgata: (3) *Hermæ Pastoris* dicti liber, quam *Cotelerius* inter opera Patrum ætatis Apostolicæ retulit: (4.) *Abdiæ Babylonii*, unius ex LXX. discipulis, *libri X. de historia certaminis Apostolici*: (5.) *Lini* Episcopi R. libelli duo *de Passione Petri & Pauli*: (6.) *Prochori vita S. Johannis*, cujus discipulus fuit: (7.) *Evangelium Nicodemi*, (8.) *Marcelli* Martyris Fragmentum *de conflictu S. Petri & Simonis Magi*: (9) *Lentuli* Epistola, itemque *Pilati ad Tiberium*, cum *Actis* ejusdem seu Relatione de Christi morte, resurrectione & ascensione. Hæc, inquam, scripta inter spuria referenda esse, multi viri doctissimi jam prolixè demonstrarunt. v. *Guil. Cave*

Hist. liter. Secul. I. & Ell. Dupini Nov. Biblioth. Auctor Eccles. tom. I.

§. 12.

DOCTRINA Apostolorum eorumque συνεργῶν, uno vocabulo laxius accepto, *Evangelium* vocatur, quod Christo in cœlum sublato, ipsi cum Judæis tum Gentilibus annunciarunt. Hoc vero antequam Judæis persuaderetur, Apostoli demonstrarunt, *JEsum Nazarenum esse verum illum Patribus ipsorum promissum Messiam, seu Christum, mundi Salvatorem*, Joh. XX, 31. Act. II, 36. Inde Baptismus & pœnitentia requirebantur, ibid. v. 38. & Act. III, 19. Gentilibus autem primum demonstrandum fuit, totum genus mortalium esse peccatis obnoxium, ac absque horum expiatione, salva Dei justitia, non posse salvari: Ideo opus esse pœnitentia & fide in Christum, qui peccata omnium hominum expiavit, v. *Luc.* XXIV, 47. *& Epistol. Pauli ad Romanos*, qui summam doctrinæ evangelicæ continet. Controversiæ super doctrina Evangelii motæ, in Actis Apostolicis & Epistolis Apostolorum annotatæ leguntur: inter has præ-

præcipua fuit de justificatione; an ex operibus legis; an vero ex gratia, obtineatur?

§. 13.

Ritus & Ceremonias cum in cultu divino, tum in reliqua Christianorum disciplina, ævo Apostolico paucas fuisse, ex Actis & Epistolis Apostolicis colligi potest. Quæ in duorum Sacramentorum a Christo institutorum administratione observatu necessaria erant, ipse Christus præscripserat. Ac de Baptismo quidem ex *Matth.* XXVIII, *29.* & *Actor.* VIII, *36.* constat. Nam quæ *Dionysiaster de Hierarch. Eccl. c. 3.* de susceptore aut sponsore & aliis in actu Baptismi ceremoniis memorat, sequioris ævi instituta sunt: ut & quæ *Auctor Constitut. Apostolic. l.* VII. *c. 41.* de Exorcismo & formula abrenuntiandi Satanæ & operibus ejus refert. Quos ritus sacros, *Justinus Martyr. Apolog. II.* in Sacramentorum usu, sequenti ævo usitatos fuisse perhibet, eos jam seculo Apostolico frequentatos esse, nobis fit verisimile. Agit ibi de *congressibus Christianorum* ad preces fundendas, quibus finitis se invicem osculo charitatis exceperunt: de *Eucha-*

ristia ordinarie in conventu Christianorum & quidem Dominica die celebrata, de *oblationibus*, de *observatione diei Dominicæ* in memoriam resurrectionis Christi institutæ, qua commentaria Apostolorum & Prophetarum prælecta populo, precesque ad DEUM fusæ sunt, populo adclamante, AMEN. v. *cit. Apol. Justin. p. 76. seqq. edit. Sylburgii.* *Agapæ* etiam seu convivia charitativa jam tum usitata, quæ tempore S. Synaxis, à ditioribus in gratiam pauperum fidelium, testandi amoris gratiâ, instituebantur frugaliter. *1. Cor. XI, 20.* v. *D. Hoornbeckii Miscell. Sacr. l. I. c. 20. & 21.* De his *Tertullianus Apol. Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit.*

§. 14.

HÆRETICI, qui hoc seculo præter Judæos & Gentiles Christianam doctrinam, aut ejus quædam capita impugnarunt, varii sunt. Omnium primus ac reliquorum velut parens est *Simon Magus*, quem Lucas *Act. VIII, 9.* memorat. v. *Iren. præf. in lib. 3. de hær. & l. 1. c. 30.* Qui impudentissimus impostor se *sublimissimam & infinitam virtutem* mentitus dixit, se in monte Si-

Sina Legem Mosis in persona Patris dedisse Judæis, tempore Tiberii, in persona Filii putativè adparuisse; postea se in linguis igneis Spiritum S. in Apostolos venisse. Duplicem DEUM finxit, *Bonum & Malum*; Prophetas ex inspiratione Angelorum prophetasse, affirmavit; resurrectionem carnis negavit. v. *Justini Mart. Apol. II. Iren. l. 1. c. 20. & 30. Epiph. Hær. XXI. Euseb. l. II. 13. & l. IV. 22. August. de Hær. c. 1.* &, qui veterum scriptorum de eo testimonia collegit & erudite examinavit, *Ittigii de Hæresiarchis ævi Apostolici Sect. I. c. 2.* Asseclæ ejus, *Simoniani* dicti, fenestram Magiæ, libidini, idololatriæ & omni impietati aperuerunt. Ortum inde etiam nomen *Simoniacorum & Simoniæ in Jure Canon. Caus. 1 qu. 1. & 3.* quando pro rebus spiritualibus aut ecclesiasticis pecunia datur aut accipitur. *Baron. ad A. Chr. XXXV. n. 24. & ann. LXIII. n. 12.* per impudentem calumniam Lutheranis istam hæresin impingit, quod statuerent, homines per gratiam tantum salvari; quasi bona & justa opera cum Simone isthoc rejicerent.

§. 15.

Menander, Simonis Magi discipulus, gente Samaritanus, mundum ab Angelis creatum finxit, sibi Christi etiam honorem arrogans: discipulis suis tantam sapientiam per magiam promisit, ut ipsos fabricatores mundi, Angelos vincere possent, imo quotquot in nomen suum baptizarentur, iis immortalitatem promisit. v. *Justini Mart. Apolog.* II. *Irenæum l.* I. *c.* 22. *Tertullianum de Præscript. l.* I. *c.* 46. *Epiphanium* Hæres. XXII. *Euseb. l.* III. H. E. *c.* 26. *Augustin. de* Hæres. *c.* II. & *Ittig. libr. cit. c.* IV.

§. 16.

Cerinthus, qui hæresin in Asia disseminavit, Christum ex Josepho & Maria natum pro nudo homine, justitia & prudentia excellente habuit. Contra quem Johannes in Evangelii sui initio divinitatem Christi graviter asseruit. Jactavit præterea non tantum revelationes Evangelicas; sed etiam mundum ab Angelis productum somniavit; comminiscens, post resurrectionem Christi regnum per mille annos in terris in omni carnalium vo-

voluptatum genere continuandum, apud *Eusebium lib. III. 28.* Plures improbos hominis errores collegit laudatus *Ittigius loc. cit. cap.* V. v. *Irenæum libr.* III. *cap. 3. Euseb. libr.* III. *Hist. Eccles. cap. 28. & libr.* IV. *& c. 14. Theodoret. lib.* II. *hæretic. fab.*

§. 17.

Ebion, Cerinthi successor, πτωχῶς καὶ ταπεινῶς abjecte & humiliter de Christo sentiens, juxta *Eusebium libr.* III. *cap. 27.* ejus divinitatem negavit: cum Nazaræis docuit, legis Mosaicæ observationem esse necessariam ad salutem, eoque nomine circumcisionem, Sabbata & cæteros ritus Judaicos urgebat. v. *Irenæum libr.* I. *cap. 26. Tertullian. de Præscript. cap.* XXXIII. *Augustin. de Hæres. c.* X. Post Mosen & Josuam, nullos Prophetas divinos agnoscebat. Libros N. T. omnes, excepto Evangelio Matthæi Hebraico, explodebat. v. *Ittigii l. c. cap.* VII. *de Nazaræis.* Cerinthianum Chiliasmum etiam defendebat, teste *Hieronymo in Esa. cap.* LXVI. Plures in illo errores *Ittigius l. cit. c.* VI. notavit,

§. 18.

Nicolaitæ sive *Nicolajani*, à Nicolao proselyto Antiocheno, uno è Diaconis septem *Act. VI, 5.* dicti. An autem ipse Nicolaus autor sectæ, ut *Irenæus l. I. c. 27. & Epiphanius Hæres. XXV.* volunt; an vero culpæ hujus immunis, libidinosorum suorum discipulorum culpam luerit, ut *Clem. Alexandrinus l. III. Stromat. & Eusebius l. III. H. E. c. 30.* existimant, determinare non possum. Dogmata tamen improba Nicolaitarum ex *Apocalyps. II, 6. 14. 15.* ex parte nota sunt; cum nec à fornicatione, nec idolothytis abstinuerint. *Irenæus l. c. & l. III. c. 11.* autor est, eos de DEO & Christo perperam sensisse. Et *Augustinus de Hæres. c. V.* memorat, eos non DEO, sed potestatibus, quas finxerunt, mundi creationem tribuisse. Plura monstrosa illorum dogmata *Philastrius de Hæres. c.* XXX. recensct. v. *Ittigii l. c. c.* IX. Cæterum atrox calumnia est *Jac. Gualterii in Tab. Chronograph. Sec. I. c. 10.* quando Lutherum Nicolaismi postulat, quod virum sine muliere esse non posse, ex *Gen. I, 27. 28.* docuisset.

§. 19.

§. 19.

Hæreticis hujus seculi *Ittigius* jungit *Hermogenem & Phygellum* ex 2. Tim. I, 15. *Himenæum & Philetum*, ex 2. Tim. II, 17. *Alexandrum* 1. Tim. I. v. ult. 2. *Tim. IV*, 14. *Diotrephen* ex tertia Johannis *Epistolæ v. 9. 10.*

§. 20.

CONCILIA, *quæ* sunt *conventus in Ecclesia extraordinarii ad componendas controversias in doctrina Christiana subortas instituti*, ævo hoc Apostolico non plura, quam *unum solenne* numerare licet; quod *Act. XV, 23. seqq.* describitur. Nam etsi alii alios etiam conventus Apostolorum & fidelium eo nomine designant, ut *Act. I, 21. Cap. VI. c. XXI, 22. seqq.* propriè tamen loquendo, illud tantum solenne & primum fuit, quod ex Luca *Act. XV.* adduxi. In quo actum de lege ceremoniali, de libertate Christiana, exceptis quatuor illis ad tempus observandis, ne Judæis recens - conversis scandalum præberetur. Ubi notes contra *Baronium ad ann. Chr. LI. n. 12.* in eo nullam Petri fuisse prærogativam juris aut po-

testatis. Decretum ibi de idolothytis, sanguine & suffocato factum, erudite illustrat *Clar. Pfannerus Observat. Eccles. iast. 1.*

§. 21.

REGIMEN ECCLESIASTICUM ex ordine ministrorum Ecclesiæ eorumque potestate a Christo Apostolis, testibus suis irrefragabilibus, concessa judicandum est. Ipsi autem legati Christi æquali potestate instructi, nullum primatum potestatis aut dominatum affectarunt; cum Ecclesia, quam plantare jussi erant, non sit status regni indolem referens. Id quod solidissime *B. noster Pufendorffius libro de Habit. Relig. Christ. ad statum civilem* demonstravit. Qui Petro primatum cum Baronio assignant, eumque Episcopatum Romæ œcumenicum jam stabilivisse garriunt; aut ruditatem in historia antiqua, aut impudentiam suam apricantur. Id, quod *Vedelius de Cathedra Petri Antiochena*, *Salmasius de Primatu Papæ in præmisso Apparatu*, doctissimus *Blondellus* de eodem argumento adversus Cardinalem Perronium, & *Ludovicus Mo-*

Molinæus Petri filius, prolixe demonstrarunt. Equidem Petrum Romæ fuisse cum Salmasio negare nolim; at XXV. annos ibidem sedisse, primatumque universalem in omnes Ecclesias firmasse, historiæ & chronologiæ repugnat. vid. *Edm. Richerii Hist. Concil. Gen. cap. I. num. 5.* Et cur non potius Paulo primatus tribuitur? qui Romanam Ecclesiam fundavit, quemque ea propter *Antonius Arnoldus*, Jansenista in Gallia celeberrimus, hac in parte Petro æqualem facit. vid. *Ittigii Heptad. Dissert. Select. Dissertat.* IV. *& Salmas. in Appar. p.6.* Hesychius Presbyter Hierosolymitanus apud *Photium Cod.* CLXXV. Jacobo Minori, Episcopo Hierosolymitano primatum vindicat. Enimvero *Primatus*, *& Primarii* nomina, ævo Apostolico ignota fuerunt. Ipsi etiam scriptores Pontificii, quando vitas successorum Petri in sede Romana describunt, inter se dissentiunt, certissimo indicio, successionem Pontificum R. esse incertam.

§. 22.

§. 22.

Ordinem autem ministrorum in Christi Ecclesia fuisse ex *1. Cor. XII, 28. 29. Ephes. IV, 11.* constat: quorum caput non Petrus, sed, ἀρχιποιμὴν Christus *1. Petr. V, 4.* fuit Qui inter hos præcipui fuerunt, à cura τῆς ἐπισκοπῆς, Episcopi, aut προϊστάμενοι, vel προεστῶτες, ἡγέμενοι, præpositi, rectores, vel ab ætate πρεσβύτεροι, *Seniores* dicebantur, *Rom. XII, 8. 1. Tim. V, 17.* cæteri à pascendi munere, ποιμένες, *Pastores* aut διδάσκαλοι appellabantur. Infimus gradus fuit *Diaconorum*, qui primum curam œconomiæ gerebant, mensis, pauperibus, orphanis, viduis & ægrotis inservientes, *Act. VI, 3. 4. Rom. XVI, 1.* Temporis tamen successu, eosdem & spirituali œconomiæ Verbi & Sacramentorum operatos esse, ex *Phil. I, 1. & 1. Timoth. III, 2. 8. 9. & 13.* colligitur. Ordinem hierarchicum, quem *Baronius* ad An. Chr. XLIV. n. 77. seqq. refert, diu post in Ecclesia innotuisse, omnes in historia antiqua vel leviter versati hodie non ignorant.

§. 23.

§. 23.

PERSECUTIONES, quibus Apostoli & Christiani primi statim pressi sunt, in *minores & majores* distingui possunt. Illas in Palæstina à Judæis excitatas, Christiani ferè sustinuerunt, de quibus ex Actis Apostolicis constat. Has (*majores*) Imperatores gentiles, *Nero & Domitianus* excitarunt. Inde *prima* inter illas Neroniana, *altera* Domitiana audit; utraque crudelissima fuit.

§. 24.

Causa, vel prætextus primæ persecutionis fuit incendium Romæ, cujus invidiam sceleſtus Nero in Christianos innocentes convertit, ut post *Svetonium C. Tacitus Ann. XV, 44.* testatur, diritatem ejus simul describens. Initium istius juxta Scaligerum A. Chr. LXIII. Neronis verò imperii IX. factum est, & duravit Romæ atque in provinciis Romanis ad annum Neronis XII. quô semet furibundus ictu gladii, teste *Aurelio Victore*, transegit. confer *Tertull. Apologet. c. V. & Sulpitii Severi Hist. Eccl. l. II. p. 370. edit. Horn. Euseb. H. E. l. II. c. 25. & Lactant. de Mort. Persecut.*

cut. c. 2. In hac Petrus & Paulus Romæ martyrio affecti sunt. Numerus martyrum reliquorum incertus est. conf. *Baron. ad A. Chr.* LXIX. *n.* 44. *& Prudent. Hymn. περὶ στεφάνων.* Post Neronis interitum, Vespasiano imperante, A. Chr. LXX. excidium Hierosolymæ, memorabile in omne ævum Nemesis divinæ exemplum, contigit. v. *Joseph. de Bell. Jud. l.* VI. & VII. *Tacit. l.* V. *Histor. c. 10. seq.* Hac tempestate Christiani, relictis Hierosolymis, sedes suas Pellam, oppidum quoddam trans Jordanem, transtulerunt, teste *Eusebio l. III. 5. H. E.*

§. 25.

Secunda persecutionis autor Flavius Domitianus, Titi Vespasiani optimi imperatoris pessimus successor, ac ideo à *Tertulliano Apologet. c.* V. portio Neronis de crudelitate dictus fuit. Refertur hæc circiter in A. Chr. XC. conf. *Euseb. H. E. l. III. 17.* In causa fuerunt calumniæ atrocissimæ, quibus Christiani passim aspergebantur: quod essent Athei, inimici Imperatorum, legum, naturæ; imo hostes humani generis, ut *Tertullianus in Apologetico*

getico refert. Persecutio hæc promiscue in Judæos & Christianos grassata est adeo, ut nulli Christianorum etiam sibi cognatorum pepercerit tyrannus. Johannem Evangelistam in dolium ferventis olei conjectum, cum illæsus inde evasisset, in insulam Pathmum relegavit, ubi Apocalypsin scripsit. v. *Tertull. de Præscript. cap. 36. Euseb. l. III. 19. 20. & Theodoret. de Cur. Græc. Affect. Serm. IX. & Lactant. de Mort. Persecut. c. 3.*

§. 26.

Memorabilia alia, quæ ad hoc seculum pertinent, sunt, quod Augustus, cum Tiberio filio suo *censum* Romæ agitans, invenerit hominum nonagesies ter centena millia; quam immanem summam *Scaliger in animad. ad Euseb. Chron. pag. 179. 180.* correxit: quod in Ecclesia donum propheticum & miraculorum, ævo hoc Apostolico adhuc viguerit: De *Simonis Magi* volatu & casu præcipiti, ap. *Arnob. libr. 2. adv. gent.* De *Johanne Evangelista* in oleum igneum demerso & inde illæso evadente, apud *Tertullianum*

de

de Præscript. cap. 36. De *Cerinthi* tragico interitu ex ruina balnei, è quo Johannes ante egressus fuerat, apud *Irenæum l. III. c. 3. Euseb. l. III. c. 28.* & similia, quæ in pseudepigraphis annotari solent. *D. G. Calixtus in Apparat. Theolog. pag. 113.* divinæ providentiæ tribuit, quod præter Apostolica & Canonica scriptorum nihil ex primo seculo integrè & sine suspicione falsi, vel certè interpolationis argumentis ad nos pervenerit; non quod nihil omnino scripserint, qui id ætatis ecclesiis præerant; quum de Ignatii nonnullis Epistolis res sit extra controversiam: sed potius quod divina providentia primum seculum non nisi Apostolicis scriptis apud nos voluerit nobilitatum; & hoc ipso providere, ne ob vicinitatem temporum, alia si exstarent, cum Apostolicis confunderentur. Addi potest, quod etiam *donum miraculorum* hoc ævo inter Apostolos, & viros Apostolicos frequens, sequenti seculo, receptâ passim per orbem terrarum doctrina Evangelica, rarius factum sit.

§. 27.

§. 27.

Quodsi quis velit nunc *judicio pragmatico*, res primô hoc Christianorum ævo gestas summatim æstimare; ante omnia devotâ pietate veneranda erit summa DEI sapientia, bonitas & justitia. Quanta enim sapientia, quod Christus per Apostolos ex infima plebe lectos, obnitentibus Judæis, gentilibus, tyrannis atque hæreticis; Evangelium, quod sapientibus mundi stultitia videbatur, tam latè per orbem, sine armis & ulla vi externa propagarit. Quanta bonitas & benignitas DEI, quâ gentiles divinæ gratiæ velut exules & contemtores, atque à communione divinorum alias mysteriorum semotos, in gremium Ecclesiæ recipere, eosque æternæ salutis reddere participes dignatus est. Quantum justitiæ DEI vindicis documentum, horrenda Judæorum tempus gratiæ aspernantium strages, urbis eversio, & eorum per orbem dispersio. Admirari etiam decet divinam providentiam, quâ agnos inter lupos & leones, hoc est, Christianos inter tyrannorum per-

persecutiones, conservarit, suamque Ecclesiam sanguine fundatam latius propagarit atque amplificarit.

PERIODI I. CAP. II.
De
Sec. II. Chr.

§. 1.

JAm late per orbem universum dissemina-ta Religione Christiana, numerus Chri-stianorum valde auctus fuerat. Inprimis cum Philosophi etiam eruditissimi Christo nomen darent, fidemque Christianam ad-versus gentilium calumnias strenue asser-tum irent. Quanquam inter hos etiam multi novarum hæresium fuerunt simul au-tores.

§. 2.

Doctores & Scriptores hujus ævi præci-puos nominare saltem libet; cum eorum vitæ & scripta in omnibus fere historiæ compendiis memorentur. Illi sunt *Igna-tius*, Episcopus Antiochenus, *Polycar-pus*, Smyrnensis Ecclesiæ Episcopus, *Justi-nus Martyr*, *Tatianus*, *Melito Asianus*, *Athe-*

Athenagoras, Athenienſis Philoſophus, *Hegeſippus* ex Hebræo Chriſtianus, *Theophilus* Antiochenus Epiſc. *Irenæus* Eccleſiæ Lugdunenſis Presbyter, *Clemens* Presbyter Alexandrinus, *Tertullianus* Carthaginenſis Afer, primum causidicus, deinde Presbyter Carthaginenſis. Reliquos, quorum ſcripta perierunt, aut fragmenta ſaltem ſuperſunt, aut qui ſuppoſititii ſunt, ut *Pſeudo-Decretales*, recenſere hic omittimus. v. *Dupin Biblioth. p. 334.*

§. 3.

Ignatius Apoſtolorum auditor & martyr ſanctiſſimus, *ſeptem* Epiſtolas in vinculis exaravit ad Smyrnæos, ad Polycarpum, ad Epheſios, ad Mageſios, ad Philadelphenſes, ad Trallianos & ad Romanos. Has *Iſ. Voſſius & Uſſerius* pro genuinis habent. Cæteræ, quæ ejus nomen præ ſe ferunt, pro ſuppoſititiis habentur. v. *Pearſonii in Prolegom. ad Vindic. Ignatii Epiſt. pag. 21. ſeq. & Euſeb. l. III. c. 36. H. E.* conf. *Dupini Biblioth. Nov. tom. I. pag. 57. ſeqq.*

§. 4.

Polycarpus poſt martyrium Ignatii Epiſtolam

ſtolam ad Philippenſes exaravit, quam *Uſſerius* Oxoniæ an. 1644. *Maderus* Helmſtadii an. 1653. & *Stephanus le Moyne* Lugduni Batavorum Græcè & Latinè evulgarunt. Meminit ejus *Euſebius l. IV. c. 14. H. E.* confer *Clar. Tenzelii Diſſert. de Polycarpo.* Σύγχρονος ejus fuit *Papias* Epiſcopus Hieropolitanus, cujus libroruum mentionem facit *Irenæus lib. V. adv. Hær. c. 33.* qui chiliaſmi autor habetur, ſed tamen *Baronius* in *Martyrolog. d. Februar. XII. pag. 131.* Eundem propterea non inter hæreticos cenſendum putat. confer *Dupini Biblioth. Nov. tom. 1. p. 76. ſeqq.*

§. 5.

Juſtinus Martyr Palæſtinus, ex Philoſopho Platonico Chriſtianus, ſub Antonino Pio floruit: opera ejus varia proſtant. Sed pro genuinis *duæ* ejus *Apologiæ*, pro Chriſtianis, duplex ejus *Oratio ad Græcos, & Dialogus cum Tryphone* Judæo, habentur, vid. *Euſeb. l. IV. cap. 15.* confer *Abraham. Sculteti Medull. Patr. l. 1, & Guil. Cave Hiſt. lit. fol. 37. ſeqq.*

§. 6.

§. 6.

Tatianus ex gentili Christianus orthodoxus, sed post obitum Justini M. hæreticis annumeratus, *Orationem ad Græcos* scripsit, quam *Eusebius l. IV. c. 29. H. E.* laudat, v. *Sculteti Medull. Patr. l. II. c. 6. & Hoornbeckii Miscell. Sacr. pag. 79. Dupin. B. N. tom. I. 97.*

§. 7.

Melito Asianus quæ scripsit, ab *Euseb. H. E. l. IV. cap. 26.* memorantur. Hodie fragmenta tantum quædam supersunt, quæ *Halloixius tom. II. cap. 835.* recenset. Librum ejus de *Transitu B. Virginis*, *Natalis Alexander Sec. II. P. I. p. 63.* prō spurio habet. v. *Cave Hist. lit. fol. 43.*

§. 8.

Athenagoras sub M. Aurelio Antonino & Lucio Vero, vel etiam Commodo, Imperatoribus clarus, *Apologiam* pro Christianis & Tractatum *de Resurrectione* mortuorum scripsit. Quæ viri sublimis opera an. 1685. hic Lipsiæ cum notis publicavimus. conf. *Dupini Bibl. Nov. t. I. p. 98.*

§. 9.

Hegesippus, Imperatoris Commodi ætate floruit, *libros* V. *Actuum Ecclesiasticorum* scripsit, quorum fragmenta *Eusebius H. E. l. II. c. 23.* exhibet. Hic cum Pseudo-Hegesippo, qui postea *l.* V. *de Bell. Jud.* consarcinavit, non confundendus est. v. *Dupin. Bibl. Nov. tom. I. p. 84.*

§. 10.

Theophilus Antiochenus sub M. Antonino Vero Imp. clarus, tres libros ad Autolycum, de *Fide Christianorum*, adversus ejusdem calumniatores exaravit. Qui Oxonii an. 1684. cum notis prodierunt. confer. *Euseb. l.* IV. *c. 24.* v. *Scult. Medull. Patr. l.* IV. Reliqua ejus scripta interierunt.

§. 11.

Irenæus, Polycarpi auditor, varia scripsit, teste *Eusebio* H. E. *l.* V. *c. 20. 24. & 26.* supersunt ejus *libri* V. *adversus hæreses*, quos latinè tantum habemus. Franciscus Feuardentius fragmenta quædam ex Græcis scriptoribus, suæ editioni addidit. conf. *Photii in Bibl. Cod. CXX. & Scultet. Med.*

Med. Patr. l. III. Chemnit. orat. de Lect. Patrum p. 2. & Dupin. l. c. p. 107. seq.

§. 12.

Clemens Alexandr. sub finem hujus seculi clarissimus, Origenis præceptor, vir πολυμαθέστατος, *libros IIX. Stromatum* varia eruditione refertos *Protrepticon ad gentes*, quo eas ad fidem Christianam invitat, *Pædagogum* tribus libris constantem, quibus Christianos in sanctis moribus informat, *Hymnum in laudem D. N. J. C.* Orationem περὶ τῶν, τὶς ὁ σωζόμενος πλούσιος, Oxonii an. 1683. cum aliis desideratis hactenus editam, reliquit. v. *Euseb. l. III. c. 23. Cave H. lit. pag. 55. Sculteti Medull. Patr. l. V. & Dupin. l. c. p. 119. seqq.*

§. 13.

Quint. Sept. Florens Tertullianus, primus ordine inter Patres Latinos, vir acumine, dicendi genere acer inprimis & vehemens, præter *Apologeticum* pro Christianis, quorum mores innocentes prædicat atque recenset, *varios libros* composuit, quos *B. Rhenanus* an. 1521. Basileæ, & an. 1634. *Nic. Rigaltius* cum notis publica-

vit Parisiis. De nævis ejus *consule Scultet. M. Patr. l. VII. Chemnit. l. c. p. 3. & Dupin. l. c. p. 126. seqq.*

§. 14.

De omnibus jam nominatis Patribus notandum est, istos suis non caruisse nævis. Cum enim maximam partem ex Platonis aut aliorum Philosophorum scholis nuper prodiissent, omnes errores, quibus antea imbuti fuerant, non statim exuentes, quosdam Christianæ doctrinæ hinc inde admiscuerunt. Quemadmodum & hæreses multas primorum seculorum, ex pravis Philosophorum sententiis enatas esse constat. *Coloss. II, 8.* Æquitas interim poscit, ne viros cetera pios, & non sponte errantes, statim in hæreticorum censum referamus.

§. 15.

Summam DOCTRINÆ hujus seculi *Irenæus l. 1. c. 2.* exhibet, quæ Symbolo Apostolico ferè congruit. v. *Tertull. de vel. virg. f. 192.* Nimirum eandem fidei regulam, Scripturam S. nobiscum agnoscebant, fideique nostræ Evangelicæ capita profitebantur. Id quod ex ipsorum scriptis *Centu-*

turiatores Magdeburgici Cent. II. c. IV. & B. D. Bebelius Antiquit. Eccles. Evangel. Secul. II. art. 3. prolixe probarunt. confer *Forbesii Instruct. Hist. Theol. l. 1. c. 3. Spanhemii Epitom. Isag. ad H. Eccl. Sec. II. n. III. & Dupini Biblioth. cit. t. I. p. 344. seqq.*

§. 16.

Controversiæ, quibus Christiani hoc ævo maximè exercitati fuerunt, aliæ à gentilibus; aliæ Judæis, aliæ ab hæreticis, aliæ ab ipsis invicem motæ sunt. *Gentiles* iis nefanda crimina objiciebant, ἀθεότητα, seu atheismum, cœnas Thyesteas, concubitus incestuosos & promiscuos, contemtum Imperatorum, crimen rebellionis & alia, quæ in Apologiis suis, Justinus Martyr, Athenagoras & Tertullianus diluunt atque refutant. v. *B. D. Kortholdi libr. de calumn.* quibus veteres Christiani adsperſi sint. *Judæi* JESUM esse verum Messiam negantes, legis Mosaicæ observationem urgebant. confer *Justini dialog. cum Tryphone.* Hæretici, ut Gnostici, Valentiniani, Hermogeniani, Montanistæ & alii plures, præcipua doctrinæ Christianæ capita vellicabant, teratologi-

as suas ex gentilismo petitas, Christianismo admiscere molientes, quod ex Irenæo, Clem. Alexandrino & Eusebio patet. *Victor*, Episcopus R. Episcopis in Asia orthodoxis, litem non necessariam super Paschate, quando illud celebrandum, movit. Quæ controversia magno animorum motu, usque ad concilium Nicænum agitata est. v. *Euseb. H. E. l. V. c. 23. & 24.* ita, ut, qui die XIV. Aprilis Pascha celebrandum statuerint, *Quartadecimani* velut hæretico vocabulo diffamarentur.

§. 17.

HÆRETICI famosiores in hæresiologiis passim notati, hoc seculo fuerunt *Saturninus*, *Basilides*, *Carpocrates*, *Adamiani*, *Cajani*, *Sethiani*, *Ophitæ*, *Valentinus* & ejus assectæ, *Cerdo*, *Marcion*, ejusque discipuli *Lucanus & Appelles*, *Gnostici*, *Docetæ*, *Melitonii*, *Tatiani*, *Encratitæ*, & horum sequaces, *Montanus*, & ejus assectæ, *Hermogenes & Praxeas*. Horum omnium historiam, post veteres scriptores, *Ittigius in Dissertat. de Hæresiarchis primi & secundi seculi* descripsit; cujus lectionem hic stu-

studiosæ juventuti merito commendamus. Nos pauca tantum de illis annotabimus.

§. 18.

Saturninus Antiochenus, (quem Epiphanius & Theodoretus *Saturnilum* appellant,) è schola Menandri ortus, unum Patrem omnibus incognitum statuit, Angelorum creatorem: Christum non verum hominem fuisse, sed formam tantum humanam habuisse: duo hominum genera, unum natura bonum, alterum natura malum agnovit, resurrectionem negavit, &c. vid. *Epiphan. Hæres.* XXIII. *Augustin. de Hæres. c.* III. *Philastr. Hæres.* XXXI.

§. 19.

Basilides Alexandrinus, Hadriano imperante, ingeniosior Saturnino videri volens, statuit, à Patre ingenito primo omnium natum esse, τὸν Νοῦν, ab hoc τὸν λόγον, à λόγῳ φρόνησιν, à φρονήσει σοφίαν & δύναμιν, à δυνάμει autem & σοφίᾳ Angelos & Archangelos, qui primum cœlum fecerint. Ab his vero alios natos esse Angelos, & ab iis iterum alios. v. *Irenæ-*

um l. I. *c.* 23. *Euseb. l.* IV. *c.* 7. *Epiphan. hæres.* XXIV. & *Ittig. l. c. c.* 2.

§. 20.

Carpocrates, Carpocras Epiphanio dictus, Alexandrinus, Philosophus ante Platonicus, statuit mundum ab Angelis productum esse; JESUM ex Joseph & Maria genitum pro nudo homine habuit. Præter magiam & incantationes, omne genus libidinis non permittebat tantum, sed & mandabat, ut viam ad perfectionem, sola opinione hominum discerni bona & mala, affirmans. v. *Iren. l.* I. *c.* 24. *Euseb. l.* IV. *c.* 7. *Epiphan. hæres.* XXVII. *August. de hæres. c.* 7. *Ittig. cap.* 7.

§. 21.

Adamiani, juxta *Theodoret. l.* I. *cap.* 6. *à Prodico* seducti, in conventibus suis Adami nondum lapsi nuditatem imitabantur, & in culpam aliquam lapsos societate sua ejiciebant, sicut Adamus Paradiso ejectus est: nuptias quoque improbarunt, cum interim promiscuas libidines sibi permitterent. v. *Epiph. hæres.* LI. *Damascen. hæres. c.* LI. & *Ittig. c.* IV.

§. 22.

§. 22.

Cajani seu *Cainiani* vel *Cajanistæ*, à Caino fratricida sic appellati; quia Cainum magnis honoribus dignum censuerunt. v. *Clem. Alexandr. l.* VII. *Strom. pag. 549.* Core etiam & Sodomitas, & pessimos quosque suos cognatos dixerunt, *teste Irenæo l. 1. cap. 35.* Judam quoque proditorem magni fecerunt, quod proditione sua hominum salutem procurasset. v. *Epiph. hæres* XXXVIII. & *Ittig. c. 3.*

§. 23.

Sethiani seu *Sethitæ*, ita dicti sunt, quod Sethum, Adami filium, ipsum Christum fuisse affirmarint. v. *Epiph. hæres. XXXIX. Augustin. de hæres. c. XIX. Ittig.* c. IV.

§. 24.

Valentinus, Philosophus in Ægypto Platonicus & Pythagoricus, in petitione Episcopatus rejectus, hæresiarcha factus est, multaque deliria de XXX. Æonibus, & eorum ridiculis syzygiis sparsit; Christum corpus suum ex cœlo attulisse, & per Mariam instar aquæ per fistulam transiisse, somniavit. Finxit & tria ho-

minum genera, *carnale*, *animale* & *ſpirituale*; Reſurrectionem hujus carnis negavit. v. *Iren. l. I. c. 1. & 5. Tertull. libro adverſus Valentinianos*, *Euſeb. l. IV. c. 11. Epiphan. hæreſ. XXXI. Auguſt. de hær. cap. 9. & Ittig. 5. & de Valentiniani aſſeclis, c. 6.*

§. 25.

Cerdo vel *Cerdon* Valentini σύγχρονος, è Syria oriundus, duo finxit cum Simone Mago Deos, unum *bonum*, alterum *malum*; illum ſuperiorem & incognitum omnibus, hunc mundi creatorem: Superioris filium eſſe Chriſtum, quem non veram carnem, ſed carnis phantaſma aſſumſiſſe, nec revera paſſum eſſe, reſurrectionem corporis etiam negavit. v. *Iren. l. I. c. 28. & l. III. c. 4. Epiph. hæreſ. XLI, Auguſt. de hæreſ. c. XXI.*

§. 26.

Marcion, Synopenſis Ponticus, Epiſcopi filius, Philoſophus ante Stoicus, Cerdonis diſcipulus, ob ſtupratam virginem communione Chriſtianorum excluſus, hæreſin à magiſtro ſuo hauſtam, Antonini Pii tempore ſparſit. Polycarpus eum pri-

primogenitum Satanæ dixit. v. *Iren. l.* III. *c. 3. Euseb. l.* IV. *c. 14.* Duos Deos, *bonum & malum* finxit; Vetus Testamentum à malo DEO profectum respuit; Novum vero pro lubitu mutilavit, expunctis præsertim istis locis, quæ de vera Christi generatione & carne agunt, cujus etiam resurrectionem negavit, conjugium rejecit; Cainum, Sodomitas, Ægyptios & omnes gentes sceleratas salvatas; contra Abelem, Enochum, Noachum, & Patriarchas cum Prophetis damnatos fuisse, dixit. v. *Iren. l. I. c. 29. Tertull. l. adversus Marcionem. Euseb. l.* IV. *c. 11. Epiphan, hær.* XLII. *Aug. de hær. c.* XXII. *Ittig. c. 7.*

§. 27.

Lucanus & Apelles, Marcionis discipuli fœda Marcionis dogmata propagarunt, aliisque sceleratis sententiis interpolarunt. Lucanus inter alia statuit, neque carnem, neque animam, sed tertium quid resurrecturum esse. v. *Tertull. de Resurr. c. 2. Appelles*, scortator, revelationes Philumenæ scorti sui jactavit, Mosis libros rejecit, v. *Origen. l. V. contra Celsum.*

sum. Epiphan. *hær.* XLIV. Euseb. *l.* V. *cap.* 13. Plura de blasphema hominis doctrina tradit Ittig. *c.* 8.

§. 28.

Gnostici, ἀπὸ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, quam jactabant, appellati, ex Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratis & Valentini disciplina colluviem quandam monstrosarum sententiarum collegerunt; quare illos Augustinus *Fabulones* vocat. Variis deinde modis nominibusque inter se distincti, nominatorum jam hæreticorum deliria interpolarunt. Historiam illorum contexuit Ittigius *l. c. c.* 9.

§. 29.

Docetæ seu *Docitæ* tradiderunt, Christum δοκήσει πεφυκέναι seu *opinione natum esse*. Unde & Phantasiastæ appellati. v. Ittig. *c.* X. *Anthropomorphi* etiam dicti, quod Christi corpus speciem tantum humanam referre, somniarent.

§. 30.

Melitonii, a Melitone dicti, DEI imaginem in corpore, non in anima quærendam esse docuerunt, quod DEUM corporeum esse somniarent, v. Ittig. *c.* XI.

§. 31.

§. 31.

Tatiani à Tatiano Syro, Justini M. discipulo appellati, conjugium opus Diaboli dixerunt: Adamum salvatum esse, negarunt. Abstinentiam ab esu carnium & potu vini requirebant, inde & *Encratitæ* appellati. In Eucharistia loco vini aquam adhibebant, *Aquarii* inde cognominati. v. *Iren. l. I. c. 3. & 31. l. III. c. 39. Euseb. l. IV. cap. 29. Epiphan. hær.* XLVI. *August. de hær. c.* XXV. Cæterum *Tatianus* ille primum harmoniam Evangelistarum adornavit, v. *Euseb. l.* IV. *c. 29. & Ittig. c.* XII.

§. 32.

Montanistæ à Montano, qui se Paracletum illum spiritum veritatis mentitus erat, appellati, damnarunt conjugium lapsis pacem denegabant: jejunia nova & inusitata introducebant: martyria ambibant, nec persecutionis tempore fugam esse licitam statuebant. Jactabant etiam visiones propheticas. v. *Euseb. l. V. c. 14. 16. seqq. Epiphan. hæres.* XLIIX. *Augustin. de hæres.* XXVI. *Ittig. c.* XIII. Dicti quoque à patria Montani *Peputiani & Cataphryges.*

§. 33.

Hermogenes Afer, materiam DEO coæternam statuit, ex qua DEUS omnia postea fecisset. Quem *Tertullianus* libro peculiari confutavit, ejusque asseclas *Materiarios* nuncupavit.

§. 34.

Praxeas, a quo *Praxeani & Patripassiani* nominantur, hæresin in Asia primum, deinde Romæ sparsit: adversus quem peculiaris *Tertull.* disputatio extat. Hermogenis errorem amplexus, Christum ascendendo corpus suum in sole deposuisse, & Patrem in Christo passum esse deliravit. v. *Ittig. c.* XVI.

§. 35.

Harum si hæresium quæras originem, multa ex Gentilium Philosophia derivari possunt. Varia de hoc apud *Tertullianum* loca extant. Unum tantum hic ex libro de *Præscript. c.* VII. *f.* 232. adscribemus; *Ipsæ denique hæreses*, inquit, *a Philosophia subornantur. Inde Æones, & formæ, nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis DEUS me-*

melior de tranquillitate; a Stoicis venerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis observatur &c. Tandem subdit: *viderint, qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum Christianismum protulerunt.*

§. 36.

Synodos vel Concilia quædam particularia, ob controversias exortas habita fuisse, ex *Eusebio* constat: ut in Asia ob Montani & Cataphrygum hæresin, apud *Eusebium l. V. c. 16.* item ob controversiam de die, quando Pascha celebrandum, deque jejunio ante Pascha usitato, apud *Euseb. l. V. c. 23. & 24.* ubi Episcopi R. Victoris Ecclesias Asiaticas excommunicantis ambitio & audacia notatur, quam Irrenæus & Polycrates maximè improbarunt; ut Baronius erubescere debuerit, quod inde Episcopi R. autoritatem probare non dubitarit ad *An. Chr.* CIIXC. *n. 10. & 11.* v. *Cent. Magd. Cent.* II, *c. 9, & Dupini Bibl. p. 330. seqq.*

§. 37.

Ecclesiæ Regimen hoc tempore penes Episcopos & Presbyteros, popu-

pulo tamen in arduis rebus non excluso, fuisse, ex Cypriano & Eusebio constat. Episcopi tantum prærogativa ordinis gaudebant: unde & προεστῶτες, *antistites*, *ap. Just. M. Apolog. II. pag. 76. 77.* appellantur. Tales in præcipuis tunc Imperii Urbibus seu metropolibus residebant, ut Hierosolymis, Antiochiæ, Romæ, Alexandriæ & Byzantii. Quorum nomina *Eusebius* passim *Hist. Eccl. l. III. cap. 2. 35. lib. IV. cap. 5. 6. lib. V. c. 12.* item in *Chronico ad ann. CIIX. & CXII.* allegat. confer. *Nicephori Chronolog. pag. 159. & Camerarii Append. pag. 160.* it. *Cent. Magd. Cent. II. c. 7. & 10.* Nulla tamen adhuc Episcopi Romani potestatis prærogativa fuit; etsi *Victor* illam ambiret, & *Tertullianus* sedi Romanæ veteri stylo usus, *Pontificatum maximum* tribueret, *de Pudic. c. 1.* Ambitiosa quippe Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Patriarcharum & Primatum nomina hoc ævo in Ecclesia ignota erant. In Ecclesiis particularibus, regimen vel directio ordinis, erat penes *Presbyterium*, hoc est, collegium ex Presbyteris & Diaconis constans.

conf.

conf. *Dodwelli dissertat. Cyprian. IX.*

§. 38.

Episcopi à Clero & plebe eligebantur, quod *Cyprianus l. I. Epist. 67.* ex traditione divina & Apostolica observatum fuisse scribit. Inde ordinationes eorum per χειροτονίαν, seu electionem, suffragiis factas scribitur. Munus Episcoporum fuit docere populum, administrare Sacramenta, & curare disciplinam Ecclesiasticam; ne pravi mores inolescerent. Episcopos uxores etiam habuisse, ex *Eusebio l.* IV. *c.* 23. constat. Diaconi curam pauperum & ægrotorum præcipuè gerebant; quidam etiam sacra obibant munia. *Diaconissarum* ministerium fuit in baptismo fœminarum, in cura ægrotorum & captivorum.

§. 39.

Disciplina *Ecclesiastica* quoque multo adstrictior fuit, quam cum Ecclesia magistratus Christianos nacta esset. De ea ex Tertulliani Apologetico, & Cypriani Epistolis inprimis constat. confer. *Cave* librum de *Primo Christianismo*. Qui gra-

graviori peccato inquinati fuerant, eos è communione sua ejiciebant. Exemplum apud *Euseb. l.* IV. *c.* 11. extat. confer. *Plin. l.* X. *Ep.* 97. Per pœnitentiam tamen & subsecutam exomologesin Ecclesiæ reconciliabantur. v. *Spanhemii Isag. Hist. Sec. II. n.* 4. *p.* 215. Morum sanctitas tum Christianos à Gentilibus distinguebat. Hodiè, quæ *Justinus Martyr & Tertullianus* in Apolog. de veteribus Christianis prædicant, in paucis admodum deprehendes. conf. *Dupini Bibl. tom.* 1. *p.* 353. *seqq.* 349.

§. 40.

RITUS ex ævo Apostolico derivati pauciores erant. Diem Dominicam, festum Paschatos & Pentecostes quotannis solenniter celebrant. v. *Tert. de Cor. Milit. cap.* 3. Preces in conventibus sacris ad DEUM fundebant, hymnos simul canentes, ut *Plin. Ep. cit.* testatur. Jejuniis vacabant solennibus ante Pascha; quod tamen non fuit dierum XL. Signaculum crucis, quo frontem subinde signabant egressuri aut aliquid acturi, *Tertullianus de Cor. Mil. c.* 3. memorat. Oraturi ad Orientem sese con-

convertebant; quia oriens Christi figura esset in scripturis, ut *Tertullianus* habet. *c. III. adversus Valentinianos.* Alios ritus, quos superstitio postea peperit, huic ævo ex suppositiis scriptoribus tribuunt Pontificii, quos doctissimus *Dallæus* passim refutavit. v. *Librum ejus adversus Latinorum de cult. religios. object. Traditionem, & Cent. Magdeb. II. c. 6.* De ritibus in baptismo & S. Eucharistia usitatis v. *Spanhemii Epitom. Isag. ad Histor. Eccl. N. T. Sec. II. n. 4, & Dupin. Biblioth. tom. I. p. 349. sqq.*

§. 41.

Persecutiones seculo hoc tres fuerunt truculentæ. *Primam* juxta *Eusebium A. Ch. CIIX.* excitavit *Trajanus*, Imperator, vulgo *optimus* dictus, quæ usque ad *Ann. Chr. CXVII.* duravit. v. *Euseb. l. III. c. 10. & 36. Baron. ad A. C. CX. n. 10. & Plin. Epist. 97. l. X. cum Vossii annot.* causa ejus allegatur, quod ipsis Christianorum ἑταιρίαι, h. e. solennes conventus, (quæ & *conventicula* appellantur) suspectæ essent: Ideoque publicis edictis vetabantur. vid. *Epist. Plin. cit. & Tertull. Apo-*

Apologet. c. 2. confer *H. Grotii Epist. ad Gallos*, quæ *Steph. Curcellæo* inscribitur, *CXCIX. Alteram* (quæ *quarta* vulgo audit) sub Hadriano Christianos presit, nec ita cruenta, ut prior fuit. Ideo forte etiam à *Lactantio de Mort. Persecut.* omissa est. An *Quadratus & Aristides*, pro Christianis interpellando, Cæsaris animum mitigarint, non satis constat. vid. *Euseb. l. IV. c. 3. & 9.* Memorat illam *Sulpitius Severus*, *l. II. Hist. Sacr.* Tertia (*quintæ* alias) sub Antonino Pio cœpit, & imperantibus Aurel. Anton. Philosopho & Lucio Vero, fratribus continuata fuit. v. *Euseb. l. IV. c. 13. & 18. Tertull. in Apologet. cap. V.* Apologias pro Christianorum innocentia exararunt supra memorati Apologetæ, Justinus M. Athenagoras & Melito confer *Eusebium libr. V. cap. 1.* qui illustres Martyres, Lugduni pro Christi gloria occumbentes, memorat.

§. 42.

Hac persecutionum tempestate, non tantum nomen *Martyris*, (h. e. qui pro Christiana veritate vel mortem subiit, vel

vel tormentorum sævitiam toleravit, aut superavit) frequens erat; sed & alia nomina in Ecclesia innotuere Christianis tributa: ut *Lapsorum*, qui persecutionis tempore Christum abnegarunt, aut in graviora peccata lapsi peccarunt. vid. *Cyprian. Serm. de Lapsis. & Euseb. libr. VI. c. 41.* Prioris generis *Lapsi* iterum quatuor nominibus distingui solebant: Aliqui dicebantur *Sacrificati*, qui idolis gentilium sacrificaverant, aut de sacrificiis eorum participaverant: Aliqui audiebant *Thurificati*, qui more gentilium thus adoleverant: Aliqui vocabantur *Libellatici*, vel quod libello præsidi provinciæ exhibito negarent, se Christianos esse; vel quod libellum ære redemissent securitatis, ne ad martyria traherentur. In hos Cyprianus in Epistolis suis invehitur. Alii denique *Traditores* appellati sunt, quod metu cruciatuum territi, vel sacros codices, vel Christianorum libros ethnicis inquisitoribus comburendos traderent. v. *doctissimi T. Pfanneri Observat. Ecclesiast. 2.*

§. 43.

§. 43.

Deinde & aliqui *Stantes* vocabantur, qui in fide Christiana perſiſtentes, nullo martyrii metu ab eadem ſe abſtrahi patiebantur. Et hi diſtinctis nominibus vel *Confeſſores* vel *Martyres* dicti fuerunt. Illorum nomen inde eſt, quod propter confeſſionem fidei vel carceres vel tormenta etiam toleraſſent. vid. *Tertull. libr. ad Martyres.* Si in carcere forte ante martyrium obirent, etiam Martyrum elogio honoratos fuiſſe, ex *Cypriani Ep. XXXVII.* patet. conf. *Dodwelli Diſſert. Cyprianic. XI. & XII.* in quibus tamen nonnunquam nimis profanè de Martyribus philoſophatur.

§. 44.

Perſecutionis modi & tormenta crudeliſſima erant. Primum quidem blanditiis ad Gentiliſmum & cultum Deaſtrorum pellicere Chriſtianos tentarunt; ſed cum hæ fruſtra eſſent, ad vincula & carceres rapiebant. Si vero & his Chriſtianorum conſtantia frangi nequiret, tormenta exquiſitiſſima parata erant; plagæ,

gæ, violenti tractus, cathedræ ferreæ, secures, trabes, tympana, gladii, retia, stigmata, cruces, rogi. v. *Euseb. libr. V. c. 1. H. Eccl. Tertull. Apologet. c. XII. Prudent. hymn. l. III. & V. περὶ στεφάνων, & Arnob. l. I. adversus gentes.* Bestiis etiam, ut leonibus, pardis, ursis ac tauris dilaniandi objiciebantur, quod genus supplicii θηριομαχία vocatur. vid. *C. Sagittarii tract. de Martyrum cruciatibus.*

§. 45.

Ossa Martyrum collecta Christiani superstites honeste sepeliebant, ut de Polycarpi & Justini M. ossibus *Eus. l. IV. c. 15.* testatur. Diem etiam martyrii Sanctorum, instar natalis celebrabant, eorumque nomina in sacris conventibus recitabant fideles, ut alios ad similem constantiam excitarent. Quæ pietas veterum in Martyres, labentibus seculis ansam superstitioso Martyrum & Reliquiarum cultui præbuit. v. *Dodwelli Dissert. Cyprian. V.* de *Diptychis.*

§. 46.

Ad Memorabilia hujus seculi etiam

iam spectant alia: ut (1.) quod Philosophia Platonica viguerit, in qua *Maximus Tyrius* excelluit, nec imperiti ejus fuerunt ex Christianis conversis *Justinus Martyr*, *Athenagoras*, & alii: (2.) Quod studia literarum foverint Imperatores Hadrianus, Antoninus Philosophus, Severus: (3.) Quod *Trajanus* à Romanis magnis elogiis ornatus, magnis vitiis laborarit, & in Christianos tyrannus extiterit: (4.) Quod Christianis nulla adhuc templa fuerint publica; habuerint licet *conventicula* ac *domos DEI*, v. *Arnob. adverſ. gent. l. VI. Lactant. l. V. inſtit. c. 7. & Tertull. de Idolol. c. 7.* Græcis vocabantur προσευκτήρια. v. *Euſeb. l. VIII. c. 22. & Valeſii not. in h. l.* (5.) Quod *Barcochebas*, impoſtor Judæus, ſe pro Meſſia venditarit; ſed fraude detecta, à Judæis *Barchosba*, h. e. filius *mendacii*, dictus. confer *Euſeb. l. IV. H.E. c. 6. & 8.* (6.) Quod dira Chriſtianorum perſecutio Eccleſiam fecerit auctiorem, teſte *Tertulliano Apologet. c. 50. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.* (7.) Quod *legio* Chriſtianorum *Fulminatrix* ſub M. Aure-

Aurel. Antonino *A. C. CLXXIV.* Romano exercitui graviſſima ſiti laboranti, precibus ſuis pluviam impetrarit; barbaros vero hoſtes fulminibus immiſſis proſtraverit, ut *Juſtinus M. ſub fin. Apolog. II. Tertull. Apolog. c. 5. Euſeb. l. V. c. 5. Dio Caſſius in Excerpt. Xiph.* teſtantur. (8.) Horribiles terræmotus Antiochiæ, Cæſareæ & Neapoli facti, ap. *Euſeb. Chronic.* A. Chr. CXIV. XXVIII. & XXX.

§. 47.

Nobis hic iterum obſervare & venerari convenit divinam providentiam, qua Eccleſiam fovit, auxit atque propugnavit tum adverſus Judæorum in Chriſtianos odium, tum adverſus gentilium Philoſophorum ſtrophas & tyrannorum vim atque arma, tum denique adverſus tot hæreticorum male ſanorum deliria, quibus religio Chriſtiana vel contaminabatur, vel apud imperitos diffamabatur. Eluxit etiam DEI bonitas, quod Chriſtianos inter tot agones perſecutionum delaſſatos velut refocillarit, indulgendo Eccleſiæ halcyonia. Nam Luc. Commodo Antonino imperante, pax univerſæ per

orbem Ecclesiæ concessa fuit, teste *Eusebio l.* V. *c.* 21. Fas etiam fuerit contemplari hic & imitari veterum Christianorum innocentiam morumque sanctitatem, quam ipsorum Apologiæ passim loquuntur. Quid? & doctrinæ puritas, rituumque simplicitas ac disciplinæ sanctioris religio, quæ tum viguit maxime, à nobis in exemplum trahi debet. Contra vero detestanda Satanæ vafrities, qua per tot novas hæreticorum sectas monstrosas, duo Christianismi veri fulcra, fidem seu doctrinam sanam, vitamque sanctam subruere molitus est. Si enim præcipua Religionis Christianæ Capita respicias, nullum fuit, cui non hæresis aliqua opponeretur, aut impugnaretur; accedente Gnostieorum colluvie, quæ omnem simul vitæ puritatem conspurcare aut tollere machinabatur. Nec prætermittendus *Victoris* Episcopi R. inconsultus zelus atque typhus, quo incensus Ecclesias Orientales, ob dissensum levem, circa Paschatis tempus, anathemate ferire non dubitavit. v. *Euseb. H. E. l.* V. *cap.* 23. *seqq. Socrat. l.* V. *c.* 21. Fallor, aut hoc pri-

primum ambitionis & dominatus Sedis Romanæ vestigium fuit, quod in historia Papatus annotari meretur.

PERIODI I. CAP. III.
De
Sec. III. Chr.

§. 1.

Sub initium hujus seculi, imperante adhuc Severo, Ecclesia quidem per dissitas orbis provincias latius propagata, incrementa cepit insignia; sed tamen pluribus iisque truculentis persecutionibus ingruentibus, multo sanguine Martyrum adsperſa fuit. Doctores interim Religionis puritatem, adversus hæreticos strenue asseruerunt.

§. 2.

Hos inter, insigniores celebrantur *M. Minucius Felix*, *Hippolytus*, *Julius Africanus*, *Origenes*, *Cyprianus*, *Gregorius Thaumaturgus*, *Dionysius Alexandrinus*, *Methodius*.

§. 3.

M. Minucius Felix, causidicus Romanus, scripsit *Dialogum* insignem, diu pro octavo Arnobii libro habitum; in quo vanissimum Gentilium cultum ingeniose & venuste convellit, simulque Christianorum sectam à calumniis Cæcilii nervose vindicat. Extat ille variis notis ab *Onzelio* illustratus, qui ann. 1672. Lugd. Bat. denuo prodiit. v. *Dupin. Bibl. c. 84.*

§. 4.

Hippolytus, Irenæi discipulus, quem Episcopum fuisse Portus in Arabia, *Le Moyne* conjecit in *Proleg. ad Var. Sacr. Librum de Paschate* scripsit, & alia, de quibus *Guil. Cave in* H. *lit.* consulendus, & *Dupin. Bibl. pag. 176. seqq.*

§. 5.

Julius Africanus a patria haut dubie dictus, de *Chronographia libros* V. exaravit, quos *Eusebius l. 6. c. 31.* laudat. Epistola ejus, & opus τῶν Κεστῶν, laudatus *Cave* recenset. v. *Dupini Bibl. cit. p. 181. seqq.*

§. 6.

§. 6.

Origenes, Ægyptius, circa medium hujus seculi maxime clarus, Catecheseon Alexandriæ magister, ob labores & industriam indefatigabilem, χαλκέντερος & *Adamantinus* ideo appellatus: primus inter Christianos commentarios in S. Scripturam composuit, librosque plurimos exaravit. Multi in eo nævi notantur, vid. *Vincentii Lerinens. Commonit. cap. XXIII. Chemnit. Orat. de Lection. Patr. p. 3. Sculteti Med. Patr. l.* VI. *Cave Hist. lit. f. 74. sqq. & Huetii Origeniana.* Ipse ex S. Codicis interpretatione LXX. virali, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis & aliis, Hexapla & tandem *Octapla* ordinavit. De quibus, vid. *Dan. Heinsii Aristarchum Sacr. p. m. 208. seq.* conf. *Dupin. Bibl. cit. p. 190. seqq.*

§. 7.

Thascius Cæcilius Cyprianus, Carthaginensis, ex gentili Oratore Christianus & Carthaginensium Episcopus, Tertulliani discipulus & admirator. v. *Hieron. in Catalog. 6. 35. & Vinc. Lerin. common. c.* XI.

Martyrium ejus *Prudentius* περὶ στεφ. V. refert. Opera cum notis *Rigaltius* edidit; quibus non ita pridem Dissertationes Cyprianicæ *Dodwellii*, & alia, in nova editione Oxonienſi, opera Joh. Fell. Epiſc. Oxon. acceſſerunt. Epiſtolæ ejus multa, quæ ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectant, egregia continent. Nævos ejus *Scultetus l.* VIII. *M.* P. annotavit; *adde Chemn. Or. c. p. 3. & Dup. Bib. p. 230. ſeqq.*

§. 8.

Gregorius Neo-Cæſarienſis Epiſcopus, a miraculorum dono *Thaumaturgus* appellatus, auditor Origenis, ſcripſit Epiſtolam ad Cyprianum, quæ inter Cyprianicas eſt XXX. *Librum de Trinitate* & alia, de quibus tamen eruditorum judicia variant, vid. *Cav. H. lit. f. 93. ſeq. & Dupin. Bibl. cit. p. 285.*

§. 9.

Dionyſius Alexandrinus, circa medium hujus ſeculi clarus, ſcripſit librum de *Pœnitentia, de Martyrio libr.* IV. adverſus Sabellium, & alios, inprimis Epiſtolas varias, quas *Cave in* H. *lit. p. 69. ſeq.* recenſet. v. *Dupin. Bibl. pag. 289. ſeqq.*

§. 10.

§. 10.

Methodius, Tyri Episcopus, tempore Diocletiani floruit, *Eubulius* appellatus, de Resurrectione librum contra Origenem, Symposium X. virginum, quod *Leo Allatius* edidit, v. *Cav. H. lit. f. 105. & Dupin. Bibl. p. 303.*

§. 11.

Doctrina *catholica* in Ecclesia hoc ævo proposita, ex publicis formulis seu symbolis, Romano, Antiocheno & Patribus jam laudatis demonstrari potest. v. *Tertull. de Præscript. c. XIII. & de velandis Virgin. c. 1. & adversus Praxeam:* item *Gregorii Thaumaturgi Expositi. Fidei, a Gerv. Vossio Moguntiæ an. 1604. edit. pag. 22. 23. Forbesii Instruct. Hist. Theolog. l. 1. c. 4. Magdeburg. Cent. III. c. 4. B. D. Bebelius Antiq. Eccl. Evang. Sec. III. Art. III. S. 1. seqq.* per singula fidei Evangelicæ capita ostendit, eandem doctrinam, quam nos hodie profitemur, & illo tempore obtinuisse. Quanquam & illud notandum hic veniat, quod Patres hujus ævi vocabulis quibusdam usi sint, ut *traditionis*, *altaris*,

sacrificii, confessionis, satisfactionis, indulgentiæ, meriti & similium, quibus Romanenses hodie ad palliandos errores suos abutuntur, cum illos alio longe sensu ista adhibuisse constet.

§. 12.

CONTROVERSIÆ inter Christianos hoc seculo plures agitatæ sunt. Romæ inter Cajum & Proclum Montani sectatorem disputatio fuit habita, quam *Hieronymus in Catalog. c.* LIX. laudat. Agrippinus, Carthaginensis Episcopus, hæreticorum Baptismum primus impugnavit', quem postea Cyprianus secutus est, statuens eos, qui ab hæreticis baptizati fuissent, rebaptizandos esse. v. *Cypriani Epist.* LXX. *& seqq.* Cui Stephanus Episcopus Rom. hac in parte acriter contradixit. vid. *Cypr. Epist.* LXXIV. *& Euseb. l.* VII. *c.* 3. inde motus gravissimi exorti, quos Dionysius Alexandrinus, vir moderatioris animi, post excessum Stephani composuit. v. *Euseb. l.* VII. *c.* 5. *& Natalis Alexandr. Hist. Eccles. Sec. III. Part. II. dissert.* 23.

§. 13

§. 13.

Non minori vehementia circa medium hujus seculi, *Novatus* contra Cornelium Episcopum R. contendit, post Baptismum lapsos in graviora peccata, inprimis apostasiam, ab Ecclesia non esse in communionem recipiendos. Cujus sententiam etiam Novatianus, Pseudo-Episcopus Romanus adprobavit. v. *Euseb. l.* VI. *c.* 43. & *l.* VII. *c.* 5. & 8. *Socrat. H. E. l.* IV. *c.* 23. *Epiphan. hær.* LIX. Cyprianus quidem *Epist.* XLII. & XLV. & Dionysius Alexandrinus hanc litem consopire laborarunt; sed frustra. v. *Euseb. l.* VI. *c.* 45. & hæc causa fuit, cur multi Catechumeni Baptismum differrent, ne, ut *Augustinus l.* 1. *c.* 11. loquitur, major & periculosior in sordibus delictorum reatus esset.

§. 14.

Turbas in doctrina enatas auxerunt Pauli Samosateni & Manichæorum hæreses, fundamenta Christianismi convellentes, de quibus jam plura memorabimus.

§. 15.

Inter Hæreticos hujus seculi primos

Helcesaitæ, vel *Elcesai* ab Elkai quodam dicti, collocandi sunt. Qui cum Ebionitis Christi Deitatem negarunt & Spiritum S. ejus sororem appellarunt; Apostoli Pauli scripta rejicientes, librum e cœlo delapsum sibique traditum jactarunt. Et quia magiæ studio dediti, futura etiam prænunciarunt, *Prognosticos* se dici volentes, v. *Euseb. l.* VI. *c. 38. Epiphan. hæres. XIX. XXX. & LIII. & Irtigii Diss. de Hæres. Sect. II. c. 16.* Jungimus hic ex *Euseb. l. VII. c. 33.* BERYLLUM, Bostræ in Africa episcopum, qui itidem negavit Christum θεότητα ἰδίαν, *propriam divinitatem* habuisse, sed solam Patris in eo extitisse.

§. 16.

Arabici, a patria sic dicti hæretici asserebant, animas hominum simul cum corporibus mori & corrumpi, ἅμα τῇ τελευτῇ συναποθνήσκειν καὶ συνδιαφθείρεσθαι, resurrectionis tempore, ad vitam redituras. Quorum errorem *Origenes* refutavit. vid. *Euseb. l. VI. c. 37.*

§. 17.

Novatiani a Novato pessimo homine ap-

appellati, v. *Cypriani Epist.* XLIX. Qui teste *Eusebio l.* VI. *c.* 43. negavit ἐκ γνώμης μισαδέλφου καὶ ἀπανθρωποτήτος, lapsos, licet resipiscentes in sinum Ecclesiæ recipi & absolvi posse. Fons erroris fuit Stoicismus, aut Montanistarum error, qui virum gravem non facile flecti aut labi posse asseruerant. v. *Epiphan. hæres.* LIX. confer. *M. Anton. de Dominis de Rep. Eccles. l.* V. *c.* 7. *n.* 51. Cyprianus hac de causa Novatianum, qui cum Novato philosopho Stoico fecit, *misericordiæ hostem* appellat. confer. *Augustin. de hæres. c.* 38. ipsi *Novatiani* sese καθαρούς, h. e. *puros* vocabant, quod cum lapsis nullum commercium habere vellent. Maligne hunc errorem nostro B. Luthero tribuit *Bellarminus. l.* 1. *de pœnit. c.* 9.

§. 18.

Noëtus (Epiphanio ἀνόητος appellatus) Praxeæ hæresin instaurans, unam tantum in Deitate personam, variis nominibus appellatam statuit. Discipuli ejus *Noëtiani* dicti sunt. Qui deinde *Sabellianorum* nomine comprehensi sunt, teste *Augustino de hær. c.* 36. & 41.

§. 19.

Sabelliani a Sabellio Afro dicti, eundem cum Noëto errorem foverunt, SS. Trinitatem negantes: tria tantum Nomina, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum agnoverunt. v. *Euseb. lib.* VII. *c. 6.* Appellati etiam fuerunt *Patripassiani*, quod Deum Patrem, in Filio passum esse, statuerent. vid. *Epiphan. hæres.* LXII. & *Augustin. de hæres.* XLI, *Socrat. lib. II.* H. E. *c. 19.*

§. 20.

Samosateniani a Paulo Samosateno Episcopo Antiocheno, Samosata oriundo appellati, imperante Gallieno, hæresin Sabellii amplectentes, Filium DEI non λόγον ὑποστατικὸν sed προφορικὸν, nudumque hominem fuisse, blasphemarunt. v. *Euseb. lib.* VII. *c. 27. 29. 30. Augustin. de hæres. c. 26. 41. & 44. Epiphan. hæres.* LVII. & LXII. LXV. complices ejus παυλιανίσαντες, *Pauliani & Paulistæ*; item θεκτόνοι, κυριοκτόνοι & ἀρνησίθεοι dicuntur. conf. *Nat. Alexandri* H. E. *Sec. III. Part. I. artic. 8.*

§. 21.

§. 21.

Manichæi, a Manete, ante *Cubico* dicto, nomen sortiti, qui Claudio imperante, duo inter se contraria principia omnium rerum cum Simonianis finxit, unum *bonum*, quod *lucem*, alterum *malum*, quod *tenebras* vocavit: V. Testamentum, quasi a malo DEO profectum, repudiavit. Promiscuam libidinem permisit, ut caro mortificaretur. Hæresin hanc pestilentissimam *Epiph. hæres.* LXVI. & *Augustinus l.* XVI. *contr. Faustum & hær. c. 46.* pluribus descripsit. confer. *Euseb. l.* VII. *cap. 31. & Natal. Alex.* H. E. *Sec. III. Part. 1. art. 9.* Gualterius Jesuita per immanem calumniam in *Tab. sua Chronograph. Sec. III. c. 19.* Luthero hanc hæresin tribuit.

§. 22.

Natalis Alexander loc. cit. *Hieracitas* ab Hierace sectæ autore appellatos propaginem Manetis facit. Sed cum prætextu singularis cognitionis, a magistro suo hausta, errores spargerent, rectius forte Gnosticis accensentur. v. *Origen. Philocal. c.* V. *Epiphan. hær.* LXVII. & *August. de hæres. c. 47.*

§. 23.

Nepotiani, à Nepote Episcopo quodam Ægyptiaco appellati, rejecerunt Legem, Prophetas & Evangelia, comminiscentes τινὰ χιλιάδα ἐτῶν τρυφῆς σωματικῆς ἐπὶ τῆς ξηρᾶς ταύτης; ita cum Cerintho locum Apocalyps. XX. de regno millenario perverterunt. v. *Euseb. lib. VII. c. 24.*

§. 24.

SYNODI, ob controversias in doctrina enatas variæ, sed particulares hoc ævo coactæ sunt. *An. Chr. CCXVII.* Agrippinus Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus, in Africa omnibus Numidiæ Episcopis convocatis, pro *iterando hæreticorum baptismo* decretum fecit. v. *Baron, ad A. Chr. CCXVII. n. 1. 2. 3.* In causa *Lapsorum* Cyprianus *A. Chr. CCLIV.* Synodum egit. v. *Cypriani Epist. 41. 42. & 55.* In hac Novatiani asseclæ, ejusque literæ ad synodum missæ fuerunt rejectæ, ipseque *Felicissimus* infelix schismatis autor, tanquam fidei desertor exclusus est. v. *Cyprian, Epist. 40. 52. & 55. & Baron. ad A. Chr. 254. n. 83. seqq.*

§. 25.

§. 25.

Eodem tempore Clerus Romanus, ad evitandam invidiam *Lapsorum* h. e. sacrificatorum, thurificatorum & libellaticorum, Romæ Synodum celebravit. In qua decretum, ut infirmi quidem de vita periclitantes, prævia confessione & pœnitentia reciperentur; aliorum vero causa & reconciliatio ad electionem novi Episcopi differretur: Ita *Binnius* refert. A. Chr. CCLIV. Cornelius Episcopus R. Romæ Synodum coëgit, qua decretum Synodi Carthaginensis repetitum & confirmatum fuit; nempe *Lapsos* quidem ad pœnitentiam admittendos, sed ad communionem, non nisi satisfactionis ecclesiasticæ tempore adimpleto. v. *Cypr. Epist. 54. 64. & 67. & Bar. ad ann. 254. n. 90. 91.*

§. 26.

An. CCLVI. Cyprianus denuo Synodum, ad collapsam disciplinam restaurandam, egit. v. *Cypr. Epist. 66. Baron. ad an. cit. n. 13.* insequenti anno Cyprianus, in causa Basilidis & Martialis episcoporum Libellaticorum, denuo Synodum convocavit. ap. *Baron. ad ann. 258. n. 1. 2. seqq.*

§. 27.

§. 27.

Tria etiam Concilia Carthagine, de *Anabaptismo* eorum, qui ab hæreticis baptizati essent, celebrata fuerunt. In quibus Cyprianus rebaptizationem ursit. v. *Baron. ad ann. 258. n. 42. seqq.*

§. 28.

In Arabia, ante Synodo *A. Chr. 249.* habita, hæretici, qui animas hominum cum corporibus extingui statuerant, condemnati sunt. v. *Baron. ad ann. 249. n. 6.*

§. 29.

Antiochiæ *A. Chr. 266. & 272.* duæ Synodi congregatæ, in quibus hæresis Pauli Samosateni cum autore suo condemnata fuit. v. *Euseb. l.* VII. *27. 28. seqq.*

§. 30.

REGIMEN ECCLESIÆ apud Episcopos & Presbyteros fuit in Ecclesiis plantatis: quorum nullus tamen in alterum habuit imperium, licet Romana Ecclesia ob urbis dignitatem, ordinis quadam prærogativa gauderet. Quando Synodi convocabantur, id per literas aut delegatos, absque imperio fiebat. *Papæ*, h. e, Patris nomen tum Episcopis commu-

mune. Unde & Cyprianus, *Papa* audit. Episcopi se invicem *fratres, collegas, coëpiscopos & consacerdotes* salutabant, *Cypr. Epist. 75.* Officium eorum *Clem. Alexandrinus libr. 1. Pædag. f. 99.* exprimit. Ipsi Ecclesiæ antistites & ministri præsente & consentiente populo eligebantur, v. *Cyprian. Epist. 68.* Nec populus a consilio in controversiis decidendis exclusus fuit: ut ex causa de Lapsis recipiendis apud *Cyprianum Epist. 13. & 14.* adparet. Ad Episcopi tamen dignitatem per gradus ascendebatur. v. *Cyprian. Epist. 33. 34. 55.*

§. 31.

Ordo graduum ecclesiasticorum, ex Cornelii epistola ad Fabium Antiochenum, apud *Eusebium l.* VI. *c. 43.* colligitur. Ubi Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Sub-Diaconi, Acoluthi, Exorcistæ, Lectores & Ostiarii nominantur. Ministerium verbi & Sacramentorum administrationem solos Episcopos, Presbyteros & Diaconos obiisse, ex *Tertull. libr. de Baptismo c. 17.* adparet. Ex Lectoribus eligebantur Diaconi, quod *Cyprianus Epist.*

pist. 33. ostendit. confer. *Theodori Balsamonis comment. in c.* IV, *Synodi in Trullo fol. 199. edit. Paris.*

§. 32.

DISCIPLINÆ *ecclesiasticæ* hoc seculo magnus rigor fuit, ne Christianorum vita Gentilibus scandalo esset. Id quod ex disciplina Lapsorum vel maxime patet: pœnitentia, exomologesis seu confessio, satisfactio, & gradus *quatuor* pœnitentiæ, de eadem etiam satis testantur: Qui fuerunt προκλαυσις seu *fletus* extra portam oratorii; ἀκρόασις, *auditio in porticu*; ὑπόπτωσις, *substratio* intra oratorii aut templi portam cum Catechumenis, σύστασις & μέθεξις seu *consistentia* cum fidelibus. Hi gradus Can. XI. Gregorio Thaumaturgo vulgo adscripto, in Epist. Can. extant. Quos *Is. Casaubon. Exerc.* XVI. *num. 43.* explicat. confer. *Tertull. libr. de* Pœnit. *Sozom.* H. *E. l.* VII, *c. 16.* Ideo & hoc seculo confessionem peccatorum non solum publicam, sed & privatam coram ministro Ecclesiæ requisitam fuisse, *Cyprianus Serm. 2. de Lapsis* testis est.

§. 33.

§. 33.

Ceremonias & Ritus in sacris administrandis, hoc ævo increvisse, variis indiciis constat. Nam Judæi & gentiles Christianæ religioni accedentes, rituum ante variorum in sacris suis memores, similes quoque in Christianismo desiderarunt. Quare ne simplicitate Religionis absterrerentur, sensim plures irrepserunt; superstitione tamen, quæ subsequentibus temporibus enata fuit, sequestrata. Qui ex infidelibus Ecclesiæ aggregabantur, primum fiebant *Catechumeni*, deinde *Competentes*, & postremo *Fideles* seu *Christiani*, quibus post susceptum baptismum S. Eucharistia uti licuit.

§. 34.

Ritus in Sacramentorum administratione usitati, ex *Tertulliani libr. de Bapt. c. 17. de Cor. Milit. c. 3. Cypriani Epistolis & Eusebii Hist. Eccles.* passim cognosci possunt. confer. *Dallæi* de his ritibus librum. *Jejunia* usitata *Dallæus de Jejun.* recenset. *Oblationes* fiebant vel in usum eucharisticum, vel in usum pauperum, vel in com

commendationem mortuorum, ut pro illis preces funderentur. Existimarunt enim aliqui, pie defunctos non nisi post resurrectionem carnis, visionis DEI beatificæ fore participes. v. *Cyprian. Epist. 6. Tertull. contr. Marcionitas l.* IV. *c.* 34. *& de Anima c.* 55. Præter festa solennia *Paschatis & Pentecostes*, jam etiam *festum Ascensionis Domini in cœlum* fuisse institutum, aliqui ex *Epist. Augustini* 119. colligunt. *Martyres* ex hac vita discedentes rogabantur, ut memores superstitum, apud DEUM pro fidelibus intercederent. confer *Apoc.* VI, 9. *unde* ἁγιολατρεία progressu temporis in Romana Ecclesia enata. Martyrum memorias quotannis celebratas, dixere *Natalitia*, de his vid. *B. D. Sagittarii libellum.* Crucis signo, in aëre manu formato, Christiani domo egressuri se velut muniebant, memores Christi pro nobis in cruce mortui. vid. *Tertull. de cor. Milit. & Apologet. it. Orig. Homil.* 2. *in Ps.* 38. Plures ritus hic recensere instituti nostri ratio non permittit.

§. 35.

§. 35.

Persecutiones hoc ævo plures, quam antecedenti numerantur. Unde *Origenes adversus Celsum p. 6.* scribit: *in Christianorum dogmata Senatus Romanus, Imperatores, exercitus, populi, ipsæ fidelium necessitudines conspirant.*

§. 36.

Prima ergo persecutio (quæ *quinta* generalis dicitur) ab Imperatore Septimio Severo, *Anno Christi CCIII.* excitata in toto orbe Romano sæviit, multosque Martyres fecit. v. *Euseb. lib. VI. cap. 1. & 7. & Baron. ad ann.* CCV. *n.* 27. Publica is etiam lege vetuit, ne gentiles fierent Christiani. confer. *Tertull. libr. ad Scapul. c. 2. 4. & Apologet. c. 7. & 35.* Hanc persecutionem sanguine suo nobilitarunt Leonides Origenis pater, Serenus, Heraclides, Heron, Herais, discipuli Origenis, Marcella, Felicitas, Perpetua, & plurimi alii, aliæque. Judæorum, qui a Christianis non distinguebantur, defectionem ansam huic persecutioni dedisse, ex Ælio Spartiano, in vit. Severi c. 16. colligitur.

§. 37.

§. 37.

Illam subsecuta est nova, quæ *sexta* appellatur, autore Maximino Thrace Imperatore. v. *Herodian. l. 7. & Jul. Capitolin. in Maxim. c. 9.* cujus causam *Eusebius l. VI. c. 28.* docet fuisse odium erga familiam antecessoris Alexandri; quippe cujus non minimam partem Christiani constituebant. Quæ tamen mox cum Imperio Maximini desæviit.

§. 38.

Truculentior fuit, quam cæso Philippo, *Decius Imp. A. Chr. CCL.* excitavit, quæ *septima* (aliis *octava*) appellatur. v. *Euseb. l. VI. 39.* Horribile iste tyrannus edictum publicavit, minans provinciarum præsidibus mortem, ni Christianos omnes vel deleviſſent, vel ad gentilismum traduxissent. *Gregorius Nyssenus in Orat. de laud. Gregorii Thaumaturgi* illam describit. Cujus atrocitas multos effecit *Lapsos*, *Thurificatos*, *Sacrificatos & Libellaticos* vid. *Cypr. Serm. de Lapsis & Epistol.* Quidam etiam fuga martyrii in eremum secesserunt, Pauli Thebæi, eremitarum patris imitati exemplum.

§. 39.

§. 39.

Post Decium, execrabile istud animal, (ut *Lactant. de Mort. Persecut. cap. IV.* vocat) Valerianus, non dissimili furore correptus, multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. Hæc *octava* dicitur persecutio: Qua etiam Cyprianus Martyr factus. v. *Lactant. de Mort. Persec. c.* V. & *Euseb. l. VII. c. 10.*

§. 40.

Inde *Aurelianus*, natura vesanus & præceps, Christianos crudelitate sua divexare, *Ann. Chr. CCLXXV.* occœpit. Sed perficere crudeliter cogitata non potuit; quippe protinus inter initia sui furoris extinctus. Hæc *nona* vulgo appellatur. vid. *Euseb. lib.* VII. *cap. 30.* & *Lactant. de Mort. Persecut. c.* VI.

§. 41.

Eo sublato, alta pax in Ecclesia fuit, qua abusi Christiani, iram divinam irritarunt: Ut Diocletiano & Maximiniano permitteret in Christianos immaniter sævire. Et hæc *decima*, eaque immanissima fuit, quæ carnificum manus tandem delassavit, ac in annum usque undecimum secu-

seculi insequentis duravit. Fuse illam *Euseb. l.* VIII. H. E. *& Lactant. de Mort. Pers. cap.* VII. *seq.* describunt, conf. *B.* D. *Kortholt. libr. de Persec. Eccles. Primitivæ*, Constantia autem Martyrum heroica multos gentiles ad fidem Christianam induxit, confer. *Korth. loc. cit. c.* V.

§. 42.

MEMORABILIA hujus seculi dicas (1.) miram voluntatem apud Christianos, sanguinem pro veritate Christi fundendi: unde tantus Martyrum numerus: (2.) Novas versiones Græcas Hebræi codicis, cum Græca ubique intelligerentur: (3.) Talmud Hierosolymitanum auctore R. Jochanan absolutum. vid. *Hotting.* H. E. *Sec.* III. *c. 3. & prima Scalig. p. 141.* (4.) Origenis incomparabilem industriam & πολυγραφίαν. vid. *Euseb. l. VI. c. 18. 23. Hieron. Catalog. cap. 61.* (5.) Stephani Episcopi R. ambitionem, qui jam titulum & potestatem *Episcopi Episcoporum* affectare cœpit, in controversia de rebaptizandis, confer. *Horneji H. E. libr. III. cap. 6. §. 22. seqq.* (6.) Platonicæ Philosophiæ propagatores, hoc seculo qui fuerunt *Plotinus*

nus, & Porphyrius Malchus: (7) Figmentum de Philippi Arabis Imperat. Christianismo, ap. *Baron. ad A. Chr. 346. 249.* confer. *Scaliger. in animadverf. ad Euseb. Chron. n. 2260.* Favit tamen, sub seculi hujus initium, Christianis Alexander Mammææ Imp. (8.) Originem Anachoretarum, Eremitarum Monachorum Paulo & Antonio ejus instituti autoribus. v. *Hieron. in vit. Pauli Sozom. l. 1. c. 13.* (9) Fabula de septem dormientibus in catal. sanct. *Petri de Natalibus f. 145.*

§. 43.

Cæterum in hujus Seculi historia admiranda sunt Ecclesiæ incrementa sub dirissimis gentilium persecutionibus; laudanda severa Christianorum disciplina; culpanda Episcoporum & doctorum dissensordia, jurgia fraudesque, quæ *Eusebius l. VIII. cap. 1.* graphice delineat. Observanda etiam divina νέμεσις, quæ persecutorum crudelitatem ulta est. Quod *Lactantius* inprimis *libr. de Mort. Persecutorum* annotavit. Nec prætermittenda Pontificiorum impudentia, qui in hoc ævo, Episcopi R. dominatum & re-

centiorum rituum superstitiosum pompam quærere satagunt, comminiscentes in tanta historiæ luce fabulas; ut superstitiones suas antiquitatis prætextu quodammodo palliant.

PERIODUS II.

De

Ecclesia sub Imperio Rom. & Byzantino libertate gaudente.

CAPUT I.

De

Sec. IV. Chr.

§. 1.

QUarto hoc seculo Ecclesia novam velut faciem induit. Nam Constantinus M. Imper. Christianam fidem A. Chr. CCCXII. amplexus, eam non tantum in aulam admisit; sed fovit, propagavit, libertate donavit, legibus munivit, Ecclesiam ejusque Episcopos ornavit, multis gentilibus ex urbibus in pagos ejectis, unde *Paganorum* nomen, Cum autem Christiani gentilibus nunc mix-

mixti hos ad sua sacra pellicerent, ipsi Christianismo adhuc simpliciori plures ceremonias, non nisi pompæ aut superstitioni materiam præbituras simul affricuerunt. Doctores & Episcopi jam majori libertate gaudentes, tum hæreticos exsurgentes graviter impugnarunt, tum inter se etiam lites foverunt cum Ecclesiæ offendiculo. Inter turbas illas intestinas, Julianus postea rerum potitus, eas in rem suam vertit Apostata, Gentilismum reducturus. v. *Socrat. l. III. c. 14.* Sed nubecula illa cito transeunte, Valens Imperator Arianæ hæresi addictus, depressis catholicis, h.e. orthodoxis doctoribus, Arianos iterum fovit atque ornavit; donec Ann. Chr. CCCLXXIX. Theodosius M. consors Imperii factus, Orthodoxis contra Arianos præsidium præstaret. Interim ab Apostolico ævo, egregiis & doctis viris nullum magis, quam hoc ipsum quartum seculum floruit.

§. 2.

Nos insigniores aut celebriores Scriptores inter Christianos, hic tantum recitabimus: qui sunt *Arnobius*, *Lactantius*,

Eusebius Pamphili, Eustathius, Athanasius, Juvencus, Antonius, Julius Firmicus Maternus, Pachomius, Cyrillus Hierosolymitanus, Hilarius, Lucifer Calaritanus, Phœbadius, Eunomius, Apollinarius Senior, Prudentius, Dionysius Areopagita, Fabius Marius Victorinus, Ulphilas, Damasus, Epiphanius, Optatus Milevitanus, Ephrem Syrus, Basilius M. Gregorius Ponticus, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Macarius Senior, Ambrosius, Hegesippus, Hieronymus, Evagrius, Nemesius, Philastrius, Johannes Presbyter, Rufinus, Toranius, Pontius Paulinus, Augustinus, Johannes Chrysostomus.

§. 3.

Arnobius Afer, ex rhetore gentili Christianus, ann. CCCIII. clarus, adversus Gentes VII. libros scripsit, quibus gentilium calumnias diluit, quod Christiani calamitatum publicarum causa dicerentur. Commentarii breves in Psalmos, qui ipsi tribuuntur, juniorem autorem ejus nominis agnoscunt. Nævi, quos habet, ipsi condonantur, quod ex Gentilismi tenebris nuper emersisset. v. *Dupin. Bibl. p. 315. seqq.*

§. 4.

§. 4.

L. Cœlius Lactantius Firmianus, Arnobii discipulus, in gentilium theologia plurimum versatus, sed in Christiana puriori non ita exercitatus, sæpius erravit. vid. *Scult. M. P. l. XII.* vulgo *Cicero Christianus* audit. Scripsit *Institutionum libros VII.* quibus probavit gentilium Deorum cultos falsos esse. Deinde & de *Ira DEI*, *de Opificio DEI* & de *Mortibus Persecutorum*, a Baluzio primum edito libello. Alia ejus scripta, quæ allegantur, non extant. vid. *Gallei edit. Chemnit. orat. citat. p. 3. & 4. & Dupin. Bibl. p. 319.*

§. 5.

Eusebius Pamphili, a Martyris hujus amicitia intima sic cognominatus, vir impense doctus, variisque fatis exercitus, scripsit *Chronicon* ab Hieronymo Latinitate donatum, *Hist. Eccles. Libros X. de vita Constantini M. Libros IV. de Demonstrat. Evangel.* & alia, vid. *Guiliel. Cave in hist. lit. p. 131. seqq.* qui ipsum etiam ab Arianismi labe, quæ illi vulgo imputatur, purgat. vid. *Chemnit. or. cit. pag. 4. & Dupin. Bibl. tom. 2. pag. 3. seqq.*

§. 6.

Eustathius Episcopus Antiochenus, anno Christi CCCXXV. clarus, exul factus Trajanopoli in Thracia obiit. Laudant ejus virtutes *Hieron. in Catal. c. 81. & Sozom. l. II. c. 19. Orationem brevem ad Constant. M. commentar. in Hexaëmeron*; dissertationem de *Engastrimytho adversus Origenem*, & alia scripsit. Quorum fragmenta *Cave l. c. p. 140.* allegat. v. *Dupin. Bibl. tom. II. p. 46. seqq.*

§. 7.

Athanasius ex diacono Episcopus Alexandrinus, acerrimus Arianorum hostis & fidei catholicæ de SS. TRINITATE defensor, ac eapropter variis persecutionibus obnoxius, Christi divinitatem inprimis adversus Arianos asseruit atque defendit. Opera ejus Græce & Latine ex Officina Commeliniana prostant, quæ & hic Lipsiæ recusa sunt. Conf. *Sozomen. l. II. c. 17. H. E. Theodoret. l. II. cap. 14. & Dupin. Bibl. tom. II. p. 60. seqq.*

§. 8.

Juvencus, Hispanus, poëta nobilis Christianus & Presbyter, sub Constanti-

no

no M. clarus, Historiam Evangelicam carmine heroico libris IV. complexus est, quam *G. Fabricius* edidit. v. *Dupin. Bibl. tom. II. p. 44.*

§. 9.

Antonius gente Ægyptius, primus eremi incola, ac ideo *Monachorum Pater* post Paulum Thebæum appellatus, tempore Constantini M. celebris, *Regulam Monachis* præscripsit, & sermones ad Monachos, itemque admonitiones composuit.

§. 10.

Julius Firmicus Maternus, ex genti li Christianus factus, librum de *Errore Profanarum Religionum* reliquit, in quo causam Christianorum adversus gentiles agit. Prodiit ille cum Notis Woweri. vid. *Dupin. Biblioth. p. 238.*

§. 11.

Pachomius, Ægyptius, ex milite gentili Christianus & Monachus, ab Athanasio magni habitus, *Monita* quædam *spiritualia* scripsit a *Gerard Vossio* cum Greg. Thaumat. edita. Epistolas ejus *Holstenius* publicavit.

§. 12.

Cyrillus Hieroſolymitanus, primum Catecheta, deinde Epiſcopus, Arianiſmi fautor, *Catecheſes XVII. ad Competentes, & Catecheſes Myſtagogicas V. ad recens baptizatos* ſcripſit. *Theodoretus l. V. c. 9.* eum ἀιδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον vocat. Opera ejus Græc. & Lat. *Prævotius* Pariſiis anno 1608. publicavit, vid. *Dupin. Bibl. tom. II. p. 230.*

§. 13.

Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus in Gallia, Arianorum hæreſin ſtrenue impugnavit. Quam ob cauſam a Conſtantino in exilium actus, *Opus de Trinitate libris XII.* conſtans, & alia ſcripſit. v. *Cave H. L. p. 165. Chemnit. Orat. cit. p. 4. Dupin. Bibl. tom. II. p. 136.*

§. 14.

Lucifer Calaritanus, in Sardinia Epiſcopus, ſub Conſtantino Imperat. Arianos oppugnavit, & ideo exul factus. Laudat eum Athanaſius in Epiſtola ad ipſum exarata. Opera ejus Joh. Tillius Pariſiis 1568. edidit. vid. *Dupin. Bibl. tom. II. p. 170. ſeqq.*

§. 15.

§. 15.

Phœbadius, Gallus natione, circa medium hujus ævi celebris, *contra Arianos librum* scripsit, quem Petr. Pithœus Parisiis anno 1586. publicavit. vid. *Dupin. Biblioth. tom.* II. *p.* 184.

§. 16.

Apollinarius Senior, Alexandrinus, ex Grammatico presbyter Laodiceæ factus, ducta uxore, ex ea filium sibi cognominem suscepit; regnante Juliano, & Christianis gentilium libros interdicente, multos libros sacros carminibus Græcis expresit. Extat adhuc *Metaphrasis Psalmorum* metrica, quam aliqui filio ejus tribuunt: vid. *Voss. de Histor. Græc. lib.* II. *c.* 18. *& de Poët. Græc. cap.* 9, vid. *Dupin. Bibl. tom.* II. *p.* 216.

§. 17.

Q. Aurelius Prudentius Clemens, Hispanus, ex causidico devotus Poëta, hymnos, & alia Poëmata composuit, vide opera ejus a *Weizio edita*, *& Dupin. Bibl. tom.* III. *p.* 7.

§. 18.

Dionysius (vulgo Areopagita, sed per-

peram appellatus) medio hujus seculi circiter vixisse censetur: Quanquam Dallæus ad sextiSeculi initium referre mavult. Theologiam Christianam ad Platonicæ ideam formavit. Libri de *cœlesti Hierarchia*, de *Divinis Nominibus*, *Hier. Ecclesiastica*, de *Theologia Mystica*, & alii, qui illi tribuuntur, Græc. & Lat. Antverp. anno 1634. prodierunt, vid. *H. Lit. f. 178. seq. & Dupin. Bibl. nov. t. I. p. 53. seq.*

§. 19.

Fabius Marius Victorinus, Afer, ex rhetore gentili, in extrema senectute, urgente cum Simpliciano, Christianus factus est. Libri ejus nonnulli in *Bibl. P. P. t. IV.* extant. confer. *Mabillon. tom. IV. Analect.* Cum ipsum Simplicianus templum frequentare jussisset, irridens dixit: *Ergo parietes faciunt Christianos?*

§. 20.

Ulphilas sive *Urphilas*, ortu Gothus & Gothorum Episcopus Arianus, IV. *Evangelia* in Gothicam linguam transtulit, quæ Holmiæ ex codice argenteo impressa sunt. vid. *M. Heupelii Dissertat. de Ulphil. & ejus versione.*

§. 21.

§. 21.

Damasius, Hispanus, Episcopus Romanus, Epistolam Synodicam ad Episcopos Illyrici de Concil. Arminiensi, item Epist. ad Episcopos Orientis, contra Apollinarium, confessionem Fidei Catholicæ, & alia exaravit, vid. *Cave H. lit. fol. 183. & Dupin. Bibl. tom. II. p. 261.*

§. 22.

Epiphanius, Salaminæ in Cypro Episcopus, an. 368. clarus, scripsit *Ancoratum*, sive *de Fide*, *Sermonem*; *Panarium*, sive *adversus hæreses LXXX.* de Ponderibus & Mensuris, & alia. Hieronymo dicitur πεντάγλωττος, elogium ejus apud *Socrat. lib. VI. c. 10.* extat *Is. Casaubonus Exerc. XV. diat. 7.* in eo nimiam credulitatem arguit. Opera a *Petavio* an. 1622. Parisiis 2. vol. & hic Lipsiæ anno 1682. publicata prostant confer. *Chemnit. Orat. cit. p. 5. & Dupin. Bibl. tom. II. part. 2. p. 515.*

§. 23.

Optatus Milevitanus, Afer, in Numidia Episcopus, acerrimus Donatistarum antagonista, scripsit *contra Parmenianum*, Episcopum Donatisticum, *libros VII. de*

Schismate Donatistarum, qui Parisiis anno 1679. prodierunt. vid. *Dupin. Bibl. tom.* II. *pag.* 187.

§. 24.

Ephrem, gente *Syrus*, floruit ann. 370. vir in monastica Philosophia exercitatus supra mille orationes, & in his hymnos, & carmina, & alios tractatus morales ac asceticos composuit. confer. *Sozom. l.* III. *c.* 16. Opera ejus Romæ & Antverpiæ an. 1619. prodierunt, tribus tomis distincta. vid. *Dupin. Bibl. tom. II. p.* 249.

§. 25.

Basilius Magnus, Episcopus Cæsareensis, quem Greg. Nazianzenus, ipsius commilito, κοινὸν παιδευτὴν ἀρετῆς *communem virtutis magistrum* vocat. vid. *Socrat. l. IV. c.* 26. Promovit is tum exemplo tum conditis regulis institutum monasticum. Opera ejus Græc. & Lat. cum notis *Frontonis Ducæi* Parisiis anno 1618. duob. vol. impressa sunt. Confer. *Combefisii Basilium restitutum.* vid. *Dupin. Bibl. tom. II. pag.* 265.

§. 26.

Gregorius, Basilii M. frater, Episcopus Nys-

Nyssenus, ab Arianis divexatus, orthodoxam fidem defendit contra illos & Eunomium: In matrimonio Theosebiam nomine uxorem habuit. Opera ejus Græc. & Lat. *Frid. Morellus* Parisiis an. 1615. publicavit. vid. *Dupin. Bibl. tom. II. part. 2. p. 390.*

§. 27.

Gregorius, a patria Nazianzo *Nazianzenus & Theologus κατ' ἐξοχὴν* dictus, *σύγχρονος* & intimus Basilii M. amicus imperante Juliano in pangendis carminibus pene totus fuit; summus quippe Poeta & Orator; id quod carmina ejus & orationes loquuntur. Opera ipsius Græc. & Lat. an. 1630. Parisiis, & hic Lipsiæ non ita pridem publicata prostant, vid. *Chemn. orat. p. 5. & Dupin. Bibl. cit. tom. II. part. 2. p. 351.*

§. 28.

Amphilochius, gente forte Cappadox, ex monacho Episcopus Iconii Lycaoniæ factus, vir multa eruditione insignis. Opera ejus cum *Methodii Patarensis & Andr. Cretensis* libris, Parisiis an. 1644. Gr. & Lat. edita sunt, v. *Dupin. Bibl. t. II. part. 2. p. 409.*

§. 29.

Macarius Senior, gente Ægyptius, Monachus, Magni Antonii discipulus, circa an. 373. clarus, scripsit *Homilias spirituales L. de integritate, quæ decet Christianos*. Græc. & Lat. illæ Francof. an. 1594. in octav. editæ sunt ad Theologiam asceticam utiles. vid. *Dupin. Bibl. tom. II. p. 118. seqq.*

§. 30.

Ambrosius, ortu Gallus, nobili familia natus ex politico Episcopus Mediolanensis, ob eloquentiam celeberrimus morumque gravitate insignis. Opera ejus Basileæ & Parisiis sæpe impressa prostant duobus volum. distincta. vid. *Dupin. Bibl. tom. II. p. 348. seqq.*

§. 31.

Hegesippus, de quo eruditis non satis constat, Ambrosii σύγχρονος fuisse perhibetur, quinque libros de *Excidio Urbis Hierosolymitanæ* ex Josephi libris de Antiquitatibus & de Bello Judaico compilavit. vid. *Joh. Gronovii obs. in Scriptor. Eccl.*

§. 32.

§. 32.

Hieronymus, Stridonensis, optimis & doctissimis præceptoribus usus, magnam sibi eruditionem comparavit, quam adversus Ruffinum *apolog. 2.* ipse jactavit, suos quippe manes passus; adversarios, quos habuit, asperrime tractavit, ac quandoque minus orthodoxe locutus est, Monachismi inprimis & monogamiæ defensor strenuus. Opera ejus multa, in XII. tomos distincta, variis in locis impressa prostant. *Erasmi* tamen editio Basilennsis aliis præfertur, vid. *Chemn. Or. cit. p. 5. & Dup. Bibl. tom. III. p. 173. seqq.*

§. 33.

Evagrius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ tandem Archidiaconus, Hieronymi Σύγχρονος varia scripsit opuscula, quorum multa Ruffinus Latine vertit, v. *Cav. H. lit. p. 227. & Dupin. Bibl. tom. III. p. 1.*

§. 34.

Nemesius ex Philosopho insigni Episcopus Emissenus, circa an. 380. circiter clarus, librum de *Natura Hominis* eruditum, Oxonii an. 1671. editum relinquit. Qui ante perperam Greg. Nysseno tributus fuerat.

§. 35

§. 35.

Philastrius, Presbyter primum, Arianorum hostis; Brixiensis Episcopus factus, scripsit *librum de Hæresibus*, sed exiguo in censendis hæreticis judicio usus, vid. *Dupin. Biblioth. tom. II. part. 2. p. 428.*

§. 36.

Johannes Presbyter, cui cum Epiphanio lites ob Origenismum interceserunt, Opera varia scripsit, quæ *Petrus Wastellus* Bruxellis an. 1643, *tom. II.* edidit.

§. 37.

Rufinus Toranius, Aquileiensis, ob lites cum Hieronymo notus, fuit Origenis admirator, scripsit *Histor. Eccles. lib. II. Expositionem Symboli ad Laurentium Episcopum*, vulgo Hieronymo tributam, vid. *Cave H. lit. p. 238. seqq. & Dupin. Bibl. tom. III. p. 255. seqq.*

§. 38.

Pontius Paulinus, Presbyter primum, tandem Episcopus Nolæ in Campania factus, uxorem habuit Therasiam: Epistolas & Poemata varia composuit, quæ in *orthodoxogr. tom. II.* extant.

§. 39.

§. 39.

Aurelius Augustinus, gente Afer, artium liberalium primum professor, tandem Episcopus Hipponensium factus, circa initium seculi V. maxime clarus, cujus vitam Possidius descripsit; acri ingenio valens, contra Pelagianos fortiter dimicavit, & plura scripsit opera, quam multi forte legunt. Editiones eorum variæ extant; sed Basileenses aliis præferuntur. Confer. *Chemnit. Orat. cit. p. 5. & 6. & Dupin. Bibl. tom. III. p. 290. seqq.*

§. 40.

Johannes, *Chrysostomus* ab insigni facundia appellatus, Episcopus Constantinopolitanus, vir ob zelum præfervidum variis persecutionibus obnoxius, scripsit pene, Suida teste, infinita; inprimis tamen exegetica. Horum Catalog. *Cav. in H. lit. f. 255. seqq.* exhibet. confer. *Chemnit. Orat. cit. p. 5. & Dupin. Bibl. tom.* III. *p. 12. seqq.* Plura judicia de Patrum hujus seculi scriptis apud *D. Bebelium Antiquit. Evangel. Sec.* IV. *tom.* I. legi merentur.

§. 41.

DOCTRINÆ CATHOLICÆ summa, quam pu-

publice in Ecclesia hoc seculo laudati scriptores proposuerunt, in Symbolo Nicæno CCCXVIII. Patribus congregatis, anno Christi CCCXXV. condito, & in Symbolo Constantinopolitano an. Chr. CCCLXXXI. composito continetur. vid. *Athanas. Epist. ad Jovinianum tom. I. opp. fol. 399. Basil. Epist. 60. & 78. Socrat. l. I. H. E. c. 8. Forbesii instruct. Histor. Theolog. l. 1. c. 3.* Athanasii Symbolum vulgo in Ecclesia receptum, recentioris esse autoris, *Vossii de tribus Symbol. & Basnagius* probarunt. His addi merentur *Cyrilli Hierosolymitani Catecheses ad illuminatos*, & quæ a Patribus præcipuis contra hæreticos ex sacris litteris asserta leguntur. Horum doctrinam, secundum articulorum seriem, *Centuriatores Magdeburgici Cent. IV. cap. IV. & B. D. Bebelius Antiqu. Eccles. Evangel. Sec. IV. Artic. IV. seqq.* excerpserunt atque disposuerunt. Unde constat, doctrinam Pontificiorum Tridentinam, hoc seculo fuisse maximam partem ignotam. conf. *Spanhemii tom. I. introduct. major. ad Histor. Eccles. Sec. IV. c. 3.*

§. 42.

§. 42.

Controversiæ, pace externa, a Constantino M. Christiano facto, Ecclesiæ reddita, inter ipsos Doctores enatæ sunt gravissimæ: ut DONATISTARUM, qui rebaptizabant omnes illos, qui a Catholicis, quos pro pollutis & impuris habeant, erant baptizati. Nam negabant, licere uti in Ecclesia ministerio malorum, quod illud inutile atque inefficax esse crederent, vid. *Augustin. l. II. contra literas Petiliani*: MELETIANORUM lites cum Athanasio, de quibus *Sozomenus l. II. cap. 21. & 22.* ARIANORUM cum Catholicis, de ὁμοουσίᾳ disputationes acerrimæ, vid. *Socrat. l. c. 6. Theodoret. l. I. H. E. c. 5. Sozomenus l. II. c. 16. seqq.* PHOTINIANORUM, qui cum Photino contendebant, Christum esse nudum hominem, nec prius extitisse, quam per obumbrationem Spiritus S. in utero Mariæ Virginis conceptus esset, vid. *Socrat. l. II. c. 30. & Sozom. l. IV. c. 6. Epiph. hær. LXXI.* MACEDONIANORUM, qui filium Patri ὁμοούσιον esse negarunt, Spiritum S. pro creatura habentes, vid. *Socrat. l. II. c. 45. & Sozomen.*

men. l. IV. c. 27. AETIANORUM, qui non tantum ὁμοουσίαν Filii DEI negarunt, sed & eum κατὰ πάντα ἀνόμοιον Patri dixerunt. vid. *Epiph. hæres. LXXVI.* EUNOMIANORUM, qui Aëtii blasphema dogmata propugnabant, apud *Epiph. hær.* LXXVI. & *Theod.* IV. *Fab. hær. c. 9.* AUDÆANORUM & ANTHROPOMORPHITARUM, DEO humanam formam & membra nostris similia tribuentium. vid. *Lactant. divin. instit. l.* IV. *c. 30. & Theodoret. l.* IV. *Fab. hæret.* LUCIFERIANORUM Schisma, de lapsis Episcopis, sub satisfactionis vel pœnitentiæ conditione recipiendis. confer. *August. libr. de hæres. c.* LXXXI. APOLLINARISTARUM, qui duas partes humanæ naturæ in Christo confitentes, corpus videlicet & animam, sed tertiam partem ipsam mentem seu animam rationalem in adventu Christi in carne negarunt, τὸν λόγον ejus vicem præstitisse docentes. vid. *Epiphan. hæres.* LXXVIII. & *Sozom. l.* IV. *c. 27. Theodoret. l.* V. *cap. 9.* ÆRIANORUM, qui non tantum ordinem inter Episcopum & Presbyterum negarunt, ac jejunia cum festo Paschatis re-

je-

jecerunt; sed & Arii hæresin suam fecerunt. v. *Epiphan. Hæres. LXXV.* Manichæorum duos Deos, *Bonum & Malum* asserentium: Messalianorum in communione veluti Platonica viventium, qui præter absurdas de DEO & Baptismo opiniones, semper orandum esse, statuerunt. Omitto ipsorum Patrum inter se dissensiones, ut Hieronymi, Vigilantii, Ruffini, Chrysostomi, Epiphanii, Augustini aliorumque Controversia de *celebrando Paschate*, mota tempore *Pii*, circa initium hujus seculi violentius instaurata fuit; dum alii Christiani Pascha cum Judæis celebrant XIV. luna post æquinoctium vernum; alii & plerique Apostolicam traditionem jactantes, die Dominica sequente. Ubi Victoris Episcopi R. Asiaticas Ecclesias hac de causa excommunicantis temerariam insolentiam *Eusebius l. V. c. 24.* notat.

§. 43.

Controversiarum jam memoratarum autores fuerunt Hæretici, quos paucis designabimus.

§. 44.

Primus inter eos locus assignatur *Do-*

na-

natiſtis, nomen a *Donato* quodam e Numidia circa initium hujus ſeculi veniente, & contra Cæcilianum Chriſtianum dividente plebem, nomen indepti. vid. *Auguſt. lib. de hæreſ. c. LXIX.* Originem hæreſis vel ſchiſmatis potius *Optatus Milevitanus l. II. p. 40.* exponit. Aſſerebant illi, Eccleſiam propter vitia morum frequentia, quibus infecta paſſim, de Orbe terrarum, excepto Africæ angulo, periiſſe. Ideo & Catholicorum baptiſma negabant eſſe validum. confer. *Theodor. Fab. Hæret. l. IV. c. 6. L. Ittigii Diſſert. exhibentem plenam ſchiſmatis Donatiſtarum hiſtoriam.* His accenſentur, qui ſe illis aggregarunt, *Circumcelliones*, *Rogatiſtæ*, *Maximinianiſtæ*, *Parmeniaſtæ*, *Cirtenſes & Montenſes.*

§. 45.

Ariani ab *Ario* Presbytero Alexandrino, Alexandri ibidem Epiſcopi æmulo dicti, negarunt τὸν λόγον, *verbum*, h. e. Filium DEI ab æterno fuiſſe, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, crebra ejus vox blaſphema fuit. Ideo illum ἐξ οὐκ ὄντων ſive ex nihilo ortum dicebant; ac adeo negavit eſſe

esse συναΐδιον καὶ ὁμοούσιον, i. e. *coæternum & ejusdem essentiæ* cum Patre. vid. *Socrat. H. E. l. 1. c. 5. & 6. Theodoret. H. E. l. 1. c. 2. 5. Epiph. Hæres. LXVIII. seqq. Aug. de hæres. cap. XLIX.* Inter Arianos ipsos deinde schismate orto, *quidam dicti* sunt Ανόμοιοι, quod Christum Patri secundum omnia dissimilem statuerent; ut Aëtius & Eunomius, qui postea proprias sectas condiderunt: quidam ὁμοιούσιοι, Semi-Ariani, quod Christum Patri ὁμοούσιον, dicerent, ut Basilius Ancyranus, Gregorius Laodicenus, & alii. De quibus in historia Conciliorum hanc ob hæresin habitorum agitur.

§. 46.

Photiniani nomen a *Photino*, Sirmii in Pannonia Episcopo, homine loquacissimo sortiti, Christum pro nudo homine habuerunt; quod Photinus negaret, eum ante nativitatem ex Maria extitisse. Fecit ergo cum Samosateno & Sabellio. vid. *Athanas. de Syn. tom. I. f. m. 691. seqq. Epiphan. hæres. LXXI. Sozomen l. IV. c. 6. Theodoret. l. V. c. 2. & Ittigii Dissert. Vt. Heptad. de Photino.*

§. 47.

§. 47.

Macedoniani, *a Macedonio* Episcopo Constantinopolitano nominati, dicebantur etiam πνευματόμαχοι, quod Arianismum fouentes, negarent, Spiritum S. esse Patri ὁμοούσιον. Eum enim vel creaturam, vel ἐνέργειαν τοῦ Θεοῦ, appellabant. vid. *Athanas. tom. I. f. 344. tom. II. dialog. adv. Macedon. f. 288. Basil. M. de Spiritu S. cap. X. Gregor. Nazianzeni Orat. VI. de Spiritu S. Augustin. de hæres. cap. LII. & Socrat. l. II. c. 42. 45.*

§. 48.

Eunomiani ab *Eunomio*, Aëtii discipulo & scriba appellati, cum ipso impudenter asseruerunt, Filium Patris esse seruum & ministrum, & Spiritum S. τοῦ υἱοῦ φοβερὸν, filii formidantem. vid. *Basil. M. l. I. adv. Eunom. Socrat. l. IV. c. 7. Philostorg. l. III. c. 20. & l. VI. c. 3.*

§. 49.

Audæani vel *Audiani*, ab *Audæo* Monacho Syro genere & lingua, nomen habentes, DEUM sibi finxerunt cogitatione carnali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis; quod eorum rusticitati

tati *Epiphan. hæres. LXX.* tribuit, unde & illis nomen Anthropomorphitarum adhæsit.

§. 50.

Apollinaristæ, ab *Apollinari*, vel Apollinario filio potissimum, viro doctissimo appellati, statuerunt Christum assumsisse verum quidem corpus humanum, ut amictum quendam, sed sine mente h. e. anima rationali. vid. *Socrat. l. II. c. 46. Augustin. de hær. LV. Theodoret. l. V. H. E. c. 3. Epiphan. hæres. LXXVII.*

§. 51.

Aëriani ab *Aërio* Presbytero cognominati, qui indignatus Eustathium sibi in Episcopatu prælatum, statuit primum, Presbyterum Episcopo non esse inferiorem; deinde nec Pascha celebrandum, nec pro defunctis orandum, nec jejunia celebranda, quod Judaismum redolerent. Sectatores ejus & *Syllabici* appellati; quod ex syllabis, *a quo. per quem, & in quo*, ex *Rom. XI, 36.* de DEO usurpatis, naturæ in tribus personis diversitatem probare vellent. vid. *Epiphan. hæres. LXXV. Augustin. de hæres. cap. 53.* illorum

errores Pontificii vulgo Luthero per calumniam affingunt.

§. 52.

Messaliani, quibus nomen a professione inditum fuit, teste *Epiphanio hæres. LXXX.* Græcis Εὐχῆται, Precatores dicebantur; quod semper orarent, jactantes, se DEUM oculis corporis videre, & Spiritus S. adventum percipere. Ideo & visa in somnis prophetias vocarunt. vid. *Theodoret. Fab. hær. l. IV. c. 11. & Hieronym. dial. adversus Pelagianos tom. 2. fol. 175.* Aliis etiam nominibus appellantur, ut *Enthusiastarum, Spiritualium, Martyrianorum & Euphemitarum.*

§. 53.

Joviniani, vel ut Augustin. habet, *de hær. c. LXXXII. Jovinianistæ*, cum Joviniano monacho docebant, vere baptizatos non posse relabi in peccatum: nihil interesse inter vescentem cibis & abstinentem, modo cum gratiarum actione sumatur: virgines, viduas & maritas ejusdem esse meriti, si cæteris vitæ opibus non discreparent. Id quod Hieronymo maxime displicuit. vid. *Erasm. in tom. III. opp. Hieron. fol. 7.*

§. 54.

§. 54.

Priscillanistæ à Priscilliano nobili Hispano dicti, teste *Sulpitio Severo l. II.* H. S. Hi occultis contaminationibus dediti, omnes Scripturæ sensus allegoriis perverterunt: Mundum à maligno Spiritu factum somniarunt, multa cum Gnosticis & Manichæis habentes communia; ipsorum velut symbolum fuit:

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Mulieribus suis etiam docendi munus concedebant, vid. *Augustin. de hæres. cap. LXX. Leon. Epist. 93. num. 2. & Baron. ad an. Chr. 381. num. 109.*

§. 55.

Collyridiani nomen ab auctore Sectæ habentes, in Arabia & Thracia vagantes B. Virgini Mariæ κολλυρίδα τινὰ προσφέρειν, placentam quandam offerre in mensa per mulierculas solebant, de qua omnes participabant. vid. *Epiphan. hæres. LXXIX.* confer. *Rivet. Apologet. II.*

§. 56.

Schismaticis, quos alii inter hæreticos referunt, accensemus *Meletianos*, a Meletio Lycopolitano in Ægypto Episcopo

appellatos; qui munere suo amotus, officio tamen suo contra Ecclesiæ morem functus est, aliosque Episcopos convitiatus est. vid. *Socrat. l. 1. c. 6. Epiphan. hæres. LXVIII. Theodoret. l. 1. c. 6. Sozom. l. II. c. 21. 22.* Sic *Luciferiani* à Lucifero quodam Episcopo Smyrnensi (non Calaritano) appellati, Schismatici fuerunt; quod negarent, apostatas (clericos) etsi pœnitentiam egerint, & ad Ecclesiam redierint, recipiendos ac in pristinum officii & dignitatis gradum admittendos esse. Hos refutavit Hieronymus. vid. *Erasmum in argum. libr. Hieron. adversus Luciferum*, *August. Epist. 87. & Socrat. l. V. c. 5.* Perperam quoque *Vigilantius* hæresis postulatur; licet Hieronymus in eum graviter invehatur. vid. *Hieron. tom. III. fol. 55. & B. Chemnit. Exam. Concil. Trid. Part. III. & IV.* Reliquas hæreticorum ex superiori seculo, ut Novatianorum, Sabellianorum, Marcionistarum & Manichæorum, hic iterum recensere omitto.

§. 57.

SYNODI & CONCILIA ob hæreses & schismata exorta, hoc seculo plurima le-

leguntur coacta: Duo œcumenica, *Nicænum I. & Constantinopolitanum* I. Cætera fuerunt particularia, ut Synodus Arelatensis I. Ancyrana, Neo-Cæsareensis, Elibertina, Arelatensis II. Mediolanensis, Ariminensis, Nidæna Thraciæ, Seleucensis, Romana, Antiochena, Sardicensis, Philippopolitana-Ariana, Sirmiensis, Alexandrina I. & II. Synodus Antiochena II. Lampsacena, Laodicena, Synodi tres Romanæ, Aquilejensis, Constantinopolitana II. Cæsaro-Augustana, Purtegallensis, Trevirensis, Mediolanensis II. De his omnibus observari meretur Gregorii Nazianzeni judicium *Ep.* IV. *ad Procopium*; Nullum se conciliorum exitum felicem deprehendisse, & malum potius inde exasperatum, quam imminutum.

§. 58.

Nos ergo paucis tantum de *duobus* œcumenicis hic quædam annotabimus. *Primum* fuit *Nicænum* ab urbe Nicæa Bythyniæ appellatum. Quod Constantinus M. ann. CCCXXV. propter hæresin Arii & Schisma Meletianum convocavit.

vide *Euseb. de vita Const. l. III. c. 6. 7.* in quo CCCXVIII. Episcopi congregati de dictis capitibus præcipue disceptarunt. Summus ejus præses *politicus* fuit ipse Imperator laudatus; *Ecclesiasticus* vero Osius, Episcopus Cordubensis, & interdum Eustathius *Antiochenus*. v. *Euseb. l. III. c. 6. 17. seqq. de Vita Const. Theodoret. l. I. cap. 6. lib. II. cap. 15. Socrat. lib. IV. cap. 12. Sozom. lib. I. cap. 15. 16. & Edm. Richerii Hist. Concil. General. tom. I. c. 2.* in hoc hæresis Arii damnata, controversia de tempore Paschatis determinata, Novatiani rejecti, censura in Meletium lata, cœlibatus Clericorum improbatus, sedes Metropolitanorum *Can. VI.* determinatæ. confer. *Beveregii not.* ad hos Canones, *& Actæ Concil. Nic. Gelasii Cyziceni.* Controversiam de *VI. Canon. Launojus & Fr. Spanhemius* peculiari dissertatione tractavit.

§. 59.

Alterum Oecumenicum fuit *Constantinopolitanum* a Theodosio M. anno Christi CCCLXXXI. ob hæresin Macedonii, & designationem Gregorii Nazianzeni ad Epi-

Episcopatum Constantinopolitanum capessendum, cui Episcopi Ægyptii obnitebantur, indictum. Episcopi CL. in eo convenerant, quos inter Episcopus Roman. non invenitur. Primo Meletius Antiochenus praesedit, substituto postea Nectario CPtano Episcopo. vid. *Socrat. l. V. c. 8. 9. Sozomen. l. VI. c. 8. & l. VII. c. 9. & Richerii Histor. Concil. cit. c. V.* In hoc symbolum fidei Nicænum confirmatum, eique addita quædam verba contra Macedonium & Novatianos, conf. isthæc Symbola apud *Forbesium loc. supra cit. p. 11. & G. J. Voss. de Trib. Symb.*

§. 60.

Præter hæc *duo universalia* Concilia, digna etiam memoratu sunt, *Elibertinum* in Hispania *primum* pro cœlibatu, anno CCCV. habitum. Multi in eo canones ad disciplinam ecclesiasticam facientes, conditi: *Synodus Antiochena* anno CCCXLI. habita: *Concil. Arelatense I.* contra Donatistas an. CCCXIV. convocatum: *Sirmiense* an. CCCLI. contra Photinum, institutum. v. *Socr. l. I. c. 29. 30. Sozom. l. IV. c. 6. & Cariolani*, vel *Caranzæ Summ. Concil.* hujus seculi.

§. 61.

Canones & decreta coneiliorum Henricus *Justellus in Biblioth. Jur. Can. veteris, & Guil. Beveregius in Synodico Magno* exhibent. *De Can.* VI. VII. quibus ordo sedium Metropolitanorum in Imperio Romano constituitur, multa disputari solent, vide *Beveregii Synod. cit. f. 66. seqq.*

§. 62.

REGIMEN ECCLESIÆ externum, & quidem supremum, hoc seculo sibi merito vindicavit Constantinus M. vid. *Euseb. de vita Constant. l. IV. c. 24.* Nam teste *Theodoreto l. 1. c. 8. & l. V. c. 8.* leges ecclesiasticas conscribi jussit. confer. *Socr. l. IV. c. 8.* Sed tamen Episcopi & Metropolitani jus præsidendi, consecrandi, ordinandi, reconciliandi pœnitentes, pœnasque canonicas imponendi habuerunt; nulla vero prærogativa juris aut potestatis œcumenicæ Episcopo Romano adhuc tributa. Quod excitatis jam Concil. Nicæn. *Can. VI.* & VII. adparet. confer. *Can. II. Concilii Constantinopolitani.* Quanquam ambitionem Episcoporum hoc seculo increvisse, certum sit; cum ex distributione

Im-

Imperii in Eparchias, Diœceses & Præfecturas ipsis ansa nasceretur, simul statum Ecclesiæ ad formam regiminis politici attemperandi. Hinc nomina Patriarcharum, Metropolitanorum, Primatum & Archiepiscoporum enata sunt. *Richerius* tamen Sorbonista doctissimus & cordatissimus in *Hist. Concilii Tridentini* laudata solidissimis argumentis evicit, regimen Ecclesiæ monarchicum, quod Papa R. postea affectavit, in Ecclesia fuisse ignotum. conf. & *Salmas. de Primat. Papæ*, *Blondellum*, cui Salmasius multa debet. *Basilii Cæsar. Epist. 10.* Quanquam Concil. Sardicensis Canon IV. videatur Episcopo R. aliquam prærogativam hac in parte concedere. vid. *Spanhemii introduct. in H. E. tom. 1.* Seriem Episcoporum apud antiquos variam hoc quoque seculo vide apud *Blondellum in Pseudo-Isidoro ad Clement. Epist. 1. p. 41.*

§. 63.

Cæterum τάξιν seu *ordinem* ministrorum Ecclesiæ jam obtinuisse, ex diversis eorum appellationibus & nominibus, quæ in Canonibus & apud Epiphanium

leguntur, patet. Memorantur enim *Episcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Hypodiaconi*, *Exorcistæ*, *Catechistæ*, *Lectores*, *Cantores* & *Ostiarii*. De *Acolythis* adhuc dubitatur, an hoc ævo noti fuerint. *Chorepiscopi* qui ἐν χώραις Episcoporum munus obibant, & *Archi-Diaconi*, qui primi in Diaconorum ordine erant, jam innotuerant. v. *D. Bebelii Antiquit. Evang. Sec.* IV. *art. II. §.* 2.

§. 64.

DISCIPLINA, ut Canones testantur, rigorosior adhuc fuit. Et ut illius vigor constaret, literæ Synodicæ & Episcoporum communicatoriæ, canonicæ & formatæ usitatæ erant, in quibus de rebus ad doctrinam & disciplinam pertinentibus invicem communicabant. vid. *Francisci Ferrarii de Antiquo Ecclesiast. Epistol. genere libros tres.* Qui scelere aut gravi peccato contaminatus erat, non nisi publice pœnitentia acta, ad usum S. Eucharistiæ admittebatur: Tempus pœnitentiæ determinabatur. vide *Conc. Nicen. Can. XII. & Basilii can. 56. & 74.* Ipsum Imperatorem Theodosium M. ob cædem Thessalonicensem patratam, hac de causa,

sa, non ante, quam pœnitentiâ defunctum, Ambrosius in templum ad communionem fidelium admittere voluit. v. *Theodoret. H. E. l. V. c. 17.* Rigor tamen graduum disciplinæ antea usitatorum remisit; cum crimina graviora Christianorum Imperatores Christiani pœnis civilibus ulciscerentur.

§. 65.

Ritus Sacri & ceremoniæ hoc seculo jam multiplicari cœperant, ut splendor Ecclesiæ externus major accederet, imminuta jam pristini cultus divini simplicitate. Templa splendidiora, quæ κυριακὰ ὀικεῖα, ædes dominicæ *Eusebio lib. VIII. cap. 1. & IX. c. 10.* appellantur, exstructa. Præter festa solenniora Paschatis & Pentecostes, etiam *Nativitatis* Christi, quod *Gregor. Nazianz.* Θεοφάνειαν καὶ ἡμέρα Orat. 38. *Theodoret. H. E. l. V. c. 18. Chrysostomus* festorum μητρόπολιν appellant, accensis vigilia præcedente luminibus celebratum fuit. vid. *Ambros. Sermon. 28. 29. & Prud. hymn. 5.* καθημερ. De antiquitate hujus festi, & quod d. 25. Decembr. celebratum fuerit, meretur *L. Ittigii Dis-*

sert. III. Heptad. legi. Festi & Martyrum dies observati, teste *Euseb. l.* IV. *de vita Const. 23.* conf. *Ambros. Serm. 66. seq. & Basilii M. Conc. in Sanctos XL. Martyres.* Ritum hunc tamen aliqui improbarunt. v. *Epiphan. hæres.* LXXVII. *seq. & Concil. Elibertan. Can. 34. & 35.* Quidam etiam pro Sanctis orarunt, quod gradus gloriæ his precibus augeri crederent. v. *Chrysost. Liturg. & Homil. XXIII. in Matth. I.* cultus reliquiarum S. hoc seculo jam cœpit. v. *Dallæi l.* IV. *de cult. relig. objecto c. 15.* Imagines etiam & statuæ in honorem sanctorum in templis collocari cœperunt. vid. *Greg. Nyssseni Orat. in Theodos. Basilii M. Orat. in S. Barthol. Euseb. l.* VII. *c. 18.* Propter abusum tamen in *Concil. Elibertin. Can. 37.* decretum fuit, ne imagines pictæ in templis ponerentur. Passim etiam *crucis* signum sanctum haberi cœpit, ut ex *Eus. de vita Const. l. I. c. 28. seqq. l. II. c. 16. l. III. c. 2. 3. & Orat. de laudibus Const. c. 6.* adparet.

§. 66.

De conventibus Christianorum sacris, de vigiliis, de ritibus in administratione Sacramentorum receptis, v. *Centur. Magd. Cent.*

Cent. IV. *c. 6. D. Bebelii Antiq. Evang. Sec.* IV. *art. 9. & Spanhemii Epil. Isag. n. 4. De* Ritu *Sacr. Eccles. Veter. Concionum.* vid. *Bernardini Ferrarii librum cum Grævii præfatione* nuper editum. Preces solennes non sine jejuniis factas esse, ex *Epiphan. hær.* LXXV. constat. conf. *Prudentii hymn. Jejunant. n. 7. Ex Ambrosii l. 1. de Sacram. c. 4.* constat, Sacramenti Eucharistici usum quotidianum fuisse requisitum. conf. *Basil. Ep. 289.* ad Cæsar. Patric.

§. 67.

PERSECUTIONIBUS Ecclesiam etiam hoc seculo obnoxiam fuisse, multa veterum testimonia confirmant. Nam cœptam per Diocletianum persecutionem Maximianus Herculius & Galerius Maximinus & alii Cæsares gentiles non tantum continuarunt; v. *Euseb. l.* VIII. *c. 14. 15. 26. l. I. de vita Constant. M. c. 27. seq. l.* X. *Hist. Eccl. c. 8 Socr. l. 1. c. 2. Sozom. l. II. c. 8. seq. Theodor. l.* I. *c. 25. Lactant. de Mort. Pers. c. 20. seq.* sed mortuo Christiano M. *Constantius* ab Arianis inductus, in orthodoxos & Catholicos sævit. v. *Athanas. Apolog. & Epist. ad Solitarios, f. m. 811. 813. 829.*

& 841. Socrat. l. II. cap. 26. Quanquam *Greg. Nazianz. Orat. 3. & 4.* contra Julianum, Constantium in multis excusset, quod ejus facilitate aulici fuissent abusi.

§. 68.

Graviora Christianis mala intentavit *Julianus Apostata* Imperator, qui non quidem aperta vi & sævitia; sed aliis artibus pravis usus, Christianismum extinguere moliebatur. Nam Christianis templa & scholas interdixit, libertatem ademit, oneribus & exiliis multavit. v. *Sozom. l.V. c. 5. 16. Theodor. l. III. c. 15. 16. Socrat. l. II. c. 14. Nazianz. Orat. I. & III. in Julian.* Verum ipse fuit *nubecula cito transiens*; cum mox in prœlio ann. 353. vulneratus impuram animam misere exhalasset. confer. *Dissert.* nostram *de Juliano Apostata & Socrat. l. III. c. 14.*

§. 69.

Excepit illum *Valens* Imperator, qui impulsu Justinæ uxoris Arianæ, & Eudoxii Constantinopolitani, A. Chr. CCCLXV. diris modis Catholicos, (tum *Homousianos* appellatos) divexavit; donec, in expeditione Gothica à barbaris interemtus esset.

set. vid. *Theodor. l. IV. c. 13. 22. 33. & 34. & Socrat. l. IV. c. 13. Sozomen. l. IV. c. 14. 20.* Monachos ad militiam sectandam lege etiam lata compulit. vid. *Oros. l. VII. c. 19.* Nam Monachorum (qui etiam ἀσκηταὶ & θεραπευταὶ appellabantur) numerus hoc seculo incrementa cœperat. Hinc regulæ, quas *Basilius* ipsis præscripsit, notæ sunt. *Nazianzenus* etiam *Orat. IX. & Hieronymus* passim vitam hanc laudarunt. confer, *Sozom. l. I. c. 12.*

§. 70.

Ad Memorabilia hujus seculi referri merentur Constantini Magni conversio, conspecto in nubibus signo crucis, cum hac Inscriptione: τούτῳ νικᾷ, *in hoc vince, apud Euseb. de V. Constant. l. I. c. 28.* Translatio sedis imperatoriæ in urbem Byzantinam, postea *Nova Roma & Constantinopolis* dictam: vid. *Car. Cangei Constantinopolin Christianam.* Conversio ethnicorum magna: Ecclesiæ libertas sub Constantino M. Miraculosa destructio templi Hierosolymitani, quod Judæi, concedente Juliano Apostata, moliebantur. v. *Nazianz. Orat. IV, contra Julian*

& Marcellinum initio lib. XXIII. Theodosii M. victoria per preces de Eugenio Tyranno parta, apud *Augustinum de C. D. lib. V. cap. 26. Sozomen. l.* VII. *cap. 24.* Ejusdem publica pœnitentia & reverentia erga Ambrosium; item clementia ejus erga Antiochenos læsæ Majestatis reos, apud *Sozomenum l.* VII. *c. 23.* Conversio duorum Philosophorum per simplicitatem duorum senum laicorum Christianorum, apud *Sozomen. l. I. c. 18.* S. Spyridonis Episcopi & simul pastoris ovium, apud *Sozom. l. 1. c. 11.* Epiphanii erga Johannem Chrysostomum pervicax zelus, apud *Socrat. l.* VI. *c. 14.* Fabulæ duæ memorabiles Pontificiorum de *Baptismo* Constantini M. per Sylvestrum Rom. Papam, & de *Donatione Constantini Magni* facta Sylvestro ob beneficium miraculosæ sanationis, deque cessione urbis Romæ & Italiæ. Quæ Scriptor Pontificius *Elias Dupin*, nuper *Bibliothec. Nov. tom. II. p. 29. & 36.* prolixe refutavit. Plura annotare hic non vacat.

§. 71.

Nos sub finem historiæ hujus seculi nota-

tamus iterum singularis divinæ providentiæ documentum: quando post diriſſimas gentilium Imperatorum perſecutiones, Conſtantinum M. Eccleſiæ bono excitavit; & cum Julianus Apoſtata Gentiliſmum reducere moliretur, eum ſubito extinxit. Miramur vero Diaboli impudentiam & technas, qui per Arium Chriſti Deitatem, per Macedonium Spiritus ὑπόϛασιν divinam, ac adeo Myſterium SS. TRINITATIS tot modis impugnavit, ſed DEUS, excitatis viris piis, animoſis doctiſſimisque, opprimi veritatem divinam haut paſſus eſt. Quanquam & hoc in quibusdam Doctoribus cætera præclaris nemo facile adprobarit, quod ipſi inter ſe invicem lites moverint, ac etiam ambitione ſtimulati, contra Chriſti regulam, dominatum affectare jam cœperint. An Conſtantini magni indulgentia erga clerum; an vitium ſanctis etiam viris quandoque familiare, quod ultimo exuitur, in cauſa fuerit; hic non determino. Id longa obſervatione probari poteſt, florenti Eccleſiæ ſtatu externo, morum ſanctitatem inter Chriſtianos remi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866669213/phys_0163
DFG

misisse ac pietatem refrixisse. Adeo difficile est, in hac vita esse felicem simul & pium.

PERIODI II. CAP. II.

De

Sec. V. Chr.

§. 1.

QUintum, quod ingredimur *seculum*, quo Rom. Imperium in *Orientale & Occidentale* divisum, non tantum intestinis motibus, sed barbarorum etiam gentium invasionibus concussum, dilaceratum, tandemque Romanum in Occidente extinctum fuit. Quæ conversionis rerum mala quoque Ecclesiam afflixerunt. Insurgentibus simul novis Hæreticis Pelagio, Nestorio & Eutychianis, qui mirum quantum Ecclesiam turbarunt. Interim non defuerunt præstantes viri, qui illis sese opposuerunt, ac simul Christianismum ad Hibernos, Burgundiones & Francos propagarunt.

§. 2.

EX PATRIBUS antecedenti seculo jam memoratis, hujus etiam seculi primordia

dia illustrarunt *Epiphanius* anno Christi CCCCIII. *Chrysostomus* ann. CCCCVII. *Hieronymus* anno CCCCXX. *Augustinus* anno CCCCXXX. mortui. Post illos, *inter Latinos* præcipue clari fuerunt Scriptores *Severus Sulpitius*, *Sedulius Presbyter*, *Sidonius Apollinaris*, *Paulus Orosius*, *Joh. Cassianus*, *Salvianus Presbyter*, *Vincentius Lerinensis*, *Victor Uticensis*, *Gennadius Massilienſis*, *Gelasius I. Leo I. Prosper Aquitanicus*, *Rhemigius*, *Petrus Chrysologus*, *Arnobius Junior*, *Marius Mercator*, *Maximus Taurinensis*, *Alcimus Avitus*. Inter *Græcos* doctiores & celebriores fuerunt *Cyrillus Alexandrinus*, *Isidorus Peluſiota*, *Theodorus Syneſius*, *Theodoretus*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Philoſtorgius Cappadox*, *Gelaſius Cycizenus*, *Baſilius Seleucienſis*, *Æneas Gazæus*, *Nonnus* & *Nilus*. Horum, inquam, ſcripta & fata, poſt alios erudite *Guil. Cave in Hiſtor. lit.* deſcripſit. Nos compendii ratione habita, tantum de *celebrioribus* hic pauca commemorabimus, lectorem ſtudioſum ad laudati *Cave* hiſtoriam remittentes.

§. 3.

§. 3.

Severus Sulpitius, Aquitanus & Presbyter Primuliacensis in Gallia, vir eloquens, scripsit *libr. II. de Hist. Sacra*, item *S. Martini Episcopi vitam, & Dialogum de conversatione Monachorum*, quos *G. Hornius & Vorstius* cum notis ediderunt. vid. de eo censuram *Riveti Crit. S. libr. IV. c. 23.*

§. 4.

Sedulius Presbyter & Poeta circa ann. Chr. 430. clarus, *libros V. carminum* de quinque mirabilibus DEI operibus, & hymnos duos de Christo in Ecclesia notos reliquit. vid. *Labbæi tom. II. de Scriptor. Eccl. in Sedulio.* Huic jungimus statim *Sidonium Apollinarem*, virum nobilem & Episcopum Avernensem, cujus extant libri *Epistolarum & Carmina* pro illius ævi indole non invenusta.

§. 5.

Paulus Orosius, Presbyter Hispanus, S. August. discipulus, qui jussu hujus *l. VII. historiarum* adversus Paganos scripsit, ostendens, Christianos non esse calamitatum & cladium Romanorum causas.

§. 6.

§. 6.

Johannes Cassianus, origine Scytha, ex Diacono Chrysostomi, Presbyter Massiliensis factus, varia ad vitam monasticam & asceticam pertinentia, & de *Christi incarnatione adversus Nestorium*, scripsit. vid. de operibus ejus censuram *Riveti Crit. S. l. IV. c. 7.*

§. 7.

Salvianus Presbyter vel Episcopus Massiliensis anno 440. clarus, octo libros de *Providentia & Judicio DEI*, & *libros IV. de Ecclesia* sub nomine Timothei scripsit. Quos *Rittershusius & Baluzius* cum notis publicarunt.

§. 8.

Vincentius Lirinensis, Semipelagianus Presbyter post Concilium Ephesinum, sub *Peregrini* nomine, stylo satis nitido, *adversus hæreticos commonitorium duplex*, quod *Filesacus*, *Baluzius & G. Calixtus* ediderunt. confer. censuram *Riveti Crit. S. l. IV. c. 21.*

§. 9.

Victor, Uticensis vel *Vitensis* Episcopus, tres libros de *Persecutione Vandalica*, quam

quam Genſericus & Hunnericus Vandalorum Reges excitarunt, compoſuit. Libri ejus Divione anno 1664. editi proſtant.

§. 10.

Gennadius Maſſilienſis Presbyter ac poſtea Epiſcopus, librum de *dogmatibus Eccleſiaſticis*, qui inter Auguſtini libros relatus fuit, compoſuerat. Continuavit etiam Catalogum Hieronymi de viris illuſtribus ad annum Chriſti 495. Bellarminus eum Semi-Pelagianiſmi arguit.

§. 11.

Gelaſius I. Epiſcopus Rom. Epiſtolas & varia opuſcula reliquit, quæ in *tom.* VII. *Bibl. PP.* extant. vid. *Cave Hiſt. lit. p. 374. & Riveti Crit.* S. *l.* IV. *c. 26.* Huic jungimus *Leonem I.* Epiſcopum Rom. *Magnum* appellatum, qui ante Gelaſium ſedem obtinuerat Romam: ſcripſit varia, quæ cum Quesnelli additamentis proſtant. vid. *Rivet. Crit.* S. *l.* IV. *c. 22.*

§. 12.

Proſper Aquitanicus, Hilarii æqualis, Epiſcopus Rhegienſis, libros tres de *Prædiſtionibus & Promiſſionibus DEI*, item alia com-

composuit, quæ Lovanii anno 1565. prodierunt. Laudat eum *Rivet. Crit. S. lib. IV. c. 18.*

§. 13.

Rhemigius Rhemorum in Gallia Episcopus anno 471. clarus, *Explanationes in Epist. S. Pauli* Moguntiæ publicatas scripsit, quas *Rivetus lib. IV. c. 27.* ipsi adjudicat. Huic jungimus *Petrum Chrysologum* Episcopum Ravennatensem, qui homilias 122. breves illas quidem, sed disertas reliquit. vid. *Bellarmin. de Scriptor. Eccles. pag. 150.*

§. 14.

Arnobius Junior circa ann. Christi 460. clarus, Commentarios in Psalmos juxta Erasmum, & in quædam Evangelistarum loca, item de DEO Trino & Uno, de duabus in Christo substantiis & unica persona scripsit. vide *Cave Hist. lit.*

§. 15.

Marius Mercator, Augustini studiosissimus, adversus Nestorianos & Pelagianos scripsit. Opera ejus *Joh. Garnerius & Stephanus Baluzius* Parisiis non ita pridem publicarunt.

§. 16.

§. 16

Maximus, *Taurinensis* Episcopus, multas Homilias *Hyemales*, *Æstivales*, & de Sanctis reliquit. vide *Cave Hist. lit. p. 312. seqq.* Huic jungimus *Alcimum Ecdicium Avitum*, Archi-Episcopum Viennensem circa exitum hujus seculi clarum, cujus opera *Sirmondus* Parisiis anno 1643. publicavit.

§. 17.

Inter *Græcos* primum locum hoc ævo *Cyrillus Alexandrinus* Episcopus, vir doctissimus & Nestorii impugnator acerrimus, meretur. Opera ejus Græcè & Latinè VII. tomis Parisiis edita prostant. confer. de illo Judicium *B. Chemnitii Orat. supra cit. pag. 15. & Riveti Crit. S. l. IV. c. 19.*

§. 18.

Isidorus Peluſiota, Chrysostomi discipulus, Presbyter, & in monte Peluſio monachorum præpositus, Epistolas, quibus multa S. Scripturæ loca explicat, reliquit, cum notis Rittershusii & Andreæ Schotti editas.

§. 19.

§. 19.

Synesius Pentapolitanus, ex Philosopho Platonico Christianus & Episcopus Ptolemaidis factus. Epistolæ ejus & hymni elegantes sunt: Encomium calvitii ingenii exercendi gratia scriptum videtur. Opera ejus Petavius publicavit. vide *Natal. Alex. H. E. sec. V. part. I. c. 4.*

§. 20.

Theodoretus, gente Syrus, Episcopus Cyrenensis, vir doctissimus, sed Nestorianismo favens, multa ad historiam ecclesiasticam utilia scripsit, de quibus *l. V. Hist. Eccles.* & de *Hæret. Fabulis* testantur. vide *Cave Hist. lit. fol. 316. seqq.* confer *Riveti Crit. S. lib. IV. c. 2.*

§. 21.

Socrates, Scholasticus seu Caussidicus, Novatianismi suspectus, cum *Hermia Sozomeno* Palæstino historiam ecclesiasticam ab Eusebio cœptam, usque ad tempora Theodosii Junioris continuarunt. Utrumque *Henricus Valesius* cum notis publicavit.

§. 22.

Philostorgius, Cappadox Sectæ Eunomia-

mianæ addictus, historiam ecclesiasticam scripsit, quam *Jac. Gothofredus* cum *annotat. & dissertat.* Genevæ publicavit, passim errores viri Arianos notando.

§. 23.

Gelasius Cyzicenus Episcopus Cæsariensis, Acta Concilii Nicæni collegit, quæ ex bibliopolio Commeliniano prodierunt an. 1604. Huic jungimus *Æneam Gazæum* ex Philosopho Platonico Christianum factum, qui de animæ immortalitate *dialogum* à Casp. Barthio editum cum notis reliquit.

§. 24.

Basilius, Seleuciæ in Isauria Episcopus circa ann. Chr. 455. clarus, orationes in V. & N. T. Demonstrationem contra Judæos de adventu Christi scripsit, vide *Cave Hist. lit. p. 354.*

§. 25.

Nonnus, gente Ægyptius Pentapolitanus, Poeta circa initium hujus seculi clarissimus, Paraphrasin metricam in Evangelium S. Johannis exaravit, quam *Dan. Heinsius* in Aristarcho suo sacro censuit & illustravit.

§. 26.

§. 26.

Nilus, Constantinopolitanus, ex urbis præfecto monachus factus in Ægypto, multa scripsit ascetia, quæ Romæ Græcè & Latinè *Joseph Maria Svaresius* publicavit.

§. 27.

Scriptoribus Ecclesiasticis hujus seculi subjungimus *Zosimum*, Comitem & Exadvocatum Fisci, qui in libris suis Hist. VI. in Principes Christianos & religionem Christianam iniquissimus fuit. Nam Constantinum M. & Theodosium Seniorem valde perstringit, animique sui virus evomit. *Johannes* quidem *Leunclavius* pro Zosimo prolixam *apologiam* adornavit; sed nescio, an dignum Christiano homine facinus sit, infensissimum Christiani nominis hostem defendere, ac Principes Christianos cum antistitibus Ecclesiæ præclaris, quales fuerunt Eusebius, Chrysostomus, Innocentius, Theodoretus aliique, infamia notare. Rectius *Evagrius lib. III. c. 40. 4. & Nicephorus Callistus l. XVI. c. 41. seqq.* Zosimi hac in parte malitiam detexerunt.

§. 28.

DOCTRINA PUBLICA hujus seculi ex Symbolis catholicis supra memoratis & Symbolo Chalcedonensi, Capitulis Cyrilli, Leonis imper. Encyclicis, Actis & Canonibus conciliorum ac Patrum hujus ætatis scriptis, inprimis Augustini *Enchiridio, & de Doctrina Christiana* libris petenda est. vide *Cent.* V. *Magdeb. c.* IV.

§. 29.

Articuli fidei orthodoxæ de Peccato originis & libero Arbitrio, de unione duarum naturarum in Christo hypostatica, de Prædestinatione, de Sanctorum & reliquiarum cultu, inprimis in controversiam venerunt, valdeque Ecclesiam turbarunt. *Pelagius* enim Brito ab Augustino *hostis gratiæ* appellatus, cum suis asseclis negavit peccatum originis, vires liberi arbitrii ita extollens, ut eas homini sufficere ad pie vivendum & legem DEI implendam traderet. Quam improbam doctrinam Augustinus præcipuè confutavit. Inde *Nestorius* negavit, S. Mariam Deiparam esse Θεοτόκον. Cui se opposuerat *Eutyches*, qui in alterum extremum lapsus,

pſus, Naturas duas in Chriſto confudit, quas Neſtorius ſolvere per ſuum errorem coarguebatur. Ex male intellectis Auguſtini locis de humanis arbitrii viribus, *Prædeſtinatiani* ſeu *Prædeſtinati* exorti, aſſerentes, DEUM ante prævisum peccatum quosdam prædeſtinaſſe ad vitam, quosdam ad damnationem. Hujus dogmatis aſſertor præcipuus fuit *Lucidus* quidam Presbyter, ad quem Fauſtus Rhegienſis Epiſcopus epiſtolam ſcripſit. Minoris momenti controverſias hic recenſere ſuperſedemus.

§. 30.

Ex hæreſibus ſuperiori ſeculo exortis adhuc Donatiſtarum ac Circumcellionum furores graſſabantur, qui in Catholicos ſævierunt, vide *Auguſtini Epiſt. L.* Nec Anthropomorphitarum error in Ægypto extinctus fuerat; cum rudes monachi eundem adhuc contra Theophilum Alexandrinum propugnarent. vide *Socrat. l.* V. *cap.* 7. Manichæorum etiam reliquiæ adhuc ſupererant, quæ hinc inde propullularunt. Sed famoſiores hujus ſeculi HÆRETICI fuerunt *Pelagiani*, *Ne-*

storiani, Eutychiani, Prædestinatiani, Acephali, Theopaschitæ.

§. 31.

Pelagiani nomen & ortum à Pelagio, Monacho e Britannia oriundo, homine certe non indocto habent; qui anno Christi 413. hæresin spargere cœpit. Occasio illi fuit Manichæorum error, quo omnia peccata ex ipsa mala hominis substantia provenire asserebatur. Huic Pelagius contradicens, asseruit omnia peccata ex libera hominis voluntate oriri. Ideo liberum hominis arbitrium usque adeo extulit, ut divinæ gratiæ postea maxime derogaret. vide *Augustinum lib. IV. contra duas Epistolas Pelagii, c. 4.* Nam asseruit (α) infantes sine ullo peccati originis vinculo nasci; Peccatum originis figmentum Augustini dixit: (β) contendit, hominis arbitrium ante regenerationem esse integrum, ita, ut is sine gratiæ divinæ auxilio possit sese ad DEUM convertere, & legem DEI etiam implere. (γ) Homines non natura, sed imitatione malorum fieri peccatores, quando primorum parentum exemplum imitarentur:

tur: Gratiæ auxilium ad hoc tantum requiri, ut facilius peccata caveri possint. vide *Augustin. Epist. CVI.* Inde vero plures enati errores, quos *Augustinus libris de Gratia & Lib. Arbitrio, de Natura & Gratia, & Prosper Aquitanicus* impugnarunt & confutarunt. Pelagii partes tutabantur Cælestius & Julianus. vid. *Augustinus de Hæres. cap. LXXXIX.* Ex his porro exorti *Semipelagiani*, qui & *Massilienses* ab urbe in Gallia Massilia dicti sunt. Hæresis hujus ortum & progressum *G. Joh. Vossius, Henricus de Noris lib. de Historia Pelagiana* fuse satis descripserunt. Ante hos, ejus progressum in Scholis Pontificiorum *B. Chemnitius in Examine Concil. Trident. de Peccato originis & libero Arbitrio* jam ostenderat.

§. 32.

Nestorianis nomen fecit *Nestorius* Syrus, Præceptore Theodoro Mopsvesteno usus, Archi-Episcopus Constantinopolitanus factus, vir natura εὐφωνος καὶ εὐλάλος, sed parum doctus, superbus tamen. vid. *Socrat. l.* VII. *H. E. cap. 29. & 32. Evagr. l. I. c. 2. Vincent. Lirinens. Commo-*

nit. c. XVI. Hic ab Anastasio Presbytero suo forte seductus (conf. *Evagrium lib. I. cap. 2.*) negavit, S. Mariam virginem Θεοτόκον esse dicendam. Unde Cyrillus Alexandrinus eum χριστόλυσιν introducere, ac unionem & communionem naturarum in Christo negare arguit. Qui illi XII. *Anathematismos* opposuit, quibus totidem vicissim Nestorius reposuit. Inde tandem ipse in Synodo Ephesina hæresis convictus damnatus fuit. confer. *Theodoret. lib. IV. Fab. Hæret. c. 12.* Multæ hinc inter Cyrillum Alexandrinum & Theodoretum lites exortæ.

§. 33.

Eutychiani nomen indepti ab Eutyche Monacho seu Archimandrita Constantinopolitano, qui circa annum Chr. 448. Nestorii hæresin impugnaturus, in errorem huic contrarium prolapsus, docuit Christum quidem esse ex *duabus* naturis, sed non *in duabus*: h. e. duas fuisse ante unitionem naturas; unicam vero unius in alteram naturæ conversionem factam esse. *Leo I. Epist. 13. & 15. ad Pulcheriam Augustam* data testis est, eum non ex versu-

sutia, sed imperitia magis peccasse. Quia tamen errorem pertinaciter defendere conniſus est, in Concilio Chalcedonensi anno 451. cum Dioscoro damnatus & in exilium ejectus fuit. Absolverat quidem illum Synodus Ephesina, λῃστρικὴ dicta ann. Christi 449. coactis subscriptionibus manu armata. Mox tamen nova certamina exorta, quæ Zeno imperator postea publicato ἑνωτικῷ componere laboravit, reclamantibus Romanæ sedis Episcopis Simplicio & Felice. vide *Gesta de nomine Acacii, & Concil. Tom. IV. fol. 1079. seqq. & Evagr. l. III. cap. 14. & lib. I. cap. 9. 10. l. II. cap. 1. seqq. Theodoret. Fab. Hær. l. IV. in fine.*

§. 34.

Ex ista hæresi Eutychiana postea orti sunt *Jacobitæ*, à Jacobo Syro obscuri generis homine, qui Eutychis errorem amplexus, illum in Ægypto & Oriente disseminavit. Unde Eutychiani appellati tum *Jacobitæ*, tum *Monophysitæ*. Quibus opponitur nomen *Malchitarum*, qui Imperatoris fidem in Synodo Chalcedo-

nensi assertam amplectentes ab illis dissentiebant.

§. 35.

Propagines dictæ hæresis etiam sunt *Monotheletæ*, qui duas in Christo voluntates negantes, ἕν θέλημα καὶ μίαν ἐνέργειαν in Christo statuerunt. vid. *Photii Biblioth. Cod. XIX. & Philastrii Supplem. Catal. haret. p. m. 108.* Hinc & *Theopaschitæ* orti, qui divinitatem ipsam unigeniti Filii DEI cruci affixam & in sepulchro collocatam fuisse, finxerunt. Autor ejus *Petrus Gnapheus* sive *Fullo Episcopus* Antiochenus fuit, qui τρισαγίῳ ad verba, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, intrusit, ὁ σταυρωθεὶς δι ἡμᾶς, intelligens ipsam divinitatem Christi. Huic sese acriter opposuit Felix II. *circa ann. Christi 483.* vid. *Baron. Annal. ad hunc annum*, prolixe. Eutychianis ortum suum postea etiam debuerunt *Acephali*, qui cum neque Episcopo suo *Petro Mogo* Eutychiano alias, sed qui Henoticum Zenonis receperat, amplius adhærerent; neque cum Catholicis facerent, *Acephali*, quasi *capite carenten-*

ventes appellati sunt. confer *Baron. ad annum Christi 482.*

§. 36.

Prædestinatiani seu *Prædestinati* ab errore dogmatis nomen habentes, statuerunt, DEUM ante prævisum primi hominis lapsum, quosdam ad æternam vitam, quosdam vero ad damnationem prædestinasse. Hujus erroris sane gravissimi autor fuit Lucidus Presbyter, cui Faustus Rhegiensis hac de causa anathema dixit, quod affirmasset, eum, qui periit, non accepisse, ut salvus esse possit; vas contumeliæ non posse assurgere, ut sit vas in honorem, &c. vide *Epistolam Fausti* apud *Baronium ad annum 490. n. 18.* Errorem hunc superiori ævo resuscitavit Calvinus. Ansam illi duriores quasdam Augustini locutiones, cum de natura & gratia loqueretur, dedisse, certum est. vide *Jacobi Sirmondi Prædestinatum, & Natal. Alex. H. E. Sec. V. P. 2. Dissert. 5.*

§. 37.

Schisma etiam Romæ *Laurentium* inter & *Symmachum*, post obitum Papæ

Anastasii anno Chr. 498. exortum. Nam Symmachus in Basilica CPtana in ejus locum electus, Antipapam Laurentium in Basilica Mauritiana creatum expertus est. Ex quo dissensu inter Clericos & Senatores Romæ discidia & cædes exortæ. Pro Symmacho tandem Theodoricus Rex Gothorum, ad quem lis illa delata fuerat, pronunciavit, habitis hac de causa frequentibus Episcoporum Synodis. v. *Baron. ad annum Chr. 498. & Ammian. Marcell. l.* XXVII. *cap. 3.*

§. 38.

SYNODOS & CONCILIA hoc Seculo frequentissima fuisse, ex tomis Conciliorum per-est notum. Sæpius Carthagine, Milevi, Cirtæ in Numidia, Diospoli in Palæstina & Romæ, propter hæresin Pelagianam Episcopi convenerunt; nec tamen extinguere illam valuerunt. Toleti etiam in Hispania, Andegavi & Turonii in Gallia Episcoporum & Presbyterorum congregationes factæ sunt ad disciplinam ecclesiasticam rectius ordinandam.

§. 39.

§. 39.

Nos hic tantum duo *concilia œcumenica*, EPHESINUM & CHALCEDONENSE memorabimus. Ac quod EPHESINUM attinet, illud *Theodosius Junior*, Imperator Ephesi, anno Christi 431. missis literis ad præcipuos Orbis Episcopos convocavit: ut Nestorii hæresis noviter sparsa examinaretur & damnaretur. In hoc cum Nestorius in consessu Episcoporum comparere & respondere detrectaret, subinde blasphemas voces repetendo; ego *bimestrem & trimestrem Deum non dico*; ob pertinaciam erroris ab Episcopis CC. condemnatus fuit. vid. *Socrat. lib.* VII. *cap. 29. & 32. Evagr. l. I. c. 2. seqq. Theodoret. libr.* IV. *H. E.* Acta hujus Concilii *tom.* III. exhibentur. Canones in eo VIII. *conditi.* vid. *Beveregii Synodic. tom. I.*

§. 40.

Alterum Oecumenicum hujus Seculi (quod alias *quartum* dicitur) Marcianus Imperator, *Chalcedone*, quæ est Bithyniæ civitas, anno Chr. 451. ob hæresin Eutychianam indixit. Convenerunt

eo DCXXX. Patres, v. *Liberati Brev. c. 13.* Hi Eutychis hæresi examinata eum cum Nestoriana damnarunt, & contra confusionem naturarum in Christo ab illo assertam, Symbolis prioribus addiderunt: ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον. vid. *Evagrii H.E. l. II. c. 3. & t. IV. Concil.* Canones de disciplina & ordine Clericorum XXVIII. in eo conditi sunt. Quorum ultimus *de æqualibus honoris privilegiis* cum Romano, Archi-Episcopo Constantinopolitano concessis, a parasitis Romanensib. in dubium, sed frustra, vocatur. v. *Beveregg. Synod. t. I.*

§. 41.

Cum post memoratum jam Concilium Chalcedonense Eutychiani varias turbas excitarent, Zeno Imperator Constantinopolitanus, impulsu Acacii, ἑνωτικὸν, seu *Epistolam pacificatoriam* an. Chr. 483. publicavit, in qua fides orthodoxa ex Symbolis & XII. Anathematismis Cyrilli repetita & confirmata fuit; licet nominatim Chalcedonense Symbolum non exprimeretur. Illi subscripserunt quatuor

tuor sedium Patriarchalium Archi-Episcopi, ut pax & concordia restitueretur, vid. *Evagr. H. E. l. III. c. 14, 20. Valesii in hunc not.* Iniqua in Zenonem censura apud *Baronium* ad annum Chr. 482. *num. 26. seqq.* legi potest.

§. 42.

Quod REGIMEN ECCLESIASTICUM attinet, hoc seculo paulatim τύπον regiminis civilis induere cœpit; cum Patriarcharum, Primatum, Archi-Episcoporum, Exarchorum splendida nomina ambitionem Episcoporum stimularent; ut jam de primatu & dominatu certare occœperint. *Throni* etiam Patriarchales quinque constituti fuerunt, nomen a præcipuis Imperii urbibus habentes, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, vid. *Can. XXIIX. Concil. Chalced. & Salmasii libr. de Primatu.* Ac licet Imperatores Christiani nondum jus suum circa sacra & Religionem in Clerum transtulissent; (quod convocationes Synodorum, & constitutiones ecclesiasticæ hoc ævo ab Arcadio, Honorio, Theodosio, Marcia-

ciano, Zenone & Anastasio factæ probant, confer *Socratem in Proœmio lib. IV. H. E.*) Romani tamen Præsules *fastum* jam prodere suum cœperant. Leo I. *Petri sedem* extollere, *universalem se* Episcopum quandoque appellare, superbeque agere non dubitavit. Cujus typhum Edictum Valentiniani III. Imper. anno Chr. 445. pro ejusdem *primatu* promulgatum confirmavit. Simplicius, Felix & Gelasius jam pro imperio decernere, sibi ex muneris amplitudine licitum arbitrabantur. Fastum & *luxum* horum animadvertit *Ammianus Marcellinus libr. XXVII. c. 3.* Non vacat hic motus per Episcoporum ambitionem & certamina excitatos recensere.

§. 43.

DISCIPLINAM hoc ævo laxiorem fuisse, tum ex canonibus hac de causa in Synodis diversis compositis, tum ex cleri vitiis invalescentibus colligi potest. Chrysostomus certe illa passim in Homiliis notavit, & Sacerdotes *secundum leges vivere* jusit apud *Theodoretum l. V. cap. 18.* imprimis autem ministris Ecclesiæ gravis-

vissimæ inculcat, ne indignos, quos norunt, ad S. Eucharistiæ usum admittant, vid. *Homiliam ejus 88. in Matth. f. m. 705. seqq.* confer. *Sozomen. lib. IIX. c. 4.* Confessio peccatorum publica sub Leone I. in privatam mutata, ut peccatores confitentes melius erudiri possent, id, quod ad disciplinæ melioris usum facit.

§. 44.

Veteri Christianorum simplicitate, per novos seculi mores, velut antiquata, RITUS & CEREMONIÆ novæ magis invaluere. Jejunium quadragesimale sancte observatum fuisse, ex Maximi Taurinensis Episcopi Homiliis de eo scriptis adparet, vide *Dallæum de Jej.* Historiam Passionis CHRISTI quotannis in templis recitatam fuisse ex *Chrysostomi Homil. 88. in Matth.* constat. Conciones ex suggestu vel umbone factas *Socrates l. 6. cap. 5. & Sozomenus l. IIX. c. 5.* memorant. His finitis publicæ preces subjunctæ sunt, teste Chrysostomo 3. & 4. *de incomprehensibili DEI nat.* Morem psallendi per Antiphona, id est, choros alternatim sibi succinentes, Chrysostomus Constantinopoli pri-

primum instituit, teste *Socrate lib.* VI. *c. 8. Sozomen. lib. IIX. cap. 8.* Litaniarum & supplicationum in templis usum, respondente populo, κύριε ἐλέησον, hoc seculo fuisse, ex *Nicephori lib.* XIV. *cap. 3.* colligimus. Preces pro defunctis factæ superstitionem de *Purgatorio* excitarunt, de quo Augustinus jam in Enchiridio ad Laurentium loquitur. De oblationibus pro dormientium Spiritibus collatis vid. *Augustin. Epist. 60.* Cæterum pompam in funerum deductione jam usitatam, *Chrysost. Homil. 4. in c. 2. Ebr. & Homil. 61.* reprehendit, addens: *Perditus, si in funere universam habuerit civitatem, nihil lucrabitur.* confer. *Augustin. de* C. D. *libr. I. c. 12.* Quietiam *Epist. 119. ad Januarium* de aucto nimis ceremoniarum numero conquestus est. confer *Magdeburg. centur.* V. *c. 6.* Monachatus incrementa in oriente & occidente hoc ævo facta passim notantur. Monachi Acœmetæ inprimis hoc seculo celebres ita dicti, quod in tres classes divisi, sibique invicem succedentes, divina officia nullo interposito intervallo, nocte dieque celebra-

brarent. In horum usum plurima Constantinopoli monasteria constructa sunt, præcipue celeberrimum illud, quod *a Studio*, qui consul fuerat, ann. CCCCLVI. *Studii* nomen traxit. Hi monachi hæresi Nestorianæ favebant. vide *Guilielmum Cave Hist. Lit. f. 281.*

§. 45.

PERSECUTIONES quidem *universales* hoc ævo Ecclesiam non exercuerunt; Fuerunt tamen particulares sat graves. Non referam de persecutione, quæ Joh. Chrysostomum, quæ Flavianum Constantinopolitanum in Synodo λησρικῇ, quæ Acacium, quæ Hilarium Arelatensem & alios pios viros afflixit: sed quæ integras Ecclesias presit, & tantum non oppressit.

§. 46.

Huc spectat persecutio Vandalica, qua Christianos Genserícus, Rex Vandalorum Arianus in Africa anno Chr. 437. afflixit, occupata Carthagine. De qua videndus *Victor Uticensis, lib. I. de Persecut. Vandal.* Illius crudelitatem filius Hunnericus Rex Vandalorum continuavit.

Con-

confer. *Gregor. Turonenſ. lib. II. de Geſtis Franc.* Gothi, Heruli & Hunni Italiam & vicinas regiones invadentes ac devaſtantes, Chriſtianos ſimul divexarunt, quod ab ipſorum morum barbarie diſſentirent. Nam & Alaricum Regem Gothorum, Odoacrum Reg. Herulorum, & Attilam Hunnorum, *Flagellum DEI* dictum, in Chriſtianos paſſim ſæviiſſe, annales illorum temporum loquuntur. De graviſſima Chriſtianorum in Perſia perſecutione, quam regnante Isdigerde ann. Chr. 420. ſuſtinuerunt, *Theodoretus l.* V. H. E. *c. 39.* memorat. confer. *Magdeburg. Cent.* V. *cap. 3.*

§. 47.

MEMORABILIA hujus ævi dixeris Imperium *Arcadium* inter & *Honorium* diviſum, quorum ille in *Oriente*, hic in *Occidente* imperarunt: ſed occidentale imperium anno Chriſti 475. extinctum fuit: Imperium Attilæ tanquam latronis gentium, bella ſeu latrocinia potius & mors ſubita vid. *Jac. Gothofredi Commentar.* Eudoxiæ Auguſtæ documentum humilitatis, quo Severianum Johan. Chryſoſtomo con-

conciliavit, apud *Socratem l.* VI. *c.* 11. Codex Theodosianus, Theodosii *Junioris auspiciis* anno Christi 435. publicatus. Rei literariæ sub Imperio Theodosii laudati incrementa vid. *Cod. Theodos. l.* 14. *tit.* 9. *de Stud. liber.* Historia, an fabula de ampulla Rhemensi cum S. chrismate per columbam rostro delata, quum Clodovæus per Remigium baptizandus esset, cujus generis miracula & prodigia *Magdeburgenses Cent.* V. *cap.* 3. plura commemorant. Verior est historia de Pseudo-Mose, Judæo impostore in insula Creta, qui Judæis reditum in Palæstinam per exsiccatum mare promiserat apud *Socr. lib.* VII. *c.* 38. Addi possunt piæ & eruditæ fœminæ hoc ævo illustres, *Pulcheria & Eudoxia Augustæ*, *Proba Falconia* Romana, *Hypatia* Philosopha Alex. & *Eustochium* Paulæ Rom. filia apud Hieronymum.

§. 48.

Si *Judicium* hic subjiciendum, dignum maxime notatu est, quod Diabolus, qui superioribus seculis per hæreticos famosos CHRISTI divinam & humanam naturam impugnarit; hoc seculo naturarum

rum in CHRISTO unionem hypostaticam per *Nestorium & Eutychem* convellere, per *Pelagium* vero CHRISTI satisfactionem & meritum, tollendo gratiam, destruere molitus sit. Adeo CHRISTUS diabolo invisus semper fuit. Notanda etiam Episcoporum inter se certamina, quæ ad crudelitatem usque progressa sunt, ut Synodus λῃστρικὴ seu prædatoria testatur. Aliquos etiam vitia, quæ rebus secundis obrepere plerumque solent, valde agitarunt. Constantinus M. Ecclesiæ splendorem externum additurus, non tantum templa magnifice exstrui curaverat, sed & ut clericis latius prospectum esset, fundos & prædia donaverat, quæ in vita Sylvestri enumerat Anastasius Bibliothecarius, & ex ea Platina. Hinc προστασία in Ecclesia olim non admodum desiderata, jam non sine animæ periculo, imo cæde & sanguine ambiri cœpit. Quod *Ammianus* miles quondam & Græcus *lib. XXVII. c. 3.* testatur. Inde Episcopi Romani dilatandarum suarum fimbriarum & potestatis in exteras Ecclesias usurpandæ ita cupidi

&

& studiosi facti, ut causas Africanas per appellationes Romam deferri ibique decidi, Zosimus, Bonifacius & Celestinus fategerint. Quanquam sedes Constantinopolitana a Synodo Chalcedonensi *Can.* XXIIX. τὰ ἴσα πρεσβεῖα *æqualia* cum veteris Romæ Episcopo privilegia accepit. Zenonis Augusti Ἑνωτικὸν exemplo etiam esse potest, formulas pacificatorias non semper in Ecclesia tollere dissidia. Id quod Petri Moggi (vel Mongi) & Petri Eullonis, qui illi subscripserunt, exempla docent. Non prætermittenda hic quoque divina judicia, quibus populi sui peccata, immissis barbaris gentibus inprimis Vandalis, Gothis & Hunnis graviter ultus est, Roma etiam superba orbis Domina illis subjecta. Providentiæ hujus divinæ argumenta insigniter Augustinus *de Civitate DEI*, Orosius *Hist.* & *Salvianus de Provid.* & *Gubernat. DEI* pertractarunt.

PERI-

PERIODUS II.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CAPUT III.
De
Sec. VI. Chr.

§. 1.

SExtum *Seculum*, cujus res ecclesiasticas strictim enarrare pergemus, ob factiones Eutychianorum valde turbulentum fuit; rupta tam in Occidente, quam Oriente Ecclesiæ pace, miserequе labefactata fide Christiana. Quæ tamen inter istas turbas ad peregrinas gentes Mengrelianas (tunc a *Lazica* regione nominatas) Homeritas, Æthiopes, Armenos, Anglo-Saxones latius propagata fuit. vid. *Magdeburgenſ. Centur.* VI. *cap. 2. & Hottingeri Hiſtoria ſacra* hujus *ſec. cap.* VI. *ſect. 1.*

§. 2.

Cæterum si seculum hoc cum duobus antecedentibus contendas, sterile ob inopiam præstantium SCRIPTORUM & DOCTORUM, ingruente quippe magis magisque barbarie, censeri debet.

§. 3.

§. 3.

Inter *Latinos* scriptores celebriores fuerunt (1.) *Fulgentius* Afer, Augustini discipulus, Episcopus Ruspensis, cum *Fulgentio Ferrando*, qui *Breviationem Canon. ecclesiasticorum* etiam hoc seculo conscripsit, non confundendus; vir doctrina & morum sanctitate insignis, qui adversus Arianos, & multa alia scripsit, ut in operibus ejus videre est. (2.) *Marcus Aurelius Cassiodorus*, Senator Romanus, autor est variarum *Epistolarum lib. XII.* Historiæ *Ecclesiasticæ Tripartitæ* ab Epiphanio Scholastico excerptæ & Latine redditæ primum, ac usque ad annum 519. continuatæ, it. *Chronici ad Theodoricum* Regem &c. vid. Opera ejus a *Joh. Garreto* Rothomagi non ita pridem edita. (3.) *Benedictus* Umber, ob vitam monasticam anno 540. celebris, Regulas Monachorum, Epistolas, Sermones & Sententias reliquit, quæ in *Biblioth. PP. tom. IX.* exstant. (4.) *Dionysius Exiguus*, Abbas Rom. *collectionem* sive *Codicem Canonum ecclesiastic.* item *Decretorum Pontif. Rom. a Siricio ad Anastasium II. Cyclum Paschalem*

& alia reliquit opuscula. (5.) *Facundus* Hermianensis in Africa Episcopus, *Trium Capitulorum* defensor acerrimus, pro quibus libros XII. ad Justinianum Imperatorem scripsit. Opera ejus Parisiis edita prostant. (6.) *Arator*, gente Ligur, Orator & Poëta Christianus, *Actus Apostolicos* carmine epico expressit. (7.) *Victor*, Episcopus Capuanus, *Ammonii Harmoniam Evangelicam* Latine vertit, *Catenam in quatuor Evangelia* consarcinavit. (8.) *Primasius*, gente Afer, Adrumeti Episcopus *Commentar. in Epistolas S. Pauli, in Joh. Apocalypsin, & de Hæresibus libr. III.* ad Fortunatum Episcop. reliquit. (9.) *Liberatus*, Eccles. Carthag. Archi-Diaconus, Trium Capitulorum defensor, *Breviarium*, (sic enim historiam suam Nestorianam & Eutychianam appellat,) a Garnerio cum notis & dissertationibus editum Parisiis composuit. (10.) *Venantius Honorius Clementianus Fortunatus*, Pictaviensis Episcopus Poëmata varia, Epistolas & vitas Sanctorum conscripsit. (11.) *Georgius Florentius Gregorius*, Archi-Episcopus Turonensis, Historiam sive Annal. Francicorum

corum, *lib. X. de Gloria Martyrum & Confessorum*, & alia scripsit. vid. *Biblioth. PP. tom. XI.* (12.) *Gregorius I. Magnus* a rebus gestis dictus, Episcopus seu Pontifex Roman. vir pietate & eruditione pro captu hujus ævi insignis, multa scripsit, quæ conjunctim variis locis edita prostant. (13.) *Isidorus Junior*, Hispalensis dictus, inter eruditiores hujus ævi scriptores referendus, *Chronicon*, *Historiam Gothorum*, *Vandalorum & Svevorum*, *libr. XX. Originum*, & alia scripsit. Opera ejus conjunctim edita Parisiis & Coloniæ prostant. (14.) Addimus Philosopho Theologum *Anicium Manlium Torquatum Severinum Boëthium* sive *Boëtium*, Romanum qui in carcere *libros V. de Consolatione Philosophica* non tantum scripsit; sed etiam de TRINITATE & adversus *Eutychen* ac *Nestorium*. Denique agmen claudat *Jornandes* sive *Jordanus*, gente Gothus, Episcopus Ravennatensis, qui de *Rebus Geticis*, sive *histor. Gothorum*, item *de Regnorum & Temporum successione* scripsit, vid. *Voss. de Histor. Latin. l. II. c. 20.*

§. 4.

Inter *Græcos* collocamus (1.) *Severum*, Patriarcham Antiochenum, multarum Epistolarum, Homiliarum & commentariorum in sacram Scripturam, qui in catenis Græcis allegantur, autorem (2.) *Theodorum*, Ecclesiæ Constantinopolitanæ lectorem, qui *libros Histor. Eccles.* collegit, a Roberto Stephano & H. Valesio editos. (3.) *Procopium Gazæum*, Sophistam, qui *commentaria in Heptateuchum*, *Scholia in libr. IV. Reg.* & alia ἐξηγητικὰ reliquit. (4.) *Simeonem*, *Stylitem* ab habitaculo, *Juniorem* ab ætate dictum, de quo vide *Evangelium l. V. c. 21.* & *Leon. Allatium Diatrib.* de Simeonum scriptis. (5.) *Procopium* Palæstinum, Sophistam seu Rhetorem, qui de *Bello Persic. Vandalico & Gothico*, item *Historiam Arcanam* Justiniani & Theodoræ Aug. scripsit. Maltretus opera ejus Parisiis publicavit, (6.) *Anastasium* Sinaitam, Patriarcham Antiochenum, qui ὁδηγὸν sive *Ducem viæ* adversus Acephalos & alia opuscula reliquit. vid. *Cave Histor. Lit. p. 419.* (7.) *Joan. Scholasticum*, *Climatum* a li-

a libro, quem scripsit, dictum, Abbatem in monte Sina, qui *Scalam Paradisi & Librum ad Pastorem* reliquit. Cum quo non confundendus *Johannes Scholasticus* Syrus, qui Collectionem canonum & Nomocanonem ac alia opuscula a Justello in Bibliothec. Jur. Canon. allata conscripsit. (8.) *Eulogium*, Patriarcham Alexandrinum, qui *Homiliam in Ramos Palm.* & elenchtica opuscula apud Photium allegata reliquit. (9) *Johannem* Cappedocem ab abstinentia Νηστευτὴν seu *Jejunatorem* dictum, qui de *Pseudo-Prophetis*, de *Pœnitentia*, & ascetica scripsit, vid. *Cave Hist. Lit. p. 427.* (10.) *Leontium Byzantinum* Monachum, qui de Sectis, item adversus Eutychianos & Apollinaristas & alios libellos composuit. vid. *Voss. de Hist. Gr. l. IV. c. 8.* *Leontius* autem *Neapoleos Apologiam pro Christianis* adversus Judæos adornavit. (11.) *Evagrium Scholasticum*, autorem *Hist. Eccl. l. VI.* quam ab anno Christi 431. ad ann. Chr. 494. perduxit.

§. 5.

Doctrina Publica tum ex Symbolis, Apostolico, Nicæno, Constantino-

politano & Chalcedonensi, tum ex Canonibus Conciliorum & Constitutionibus Justinianæis, tum ex Fulgentio, Facundo Hermianensi, Primasio & Gregorio I. inprimis repetenda est. Sed Chalcedonensis Symboli doctrina ab Eutychianis & horum assecclis diversa nomina sortitis varie impugnata, & accedentibus superstitiosis ritibus contaminata fuit. Nam cultus Sanctorum, præcipue S. Mariæ τῆς Θεοτόκου, S. Crucis & imaginum increvit. Festa nova *Purificationis*, *Annunciationis* S. Mariæ, festum *Natalis S. Johannis*, consecrationes templorum, *Missæ* super defunctis, *Missatici Canones*, reliquiarum Sanctorum cultus, & alia ceremoniarum pompa primis seculis ignorata, hoc ævo instituta vel aucta leguntur: ita, ut nova sensim Christianismo facies inducta fuerit. De quibus Liturgiæ & Gregorii M. opera testantur, confer *Magdeburg. Centur.* VI. *c.* 4. *& 6.*

§. 6.

Puritatem doctrinæ non tantum superstites adhuc veterum *hæreticorum* er-

ro-

rores Manichæorum, Donatistarum, & inprimis hæresis Ariana adhuc late regnans infecerunt. Nam Gothorum Reges in Italia, in Africa Vandali, in Hispania Wisigothi & Svevi Arianismum fovebant; & in Oriente etiam Episcopi ab hac labe non omnes fuerunt immunes. His accesserunt Nestoriani & inprimis Eutychiani in novas familias seu sectas disgregati.

§. 7.

Eutychiani vel *Eutychetæ* præcipui hujus ævi hæretici sunt, qui cum autore sectæ suæ naturas duas in Christo confundentes, statuerunt ita assumtum fuisse hominem, ut post adunationem humana natura in Christo velut absorpta fuerit. Admittebant Christum ex duabus naturis consistere, *in duabus vero post unionem minime.* Huic sectæ Anastasius Imperator, Zenonis successor, ipse addictus fuit. vid. *Evagr. Histor. Ecclesiast. lib. III. c. 29. seqq. P. Diacon. Histor. Miscell. lib. XV. Zonar. tom. III.* sub Anastasio *Dioscoro & Nicephoro lib. XVI. c. 35.*

§. 8.

Ex dicta jam hæresi plures surculi vel rami pestiferi progerminarunt aliis nominibus appellati: ut supra memorati *Acephali* anno 526. teste *Sigeberto*, exorti. Qui eum sententiam concilii Chalcedonensis contra Eutychem latam impugnarent, & eorum *caput* ignoraretur, dicti sunt *Acephali*, quasi *capite carentes*. Quos Rusticus diaconus imprimis refutavit. Extat ejus *Disputatio adversus Acephalos in Biblioth. PP. tom. X. f. 349.*

§. 9.

Cum Acephalis faciebant *Severitæ a Severo* per Justinum II. Imper. sede Antiochena expulso & in Ægypto Eutychianismum spargente appellati. vid. *Evagr. lib. IV. c. 4. & Zonaram tom. III. sub Justino Thrace.* Illi favèrat Theodora Justiniani Imper. Uxor, quæ persuasit marito, ut revocaretur, teste *Evagrio lib. IV. cap. 10.* mox tamen iterum ejectus & damnatus fuit. confer *Nicephorum l. XVII. cap. 29.*

§. 10.

Ab his ortum traxere *Aphtartodocetæ* seu

seu *incorrupticolæ*; ita appellati, quod negarent, humanam naturam in Christo ante passionem passionibus naturalibus fuisse obnoxiam; sed æque, ut post resurrectionem, fuisse incorruptibilem, h. e. passionibus humanis non obnoxiam. vid. *Magdeburg. Cent. VI. c. 5. fol. 306. seq.*

§. 11.

Inde *Theopaschitæ*, quod divinitatem ipsam in Christo passam ac mortuam esse, traderent; vid. *Nicephor. libr. XVIII. c. 51. Monophysitæ*, quod unam in Christo naturam statuerent, vid. *Nicephorum lib. XIIX. c. 48. & 50.* orti. Immo & *Monotheletæ* supra jam allegati, qui unam tantum in Christo voluntatem credebant, vide *Supplementum Catal. Hæret. Philastrii pag. 108.* Qui & *Monergitæ* appellati, quod & unam ἐνέργειαν in Christo statuerent, vid. *Photii Biblioth. Cod. XIX.*

§. 12.

Circa medium hujus seculi in Ægypto innotuerunt *Agnoëtæ*, docentes, τὸν λόγον in Christo quidem omnia novisse,

humanitatem vero illi unitam permulta ignorasse. vid. *Spondani Epitom. Annal. Baron. ad annum Christi 535. num. 10. & annum 563.* Qua ratione errorem a Nestorianis hausisse, verisimile est. Si autem, quod alii volunt, negarunt Christum secundum Deitatem diem judicii extremi ignorasse, Eutychianis accensendi veniunt. vid. *Niceph. l. XII. c. 30. & l. XIIX. c. 45.*

§. 13.

Jacobitæ a Jacobo quodam Syro, Severi & Gnaphei discipulo dicti, Nestorianam hæresin in Oriente propagarunt. vide *Nicephor. l. XIIX. c. 52. & Eutychii Annal.* His *Melchitæ* opponuntur, qui Concilium Chalcedon. & Imperatoris decreta tuebantur.

§. 14.

De reliquiis superiorum temporum hæresium, ut MANICHÆORUM, *Theodorus Lector lib. II. & Paulus Diaconus lib. XV. Histor. Misc.* agunt. ORIGENISTARUM, qui damnatorum pœnas finem habituras asserebant, *Gregorius M. in cap. XLI.*

XLI. Jobi, & Evagrius lib. IV. cap. 38. de Donatistarum erroribus nondum extinctis, *Gregorius Turonens. lib. V. Histor. cap. 44.* memorant confer. *Magdeburg. Cent. VI. c. 5.*

§. 15.

Plurima hoc ævo Concilia habita leguntur, sed unum tantum *Oecumenicum*, quod ordine quintum fuit. Hoc Imperator Justinianus in urbe regia Constantinopoli, ex plurium sententia, anno Christi 553. convocavit: ut repullulantes Origenistarum controversiæ & litigia, de *Tribus Capitulis*, ex controversiis Nestorianis enata componerentur. Cui Vigilius Papa, licet præsens Constantinopoli, ob contentionem cum Episcopo Constantinopolitano de *Primatu* interesse noluit. In eo Eutychius, Patriarcha Constantinopolitanus, Mennæ successor, præsedit, præsentibus Episcopis CLXV. qui fidem IV. Conciliorum œcumenicorum ante habitorum confirmarunt, & Theodori Mopsvesteni libellum ceu blasphemum, Theodoreti scripta Nestorianismo favente, & Epistolam Ibæ ad Ma-

rin Persam, quippe Nestorianum, quæ conjunctim sumta, *Tria Capitula* vocabantur, damnarunt. Deinde anathematizarunt Origenis, Arii, Macedonii, & aliorum errores, quæ omnia octo sessionibus seu collationibus acta sunt.

§. 16.

Quod autem *Tria* illa hoc ævo decantata *Capitula* attinet, paucis de origine illorum notandum est: quod damnato in Concilio Ephesino Nestorio, apud *Socratem lib. VII. c. 34.* patroni Nestorianismi *libellos tres* in vulgus sparserint, quibus Nestorii errores de Persona & Naturarum in Christo unione palliare & disseminare laborarunt; ne concrematis Nestorii libris, simul hæresis ejus extingueretur. Isti libelli *Tria Capitula* dicebantur. Quorum *primum Theodori* Mopsvesteni in Cilicia Episcopi fuit: qui duas quidem in Christo naturas contra Eunomianos agnovit; sed quo simul duas personas statuere videbatur, vid. *Photii Biblioth. Cod. 38. 81. & 117.* *Secundum* fuit Theodoreti Cyri in Syria Episcopi, qui instinctu Johannis Antiocheni, XII. Cy-

Cyrilli Alexandrini editos Anathematismos acri censura notaverat, Nestorium simul haud obscure defendens. *Tertium* fuit Epistola Ibæ, Edessæni in Syria Episcopi, ad Marin Persam, Theodori discipulum, scripta, qua itidem Cyrilli Alexandrini XII. Anathematismos contra Nestorium perstrinxit; contra vero Theodorum & Nestorium laudavit. vid. *Liberati Breviar. cap. XXIV. Evagrium lib. IV. cap. 38. Facundi Hermianensis Ecclesiæ Episcopi lib. XII. ad Justinianum Imperat. cum Jacobi Sirmondi Not. Nicephor. libr. XVII. c. 26. & 27.*

§. 17.

Cæterum finito isthoc Concilio, multa certamina inter Vigilium Papam & Orientis Episcopos exorta sunt; cum ille cum suis assecIis hanc Synodum adprobare nollet. De quibus *Baronius* Vigilii partium studiosus multa, sed fine teste ad *annum Christi 553. n. 224.* narrat.

§. 18.

Concilia particularia tum in orientali, tum occidentali Ecclesia, in Gallia & Hispania inprimis habita recensentur in

Tom. IV. & V. concil. Quorum epitomen *Franc. Cariolanus & Caranza in Summa Conciliorum* exhibent. Spectant illa præcipue disciplinam Ecclesiæ, quæ aucto clericorum numero, & vitiis variis inolescentibus jam valde labefactari cœperat, confer. *Magdeb. Cent. V. c. 9.*

§. 19.

ECCLESIÆ REGIMEN ad se pertrahere Patriarchæ & Episcopi connitebantur: inprimis autem *Romanus & Constantinopolitanus* Patriarchæ sive Episcopi de *Primatu* in Ecclesia certabant. Uterque prærogativa *Urbis* nitebatur: ille *Veterem*, hic *Novam* allegabat *Romam*. Hinc *Oecumenici* titulum Constantinopolitanus Episcopus sibi a Justiniano in Codice & Novellis tributum jactabat. Sed post Pelagium II. ipsi maxime refragabatur *Gregorius M.* in Epistola ad Gregorium Mauricium Augustum CXCIV. diserte scribens: *Ego autem fidenter dico, quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desideret, in elatione sua Anti-Christum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia*

quia sicut perversus ille, qui Deus videri vult super omnes homines; ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super cæteros sacerdotes se extollit, &c. vid. *tom. II. opp. Gregor. edit. Basil. fol. 888.* confer ejusdem *Epist. XXXII.* & Decretum *Gratiani distinct. 99. Canon. Eccles.* Interim alios Episcopos Romanos ab hac Gregorii I. modestia longe abfuisse Symmachum, Laurentium, Bonifacium II. Dioscorum, Sylverium & Vigilium, eorum vitæ & gesta loquuntur. conf. etiam *Baronium ad annum Christi 538.*

§. 20.

Jus tamen circa sacra & in clerum, Imperatoribus Christianis hoc ævo nondum ademtum fuisse, inter alia etiam Constitutiones Ecclesiasticæ Justiniani Imper. probant. Etsi *Baronius ad an. Chr. 528. n. 11.* & parasitus Græcus Ecclesiæ Rom. *Leo Allatius de perpet. Consens. l. I. cap. 25.* hac de causa laudatum Imperatorem fugillant. confer. *Magd. Cent.* VI. *c. 7.*

§. 21.

Corruptam hujus ævi Disciplinam tum

tum contentiones Episcoporum inter se, tum Canones Synodorum, ob emendanda cleri vitia conditi abunde testantur. *Ceremoniæ & ritus* in sacrorum celebratione non tantum increverunt; sed superstitionibus variis etiam contaminati sunt. Collegerunt illos Centuriatores Magdeburgici *Cent. VI. c. 6.* Patronus ceremoniarum imprimis Gregorius M. fuit, qui ideo & *Pater ceremoniarum* appellatur. Referri huc possunt ordines Monachorum aucti, *Benedictorum* a Benedicto Nursino appellati, *Apostolicorum*, *Gregorianorum*, de quibus *Hospinianus* consuli potest.

§. 22.

Inter hos intestinos motus supra memoratos, Ecclesia non caruit *persecutionibus.* Quarum autores in Africa Hunnericus Vandalorum R. vide *Procopium libr. I. Vandal. & Evagrium libr. IV. cap. 14.* Procopius etiam Theodorici Gothorum R. tyrannidem l. c. notat. Deinde *Hunnorum*, *Francorum*, *Longobardorum*, qui Italiam invadentes & vicinas provincias depopulantes, Christianos variis modis simul divexarunt. In Oriente Chos-

Chosroes Rex Persarum, etiam in Christianos sæviit: quod *Procopius & Evagrius lib. IV. cap. 25. seqq. & lib. V. cap. 7.* testantur. Plura in *Magdeburg. Centur. VI. c. III.* de his persecutionibus annotata legi possunt. Judæi Samaritanis juncti etiam in Christianos sævierunt. vide *Elmacini Hist. Sarac. p. 264.*

§. 32.

Memoriablia hujus ævi ita multa sunt, ut compendium ea vix capiat. (1.) Æra Christiana a Dionysio Abbate ordinata, anno Christi 532. publice in numerandis annis recepta. (2.) Theodorici R. Gothorum, viso capite piscis miræ magnitudinis appositio, quod Symmachi innocenter occisi caput esse putabat, ac adeo consternabatur animo, miser obitus vel interitus. (3.) Duæ sanctissimæ virgines *Brigida* Scota, *& Genofeva* Parisiensis Francorum patrona. (4.) Juris Romani veteris autoritate Justiniani Impor. per Tribonianum collectio & divisio in partes & libros. (5.) Templi τῆς ἁγίας Σοφίας, seu æternæ Patris sapientiæ JESU CHRISTO dicati exstructio magnifica

fica Justiniani. vide *Evagr. l. IV. cap. 31.* (6) Justiniani Imper. constitutio, Pontificis R. electionem irritam esse debere, nisi approbata & confirmata esset ab Imperatore, quam *Onuphrius Panvinius in annot. ad Platinæ vitam Pelagii II.* recitat. (7.) Schisma inter Silverium & Vigilium, Pontifices Rom. ortum. vid. *Liberati Breviar. c. 22. & Evagrium l. IV. c. 19.* (8.) Longobardorum Rege Alboino an. Chr. 568. ingressus in Italiam : ut ibi novum Regnum conderent. (9.) Multorum Judæorum in Gallia conversio, de qua *Fortunatus lib. V. Carm.* canit. (10.) Pestis inguinaria Romæ exorta dirissima anno Christi 591. qua sternutando homines passim animas efflasse dicuntur. Quam ob causam Gregorius M. septiformi Litania instituta, iram DEI placare voluit. confer. *Marianum Scot. lib. II. at. 6.* (11.) Pseudopropheta, qui in Gallia an. Christi 593. pro Christo se venditavit, & ultra 3000. hominum post se traxit in perniciem. vide *Sigebertum Gemblacens.* ad hunc annum & *Gregorium Turonens. l. X. Histor. cap. 25. Baron. ad annum 595. n. 82.*

& 83. (12.) Terræ motus horrendi Antiochiæ apud *Evagrium lib. II. c. 12.* confer. *Philostorgii lib. XII. num. 8. 9. seqq.* Miracula per demortuorum reliquias, imagines, per Sanctorum invocationes patrata addere supersedemus; cum multa superstitionem ævo hoc invalescentem redoleant. Evolvesis *Evagrium, Gregorium Turon. & P. Diaconum.*

§. 24.

Si de statu Ecclesiæ hujus seculi ex historia judicium summatim ferendum est; mirari licebit, ut Nestorianorum & Eutychianorum hæreses plurium novorum feraces errorum Ecclesiam mire turbantium fuerint: ut superstitio per novum ceremoniarum adparatum, verum DEI cultum contaminarit & obscurarit magis: ut Episcopi, imprimis Romanus & Constantinopolitanus, dignitate & potestate ex nimio Principum favore aucta, de primatu & dominatu contra regulam Christi inter se certare non erubuerint: ut Synodi tollendis litigiis temere excitatis impares fuerint. Hinc non mirandum adeo, DEUM immissis malis & calamitati-

tatibus publicis scelera hæc & vitia graviter ultum esse. Nam irruentibus barbaris populis, bella, vastationes, & pestem Ecclesiam & rempublicam hoc seculo afflixisse, Procopius, Evagrius, Gregorius Turonensis & P. Diaconus, aliique testes sunt.

PERIODUS III.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,
De
Ecclesia per Pontifices Romanos & Muhammedanos pressa & obscurata.

CAPUT I.
De
Sec. VII. Chr.

§. 1.

Cum *tertia periodo* Historiæ Ecclesiasticæ, *septimum* aggredimur *Seculum*, quod Ecclesiæ Christianæ ob ingentes rerum mutationes fatale fuisse videtur. Nam in Occidente seu Rom. Ecclesia Antichristus emersit, quando Bonifacius III. Pontifex R. auxilio Phocæ, flagi-

tio-

tiosissimi Imperatoris titulum Episcopi *œcumenici & primatum*, ut caput omnium esset Ecclesiarum, obtinuit. In Oriente vero impostor sceleratus Muhammed, (vel Mohammed) gente Arabs, conditione servus primum exortus, qui se mentiendo Prophetam magnum a DEO missum, sectam novam & blasphemam, Ecclesiæ orientali exitiosam condidit. Unde barbarie simul latius grassante, turbarum & calamitatum omnia plena in Ecclesia. vid. *Hottingeri Histor. S. N. T. cap. VII. Sect. I.*

§. 2.

In hac igitur temporum barbarie magna sterilitas doctorum & scriptorum bonæ frugis extitit. Nam post horrendas illas barbararum gentium excursiones, collapso jam Imperio Romano & politioris literaturæ & sacr. literarum cognitio simul ruerat; ingeniorum & literarum meliorum cultus veluti peste contactus emarcuerat, ut inter Latinos pauciſſimi essent in bonis literis vel mediocriter versati. vid. *Degorei Whear Method. leg. Hist. sect. XXXVI. & Catal. Test. Ver. lib. VII.*

Cele-

Celebriores ergo tantum SCRIPTORES memorabimus, qui inter Græcos fuerunt, sequentes:

§. 3.

Johannes, Philioponus a studiorum assiduitate dictus, Grammaticus & Philosophus insignis, initio hujus seculi clarus, qui Tritheitarum sectæ autor & antesignanus habetur. Scripsit in *Hexaëmeron* Commentarium, disputationem de Paschate & varios Commentarios in libros Aristotelis.

§. 4.

Joannes Malala, Antiochenus, Chronographiam composuit, quæ an. 1691. Oxonii Græc. & Lat. cum notis prodiit.

§. 5.

Hesychius sive *Isychius*, Patriarcha Hierosolymitanus, initio hujus seculi clarus, scripsit Explanationes in Leviticum, Στιχηρὰ sive κεφάλαια in XII. Prophetas Minores & Esaiam, & alia apud *Cave in Hist. lit.* allegata.

§. 6.

Theophylactus, Simocatta dictus, gente Ægyptius, descripsit Mauritii Imp. res ge-

gestas libris VIII. & Epistolas LXXXV. varii argumenti.

§. 7.

Sophronius, Damascenus, ex sophista primum & monacho Patriarcha Hierosolymitanus factus, Epistolam Encyclicam, Orationes II. in crucem, Homilias & alia reliquit. conf. *Vossii l. 2. de Hist. Gr. c. 23.*

§. 8.

Johannes Moschus sive *Eviratus*, aliis *Eucrates* cognominatus, opus historicum condidit. confer *Cotelerii Monument. Eccles. Græc. tom. II. p. 341.* Huic jungimus *Andream*, Damascenum, Archiepiscopum Cretensem, qui Homilias, Canones & alia conscripsit. vide *Fr. Combefisium*, qui opuscula ejus Græc. & Lat. publicavit.

§. 9.

Georgius Pisides, Diaconus & Chartophylax Constantinopolitanus, Cosmopœiam seu carmen Jambicum in Hexaëmeron, & alia composuit. Tribuitur ipsi *Chronicon Alexandrinum*, seu *Fasti Siculi* vulgo dicti, quibus mundi tempora per omne ævum ad annum Christi 628. ordinantur. vide *Cave Hist. lit. p. 454.*

§. 10.

§. 10.

Maximus Constantinopolitanus, ex Secretario Heraclii Imper. Monachus factus, sectam Monotheletarum impugnavit, multa Theologica & ascetica opuscula scripsit. Opera ejus Fr. Combefisius duobus tomis, Parisiis anno 1675. evulgavit.

§. 11.

Inter *Latinos* Scriptores pauciores docti memorantur. His primo loco accensemus *Eligium Lemovicensem* Gallum, Dagoberti R. Galliæ ætate clarum. Qui homilias XVI. Epistolam ad Desiderium Cardurcensem, & tractatum de rectitudine Catholicæ conversationis, Augustino vulgo adscriptum reliquit, vid. *Bibl. Patr. tom. XII. pag. 300.*

§. 12.

Ildefonsus gente Hispanus, ex monacho Episcopus Toletanus, circa medium hujus seculi clarus, librum de illibata virginitate B. Virginis contra infideles, Sermones de Assumtione B. Mariæ, item de Nativitate ejus & Purificatione scripsit,

quos

quos *Fr. Feuardentius* Parisiis anno 1576. edidit.

§. 13.

Beda, *Venerabilis* dictus, gente Anglus circa exitum hujus seculi & sequentis initio clarissimus scriptor, multa tum historica & philosophica, tum theologica opera composuit, quæ à *Cave in Hist. lit. fol. 474. seqq.* recensentur.

§. 14.

Doctrina Christiana, in Symbolis olim Oecumenicis proposita quidem, in Concilio IV. & VI. Toletano, nec non in sexta Synodo Constantinopolitana repetita publiceque asserta fuit: At vero cum Ecclesiæ Doctores sacrarum literarum fere rudes, traditiones ac ceremonias ecclesiasticas cum fabulis de miraculis Sanctorum magis propagare, quam sincera fidei dogmata explicare sategerunt, superstitiones jam inolescentes magis, lucem Evangelii valde obscurarunt. Nam Missas Latinas a Gregorio M. Canone sancitas, festa & cultus Sanctorum, Litanias, horas canonicas, Monachorum vota, orationes pro defunctis in Purga-

torio hærentibus, & similia instituta humana cultum divinum fere absolvisse, ex Platina, Walafrido, Durando, Polydoro, Virgilio & aliis constat, vid. *Cent. Magdeb. Cent. VII. c. 4.*

§. 15.

Præter superstitiones memoratas, contentiones variæ Ecclesiam exercuerunt: quas inter præcipua fuit *Monotheletarum*, unam in CHRISTO voluntatem asserentium hæresis, quæ orientalem non tantum Ecclesiam pervasit, sed occidentalem etiam infecit, ipso Honorio papa R. hac labe maculato. Serpebant etiam adhuc Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum & Eutychianorum errores, superioribus licet seculis rejecti atque proscripti.

§. 16.

Paucis ergo etiam *hæreses*, quæ vocantur, attingendæ sunt. *Monophysitæ*, Eutychianorum propago, unam in CHRISTO post incarnationem naturam asseruerunt, teste *Nicephoro lib. XIIX. cap. 46. & 47.* Hunc errorem Leontius Monachus, & Georgius Pisides refutarunt.

§. 17.

§. 17.

Majores in Ecclesia turbas excitavit *Monotheletarum* hæresis circa annum Chr. DCXXX. opera Sergii Episcopi Constantinopolitani & Cyri Alexandrini ex Eutychianismo prognata. Horum dogma fuit, unam tantum in CHRISTO esse voluntatem, unamque operationem, solo scilicet Verbo volente & operante per humanitatem. Ipse Imperator Heraclius per promulgatam ἔκθεσιν, non tantum hoc dogma confirmavit, sed Papa etiam Rom. Honorius I. illi assensus est. vid. *Forbesii Instruct. lib. V. c. 1.* Crescente indies litigiorum super hoc errore segete, Constantinus Augustus *Typum* seu edictum ann. Chr. DCXLIIX. publicavit, quo utrique litigantium parti silentium indixit.

§. 18.

Memorantur etiam *Pauliciani* anno Christi circiter DCLIII. orti, qui a Paulo quodam Samosatis in Armenia nomen habentes, Manichæorum errores de duobus rerum principiis resuscitarunt atque sparserunt. *Natalis Alexander Hist. Eccles.*

Sec. VII. cap. II. art. 3. plures istis errores tribuit *ex Cedreno*, qui tamen in illo non leguntur.

§. 19.

Nicephorus *lib. XVIII. c. 54. Chazinzarios* seu *Staurolatras* inter hæreticos recenset, qui crucem tantum (quæ ipsis *Chazus* dicebatur) adorare & colere ferebantur. Præterea etiam cum Nestorianis duas in CHRISTO personas fabulati sunt, quarum alteram in cruce passam, alteram ab ea segregatam seorsim stetisse ac passionis spectatricem fuisse.

§. 20.

Multa CONCILIA NATIONALIA hoc ævo passim habita fuisse, conciliorum tomi testantur. Nos *duo* tantum *œcumenica* memorabimus: quorum *unum* Constantinopolitanum III. alterum paucis post annis, (vulgò πενθέκτη seu *quini-sexta* Synodus audit,) in imperialis Palatii Trullo convocatum dicitur.

§. 21.

Constantinopolitanum Imper. Constantinus Pogonatus an. Chr. DCLXXX. in sede Regia, propter hæresin Monothe-

theletarum indixit. In hoc præsidente ipso Imperatore CCLXXXIX. Episcopi præsentes: instituto prius examine, Monotheletarum hæresis damnata fuit, anathemate etiam Honorio Papæ dicto. vid. *Concil. Act. 18. & Forbes. Instruct. lib. V. c. 18. & seq. Natalis Alexander H. E. Sec. III. Dissert. II.* contra *Baronium pag. 320.* asserit, Honorium Papam juste fuisse damnatum: quod cum infallibilitatis privilegio Papali parum congruit.

§. 22.

Alterum œcumenicum Concilium ἡ πενθέκτη Σύνοδος ideo appellatur, quod in supplementum Concilii V. & VI. a Justiniano II. Imperatore an. Chr. DCXCI. indictum esset: quia in dictis illis conciliis nulli Canones de disciplina, moribus clericorum, Monachorum & ritibus ecclesiasticis fuissent conditi. Locus conventus hujus erat *Trullus*, seu palatium Imperatoris, & in eo regia cuppula seu lucerna. Canones in hoc CII. sanciti memorantur. *Baronius ad annum Christi DCXLII. n. 1. & seqq.* hoc Concilium Pseudo-Synodum & conventiculum

nuncupat, quod Papali autoritati præjudicium adferrent *Canones 3. 13. 55.* & alii. confer *Natalem Alexandr. loc. cit. Diss. III.*

§. 23.

Fuerunt præterea concilia multa nationalia ac provincialia in Italia, Gallia, Hispania & Britannia habita: quæ cum Clericorum & Monachorum disciplinam vel ceremonias ecclesiasticas tantum fere spectent, ea hæc præteribimus. Observatu tamen dignus videtur *Canon XVI.* in Concilio Nannetensi sancitus: *Si quilibet Presbyterorum defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud secularem Seniorem* (i. e. loci dominum) *nulla precatione, vel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat, sed neque capellam, sine consultu Episcopi.* Unde *Natalis Alexander* | *H. E. Secul. VII. pag. 139.* recte colligit Jus Patronatus tunc fuisse penes dominos seculares. In Concilio Cabilonensi a Clodoveo II. R. Galliæ convocato, *Canon XIX.* mandat: *Fœmineos choros turpia interdum & obscœna cantantes in Basilicarum dedicatione, aut festivitatibus Martyrum, arceri mandat ab*

Ec-

Ecclesiarum septis, porticibus & atriis: Si se emendare noluerint, excommunicatione feriuntor. In Concilio Toletano XI. *Canon VII.* cavet, ne Episcopi clandestinis Judiciis pœnas in subditos decernant, sed regula à S. Leone tradita observetur: *Plus ergo corrigendo agere debet benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam commotio; plus charitas, quam potestas.* confer *Natal. Alexandr. H. E. Sec. VII. c. 3. & Cent. Magdeb. VII. c. 9.*

§. 24.

GUBERNATIONEM ECCLESIÆ Episcopos sibi arrogare cœpisse, ex historia Conciliorum hujus ævi liquet; cum Bonifacius III. Pontif. Rom. titulum Episcopi Oecumenici & Primatum in Ecclesia pessimis jam artibus obtinuisset. Nam videns ille Phocam Imperatorem Cyriaco, Constantinopolitano Patriarchæ, quod truculentiam ejus improbaret, infensum, & vereri, ne Italia facinoris sui odio a se deficiat, ab ipso, anno DCVI. impetravit, ut Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum caput esset. *Hic*

Phocas, ait *Paulus Diaconus l. IV. de Gestis Longobard. c. 37. rogante Papa Bonifacio, statuit Sedem Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.* vide *Platinam in Bonifacio III.* Hinc Antichristi & Monarchiæ Papalis primordia, quæ dein, turbato Ecclesiæ statu, majora incrementa sumsit. Ex Conciliis tamen duobus Oecumenicis §. *20.* & *21.* memoratis patet, Imperatores jus convocandi concilia Rom. Episcopis nondum concessisse. Cæterum officia & ordines Ministrorum in Ecclesia, eorumque nomina & gradus *Isidorus de Officiis* recenset. vide *Centuriatores Magdeburgicos Cent. VII. cap. 7.*

§. 25.

DISCIPLINAM *Ecclesiasticam* corruptis Cleri moribus cum doctrina Christiana corruptissimam fuisse, adeo mirum videri haud debet: ubi enim, dicente Augustino, *male creditur, male vivitur.* De eo Canones in diversis Synodis hac de causa facti testantur. Sacerdotes cœlibatum so-

foventes, impuras concubinas alebant. In quos hanc ob causam *Cæsarius hom. 9.* invehitur, asserens *in homil. 33. pag. 191. multo meliorem esse humilem conjugalitatem, quam superbam virginitatem.* Auctis aut noviter passim exstructis monasteriis, numerus Monachorum increvit; cum ipsi Reges & Principes hoc vitæ genus admirarentur, multosque sumtus alendis Monachorum gregibus non tantum liberaliter impenderent; sed diadema cum cucullo commutare non erubescerent. Ita cumulatæ Monachorum opes sanctiorem olim in Monasteriis disciplinam extinxerant. Nam pietas (simulata) peperit divitias; sed filia devoravit matrem.

§. 26.

CEREMONIÆ & *ritus*, quibus cultus divinus maximam partem constabat, non tantum multiplicati sunt; sed in fœdam superstitionem degenerarunt, oppresso puriori DEI cultu, qui in Spiritu & veritate consistit. Præsertim cum, Vitaliano Papa anno Chr. 666. jubente, in

Ecclesiis omnia Latino Sermone fieri deberent. vid. *Balæi Cent. I. p. 81.*

§. 27.

Cultus imaginum, Reliquiarum, Sanctorum frequentior in templis, quam CHRISTI Salvatoris. Inde templa imaginibus & statuis exornata; Altaria in usum Missæ exstructa in templis plura. Romæ *Pantheon* gentilium hactenus clausum, in Panagium seu templum omnium Sanctorum conversum est, à Bonifacio IV. horum gratia novo festo instituto. Ignis purgatorius ex gentilium ritu fictus morituros maxime terrere cœpit. Unde Missæ & Orationes pro defunctis multiplicatæ fuerunt. vide *Centur. Magdeb. Cent. VII. cap. 6.*

§. 28.

PERSECUTIONIBUS ut Ecclesia nunquam caruit, ita nec hoc ævo, quæ illam exercerent, defuerunt. In Oriente Chosroës R. Persarum, ob interfectum a Phoca Mauritium, Syriam, Armeniam, Cappadociam, Galatiam, & alias Provincias Imperii aggressus & Cæsarea Cappadociæ & Damasco potitus, in Christianos sæ-

sæviit, multis eorum Judæis divenditis, & ab eis crudeliter necatis. Zachariam Præsulem Hierosolymitanum & Crucis Dominicæ lignum, ceu spolium secum in Persidem anno Christi DCXIV. abduxit. vid. *Nicephor. lib. XIIX. c. 44.* P. *Diacon. Histor. Misc. l. 17. & 18. Marian. Scotum lib. I. æt. 6. ad annum Christi DCIV. Otton. Frisingens. lib. V. c. 8.* Majorem cladem Ecclesiæ intulit Muhammed insignis impostor & Pseudo-Propheta, in urbe Arabiæ desertæ Mecca natus, & ex camelorum pastore seductor Orientis factus. Nam novas revelationes Angeli Gabrielis jactando, opera Sergii Monachi Nestoriani, Johannis Antiocheni Ariani, & Judæi Abdiæ (Arabibus *Abdallæ* dicti) novam eamque pestilentissimam sectam condidit. Quam Saraceni amplexi, late per Orientem oppressis Christianis, vi & armis propagarunt. Summa ejus in Alkorano continetur. vid. *Hottingeri Histor. Oriental. lib. II. cap. 4. Histor. Sacr. cap. VII. Sect. II. p. 396. seqq. & Forbesii Instruct. lib. IV. cap. 4.* Qui sectæ novæ nomen dabant, *Musulmanni*

h. e. fideles appellati gestiebant. Interim furor Monotheletarum etiam Ecclesiam passim afflixit. vide *Epistolam Constantini Pogonati in Epist. ad occidentales missam, actione 18. Sextæ Synodi.*

§. 29.

In Occidente Longobardi, Mauricii nece animati, majori immanitate, quam antea quoque in Italia sævierunt. Plurimi enim Christiani a Barbaris trucidati, nec infantibus parcitum est: ut *P. Diaconus de Gestis Longobardorum lib. IV. c. 11. & Blondus lib. IX. Decad. I. p. 118. & 19.* memorant. De Salvis & Avaribus *Zonaras annal. tom. III.* refert, quod Ecclesias incendiis vastarint & Christianos in servitutem abduxerint. Furorem Judæorum Antiochensium in Christianos exercitum *Nicephorus lib. XVIII. c. 44.* describit. Plures Christianorum afflictiones, quas hoc ævo passim in aliis regnis sustinuerunt, *Magdeburgenses Cent. VII. cap. 3.* annotarunt.

§. 30.

MEMORABILIA hujus ævi, ut in compendio recitemus, fuerunt plura: (1.) Mau-

Mauritii Imperatoris miseranda cædes, & Phocæ tyrannis. (2.) Origo duorum *Antichristorum magnorum* in Occidente & Oriente, quorum ille Romanus Pontifex Ecclesiam Latinam afflixit, hic, Muhammed, multas Orientis Ecclesias evertit. (3.) Muhammedanorum *Hegira*, sive Æra numerandi annos, Anno DCXXII. cœpta. (4.) Monotheletarum hæresis multarum turbarum & calamitatum causa. (5.) Christianæ religionis licet superstitionibus infectæ per Occidentem latior propagatio inter Britannos, Anglo-Saxones, Frisios, Westphalos, Francones, Alemannos, Thuringos & Helvetios: confer *Hotting. H. E. Sec. VII. Sect.* 3. (6.) Saracenorum ab obitu impostoris Muhammedis progressus in Arabia, Syria, Armenia, Ægypto & Africa usque ad mare Atlanticum. (7.) Pontificum Rom. libertas a jure vectigalis, quod pro ordinatione Pontificis R. dari Imperatori sveverat, vid. *Onuphr. Panvinium ad Platinam in vita Pelagii II.* Remisit id juris Constantinus V. Pogonatus. vid. *Anastasium in Agathone.* (8.) Origo schismatis Græcam inter & Latinam Ec-

cleſiam, quod controverſia de Proceſſione Sp. S. à Patre *Filioque* jam parcius agitata, mox magis auxit. (9.) Schiſmata in electione Canonis & Sergii Pontificum Rom. apud *Anaſtaſium* in horum vitis. (10.) Propagatio Chriſtianiſmi per regnum Chinæ ann. Chr. 636. facta. vid. *P. Ludovici Comitis Soc. Jeſ. novum commentar. de Statu hodierno Chinæ, tom. II. Epiſt. 3.*

§ 31.

Miranda vero hic juſta DEI judicia ſunt, quando duobus velut flagellis Eccleſiam hactenus tot contentionibus laceratam barbarieque fœdatam caſtigavit; cum in Occidente Papa Rom. caput Antichriſtianum efferre, & in Oriente Muhammed Chriſtianiſmum evertere uno fimul ævo cœpiſſent. Gratiæ tamen divinæ tribuendum eſt, quod in hac literarum & morum barbarie Religio Chriſtiana in Occidente ad gentes barbaras latius transplantata fuerit, certo argumento, Eccleſiam etiam cum caſtigatur, ipſi curæ eſſe. Nobis vero hoc documento eſt, Eccleſiam non locis certis aut gentibus alligatam eſſe. Migrat illa de gente ad gentem,

tem, prout divinæ sapientiæ visum est. Gratia hac etiam Germaniæ nostræ tum frui datum est, quando Kilianus Monachus Hybernus Francis Orientalibus, Willibrordus, Svibertus & Wilibaldus Frisiis & Westphalis Evangelium de Christo annunciarunt. vid. *Adonis Viennens. Chron. Æt. VI. ad an. 686. Sigebert. Gemblacens. ad an. 694. Abbat. Stadens. ad an. 695.*

PERIODI III.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,
CAPUT II.
De
Sec. VIII. Chr.

§. 1.

TRistia fata Christianam Ecclesiam hoc ævo exercuisse, cum Saracenorum progressus armorum longe lateque victricium, tum lites & schismata intra Ecclesiam, ob cultum imaginum præcipue exorta testantur. In Oriente tres Patriarchæ Saracenorum tyrannidi subjecti, libertatem amissam luxerunt: In Occidente quidem, præsertim in Saxonia & aliis Germaniæ partibus, Religio Christia-

ſtiana latius diſſeminata fuit. At ſimul ſuperſtitiones ac traditiones humanæ jam in Eccleſia Romana receptæ omnia impleverunt, cum pauci admodum eſſent, qui in Eccleſia ſupra rude Monachorum vulgus ſaperent, atque S. literas intelligerent. conf. *Flac. Catalog. Teſt. verit. l. IIX. fol. 691. ſeqq.*

§. 2.

Inter SCRIPTORES & DOCTORES *Latinos* præcipuus fuit *Beda Venerabilis*, a nobis jam antecedenti proxime ſeculo §. 13. memoratus; licet ipſe hoc ſeculum maxime illuſtrarit, cum anno Chriſti 734. demum vita exceſſiſſet.

§. 3.

Bonifacius, Winefridus patria lingua dictus, gente Aglus in Friſiam transfretavit, poſtea literis a Gregorio Papa miſſoriis impetratis, per Bojoariam & Thuringiam prædicavit Evangelium, tandemque in Friſia Martyr factus eſt. vid. *Baron. ad annum Chriſti 755. Cave Hiſtor. Lit. fol. 481. & D. Sagittarii Antiqu. Thuring. l. II. cap. 4. & l. III.* prolixe. Diſcipulus hujus Bonifacii, & in prædicando Evangelio

lio in Germania ipsius adjutor fuit *Willibaldus*, Anglus, qui postea Episcopus Eistatensis factus, vitam S. Bonifacii, quæ *tom. IV part. II*, apud Canisium habetur, scripsit. vid. *Mabillon. Secul. Benedict. III. part. 2, & Albertum Stadensem ad annum 755.*

§. 4.

Flaccus Albinus, vel *Alcuinus*, natione Anglus, Bedæ discipulus, Caroli M. Magister, filiorumque ejus præceptor, vir in sacris literis pro ævi hujus indole exercitatissimus. Inter varia ejus opera referuntur *Homiliæ* ex Patrum scriptis collectæ, per annum singulis Dominicis legendæ. Unde Postillorum Origo. *Homiliarium* enim a P. Diacono jussu Caroli M. collectum Specimen Postillorum, quæ vocantur, continet. vid. *Mabillon. Analect. tom. I. pag. 25. & Cave Hist. Lit. fol. 496. seqq.* confer *Mabillon. Elogium Historicum Alcuini c. 16.*

§. 5.

Paulus Warnefridus, Diaconus Aquileiensis & Desiderii ultimi Longobardorum Regis Secretarius seu Cancellarius, ac

ac postea Monachus Caroloque M. Imper. carus, *Historiam Longobardicam & Miscellam*, qua decem libri Eutropii continuantur, scripsit. vid. *Histor. Lit. Cave fol. 494.*

§. 6.

Theodulphus, Italus, primum Abbas Floriacensis, Carolo M. charus & familiaris, *Capitula* ad Presbyteros suæ Parochiæ XLVI. & alia opera scripsit, quæ *Jac. Sirmondus* publicavit. vid. *Baron. ad an. 835. & Biblioth. P. P. tom. XIV.*

§. 7.

Fredegarius Scholasticus *Excerpta Chronica*, sive Epitomen historiæ Francorum à Gregorio Turonensi compositæ collegit & auxit, vid. *tom.* I. *Hist. Franc. Andr. Duchesnii.*

§. 8.

In hoc seculum Usserius & Cave referunt librum *Ordo Romanus* inscriptum, qui *de divinis Officiis & Ministeriis*, per totius anni circulum agit. vid. *Cave Histor. Lit. fol. 485.* Huc etiam pertinet *Liber Diurnus*, quo solennes literarum, aliarumque rerum ecclesiasticarum Formulæ

læ à Rom. Pontificibus usurpari solitæ continentur, vid. *Cave Hist. Lit. fol. 479.*

§. 9.

Inter Græcos Doctores excelluit *Joannes Damascenus* à patria *Chrysorrhoas* ab eloquentia, & Mansur ab Arabibus appellatus, Presbyter Hierosolymitanus, qui primum inter Græcos Theologiam methodo scholastica & philosophica construxit: id quod libri ejus IV. *de Fide orthodoxa*, testantur. vid. *Cave Hist. Lit. fol. 482. seq. & Natal. Alexandri H. E. Sec. IIX. cap. 3. art. 4.*

§. 10.

Theophanes, Isaacius a Patre, *& Confessor* a malis, quæ expertus est, appellatus, *Chronographiæ* autor est. *Georgius*, Monachus Constantinopolitanus, Tarasii Patriarchæ Syncellus, *Chronicon* scripsit. vid. *Vossii lib. II. de Hist. Gr. c. 24.* TARASIUS ex Secretario Patriarcha Constantinopolitanus factus, *Epistolam Encyclicam* ad Patriarchas orientales exaravit. vid. *Cave H. L. fol. 499.*

§. 11.

Post Scriptores celebres, DOCTRINA hujus

hujus ævi PUBLICA videnda est. Quæ, quod Græcam Ecclesiam attinet, ex *Joh. Damascen. lib. I. c. 8. III. & IV.* & Confessione Fidei Tarasii, Patriarchæ Constantinopolitani, peti potest. In latina Ecclesia Symbola veteris Ecclesiæ recepta, summa fidei Christianæ capita proponunt. Cætera vero dogmata theologica ex *Bedæ & Alcuini* inprimis operibus colligi possunt. Magdeburgici illa per locos & articulos digesserunt *Centur.* IIX. *c. 4.* Consuli etiam merentur Caroli M. Imper. *Capitula* ex Bibliotheca Pithœana Parisiis anno 1640. edita, quæ cum ritibus etiam quædam doctrinæ capita complectuntur. vid. *Cave Hist. Lit. fol. 492.*

§. 12.

Verum doctrina vetus Catholica per superstitiosos cultus jam in Ecclesiam invectos & insuper auctos valde contaminata fuit: Ita, ut Traditiones & Canones ecclesiastici atque decreta Pontif. Rom. prævalerent. Cantiones & Missæ in templis, orationes ad statuas & imagines Sanctorum, observantia festorum & memoriæ Sanctorum cum Monachatu præcipuam

puam cultus religiosi partem constituebant. Legere & cantare Psalterium Latinum, recitare Orationem Dominicam & Symbolum Apostolicum, frequentare Missam, & observare festa Sanctorum, primarius DEI cultus fuit. Hæc ipse Pontificius Scriptor *Mezeraus in Hist. Gallicana tom. I.* in Carolo M. de rebus Ecclesiæ scribit: *Sub Prælatis adeo rudibus & ignaris, nihil mirum crassam ignorantiam occupasse plebes. Religio tota conversa erat in superstitiones.* Monachus San-Gallensis *l. I. c. 9.* equidem Caroli M. curam religionis commendat; at deerant viri idonei, qui huic satisfacerent: *Glorioſissimus*, inquit, *Carolus per totum regnum suum studia literarum florere conspiciens, sed ad maturitatem Patrum præcedentium non pervenire condolens, & plus quam mortale laborans, in hanc tædiatus vocem erupit: o utinam haberem XII. Clericos ita doctos, omnique sapientia sic perfecte instructos, ut fuerunt Hieronymus & Augustinus?* Quod Alcuinus ægre tulit, cum diceret: *Creator cœli & terræ similes illis plures non habuit, & tu vis habe-*

bere duodecim. Cathaulptus apud *Andr. du Chesne tom. II.* Carolo M. inter sanctissima præcepta boni regiminis suasit: *ut Missam S. Michaelis & passionum S. Petri per regnum suum celebrari curaret.* Ita specie magnæ pietatis ac fidei, superstitiones invaluerunt magis. Multus enim in externis rebus splendor: Sanctorum & notitia & cultus fabulis, & confictis miraculis, & translationibus corporum, & reliquiis propagabatur.

§. 13.

Præcipue in Græca & Latina Ecclesia, famosa controversia fuit de cultu imaginum, quæ totum pene seculum exercuit. Seculis tribus circiter antecedentibus sanctorum Martyrum, Episcoporum & quandoque Principum picturæ, & imagines cum signo crucis CHRISTI in templis & templorum vestibulis collocari cœperant, ut earum intuitu fideles gesta, fidem & virtutes eorum imitarentur, simulque templa iisdem ornarentur. Verum superstitione invalescente, salutatio, genuflexio accesserunt, cerei accensi, & imaginibus divinus cultus habitus fuit.

Pro-

Propter hunc abusum & superstitionem Philippicus Bardanes, Imper. & cum eo Johannes Patriarcha Constantinopolitanus imagines eorum ex S. Sophiæ templo ejecerunt, promulgato hac de re edicto anno 713. Hanc ob causam Papa Constantinus Philippicum excommunicare ausus, Græcos maxime offendit. Fervente adhuc illa controversia, Constantinus Copronymus edicto Constantinopoli ann. 741. publicato, denuo Imagines e templis sustulit, exacto etiam a subditis juramento, ne quisquam imagines adoraret. Denique in Synodo VII. Oecumenica anno 754. Constantinopoli habita cultus imaginum a 338. Episcopis rejectus atque prohibitus fuit. Sed hujus Synodi decreta Irene Imperatrix, effrænis fœmina, Niceæ anno 787. nova Synodo indicta, assumto in concilium Tarasio Patriarcha Constantinopolitano in cultum imaginum satis prono, prioris Synodi Constantinopolitanæ decreta abolevit, decreto facto, vivificam crucem CHRISTI & B. Virginis, Angelorum, Sanctorumque imagines, in Ecclesiis & domi-

bus

bus esse proponendas, venerandas, colendas cereis, suffitu aliisque προσκυνήσεως signis honorandas. Transmissis in Occidentem hujus Concilii Actis, Carolus M. Imperat. Francofurti Synodum 300. Episcoporum anno 794. indixit: qua decretum est, imagines non esse adorandas damnatis & rescisis Actis Synodi Nicænæ ab Irene convocatæ. Historiam hanc *Fr. Spanhemius* peculiari libro *Sect. VII. IIX. IX.* prolixius enarrat. *Natalis Alexander* partium studio abreptus, *Hist. Sec.* IIX. *cap. 2.* in gratiam Iconolatrarum multa narrat, quæ à *Jo. Dallæo* jam refutata fuerant. Quanquam ipse etiam *Dissert. VI.* laudati Dallæi IV. libros adversus cultum imaginum confutare aggressus est, ausu sane longe impari.

§. 14.

Interim *Iconomachi* seu *Iconoclastæ* a Pontificiis Scriptoribus inter præcipuos hujus ævi HÆRETICOS recensentur. Cujus, ut loquuntur, *hæresis* ortum & progressum *Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec.* IIX. *c. 2.* prolixe describit. Inprimis autem in Leonem Isaurum cultus imaginum

ginum hostem invehitur; Irenem vero, quæ cultum earum restituit, laudat.

§. 15.

Potiori jure hæreticis erroribus accensetur *Felicis & Elipandi* sententia; CHRISTUM secundum humanam naturam non esse proprium DEI Filium, sed adoptivum; unde *Adoptionarii* appellati. vide *Forbesii Instruct. Hist. Theolog. lib. VI.* Fuerat *Felix* iste natione Hispanus, Urgellæ, quæ urbs est in Pyrenæi montis jugo sita, Episcopus, qui ab *Elipando* Toletano Episcopo per literas consultus, quid de humana CHRISTI natura sentire debeat: *Utrum secundum quod homo est, proprius, an adoptivus DEI Filius dicendus sit?* Hic solum *adoptivum* esse respondit, libro etiam, quo hanc sententiam firmare ausus est, ad Elipandum scripto. vide *Eginhardi Annal. ad annum 792.* Hunc igitur errorem *Alcuinus* maxime impugnavit & confutavit. vid. *libr. ejus IV.* initio adversus Felicem. Inde alter Felicis & Elipandi error enatus fuit, CHRISTUM hominem esse *Patris æterni servum.* vide *D. Dorschei collation. ad Concil. Fran-*

cosurt. Sect. III. c. 2. Hinc nova quæstio exorta; an Felix & Elipandus Nestorii hæresin instaurarint? Quod *Vasquesius disput. 89. in III. Part. Thomæ c. 8.* affirmat, *Tannerus* contendit, Elipandum directe Nestorianismum foviſſe. vid. *Natalis Alexándri Hiſtor. Eccleſ. Sect. VIII. Diſſert. V. quæſt. un. & Dorſchei Collat. cit. p. 108.* Sed error hic quinque ante Synodis damnatus, cum autoribus ſuis expiravit. Quanquam in ultima Synodo Aquisgranenſi anno 799. convocata, Felix Urgelitanus ab Alcuino erroris convictus, rectæ fidei profeſſionem amplexus dicatur; ac adeo hæreticorum numero eximendus ſit.

§. 16.

Superfuerunt tamen in diverſis locis veterum hæreſium reliquiæ: ut in Hiſpania *Arianiſmi*, teſte Volaterano, in Africa *Manichæiſmi*, atteſtante Gregorio II. *in Epiſt. 1.* ad univerſum clerum Thuringiæ. In Oriente multi adhuc erant *Monotheletæ*, Ægyptum faſcinabant *Jacobitæ*, qui ſedem Patriarchalem per 97. annos occupaverant, teſte *Elmacino Hiſt. Saracen. p. 84.*

idem

idem *p. 123.* memorat Sectam *Abrahamianorum*, quæ tempore Cyriaci Patriarchæ Antiochiæ ab Abrahamo quodam nomen habens, turbas excitavit.

§. 17.

Beda in Boëthium de TRINITATE meminit hæresis *Vetularum*: *Extirpanda est*, inquit, *hæresis Vetularum, quæ jurant per tres partes DEI.* Idem *in Psalmo VII.* memorat de Astrologicis Theologis, qui damnationem malorum & salvationem bonorum, non justo DEI Judicio, sed fato, vel constellationi tribuerint.

§. 18.

Natalis Alexander *Hist. Eccl. Sec. VIII. cap. II. art. 2.* ex Bonifacii *Epist. 135.* Adelbertum & Clementem duos Pseudo Prophetas vel fanaticos plebem in Francia seducentes, hæreticis annumerat. Quorum Ille Epistolam quandam ineptissimam velut JESU CHRISTI e cœlo transmissam divulgavit, & ignotorum Angelorum nomina in Oratione a se composita invocavit, æquiparans semet Apostolis CHRISTI. Oratoria etiam & cruciculas in campis ad fontes, vel ubicunque sibi

visum fuerat, exstrui curavit, jussitque, ibi publicas preces fieri, populo ad conventicula convocato, qui dixit: Merita S. Adelberti adjuvabunt nos. Sed is in Synodo Svessionica anno 745. damnatus fuit, cruciculis per campos exstructis ante concrematis. Hujus damnationem Zacharias Papa literis ad Bonifacium datis confirmavit. Assecla ejus *Clemens* Scotus, qui S. Patrum scripta & canones repudiavit, ac CHRISTUM descendentem ad inferos, pios & impios simul abstraxisse affirmavit: matrimonium cum fratris uxore etiam legitimum pronuncians, in Synodo Romana anno 746. a Zacharia Papa anathemate percussus & officio sacerdotali exutus fuit.

§. 19.

Contentio etiam inter Bonifacium & Sacerdotes Bojoariæ de Baptismo iterando exorta fuit; cum rudis quidam Sacerdos infantem baptizasset, barbara hac usus formula: *Baptizo te in nomine Patris & Filia, & Spiritus sancta.* Bonifacius hunc rebaptizandum censuit: sed Sidonius & Vergilius Episcopi negarunt.

Ho-

Horum autem sententiam, cum erratum linguæ tantum fuisset, Pontifex Zacharias adprobavit. vid. *Aventin. Annal. Bojor. lib. 3. fol. 220.* Eodem tempore, Aventino teste, Zacharias Papa contra Vergilium, antipodes dari cum Augustino asserentem, tales esse inepte negavit.

§. 20.

Schisma Theophylactum inter & Paulum Pontifices Rom. item inter Philippum, Constantinum & Stephanum *III.* exortum, scriptores vitarum Pontificum commemorant.

§. 21.

Inter CONCILIA œcumenica Græci numerant *Constantinopolitanum IV.* quod Baronius cum Pontificiis pro conciliabulo & conventu Satanæ habet. Indixerat illud anno 754. Constantinus Copronymus, convocatis 338. Episcopis, ut controversiam de cultu imaginum acerrime tum agitatam componerent. In hoc, longo examine instituto, sex Conciliorum œcumenicorum decreta adversus hæreses repetita, & imaginum ac picturarum cultus cum omni idololatria re-

probatus fuit. Unde imaginum per Orientem subversio secuta Pontifices Rom. valde offendit. v. *Natal. Alex. Hist. Eccl. Sec. IIX. cap. II. §. 2.* ubi *p. 76.* Cardinalis Baronii ad annum 754. *num. 38.* errorem notat.

§. 22.

Huic anno 787. alia Synodus, quæ vulgo *Oecumenica septima & Nicæna II.* appellatur, oppositafuit. Nam Irene Imperatrix, Constantino VII. filio adhuc impubere, svasu Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani Nicææ, dicto anno, Concilium indixit, in quo confluente magna Episcoporum, Abbatum & Monachorum multitudine, decretum fuit: imagines non tantum in usum historicum haberi posse; sed & ad cultum religiosum in templis reponi debere: imo eas osculandas, venerandas, colendas, adorandas, cereis & suffitu honorandas esse, excepta latria soli DEO debita. vid. *Longi de Cariolano Summ. Concil. fol. 625. seqq. Natal. Alex. loc. cit. §. 3. & Spanhemii Histor. imag. restitutam Sect. 7.*

§. 23.

§. 23.

Imaginum cultu ita invalescente Carolus M. Imperat. anno 794. Francofurti ad Mœnum, Episcopis ex Italia, Gallia, Germania & Britannia 300. convocatis, Synodum indixit. In qua primum Felicis Urgelitani & Elipandi errores Christo Homine Filio DEI adoptivo rejecti; deinde reprobatis Synodi Nicænæ II. decretis de cultu imaginum, decretum fuit: imagines habere in templis, & aliis locis, impium per se quidem non esse; sed eas adorare & venerari, a fide Christiana prorsus alienum esse, & cum superstitione gentilium congruere. vid. *Eginhard. invit. Carol. M. Rheginon. l. 2. Ann. Francor. Dorschei Dissert. supra allegat. & Rescriptum Caroli M. de non adorandis imaginibus apud Goldast. Constit. Imper. tom. II.* Hoc cum ipse *Baronius ad annum 794, n. 27.* fateatur factum esse; mirari subit, qua fronte *Fr. Longus a Cariolano Summ. Concil. fol. 632. & Nat. Alex. H. Eccl. Sec. IIX. p. 205.* id negare ausi sunt, confer *Hincmarum Remens. libro contra Jandunensem Episcopum cap. 20.*

§. 24.

Particulares Synodi in Concil tomis, & a Sirmondo, Goldasto & Baluzio plures memorantur. Inter has digna memoratu est Synodus Liptinensis in Belgio anno 743. imperante Carolomanno Principe Francorum habita: qua edictum promulgatum pro reformanda religione & disciplina, & populo Christiano *ad salutem animæ producendo.* Sub Adriano I. & Carolo M. anno 774. in Synodo Romana, accedente Senatus-Consulto, Regi jus creandi Pontifices, & investiendi Episcopos confirmatum fuit, testante Gratiano *Distinct. LXIII.* Plura vide sis apud *Magdeburg. Cent. IIX. cap. 9.*

§. 25.

ECCLESIÆ GUBERNATIONEM hoc ævo maximam partem sibi Rom. Pontifices arrogarunt: adeo, ut non tantum Episcopos quaquaversum juramento fidelitatis Sedi Romanæ, præeunte Bonifacio, apud Baron. *an. 723. num. 4.* obligare cœperint; sed etiam principatum temporalem affectare jam niterentur. Baronius ideo *ad an. 710. num. 1.* obsequi-

um

um Justiniani II. Imper. erga Sedem Rom. laudat. Gregorius II. Papa Leonem Isaurum Iconomachum anathemate ferire & imperio indignum pronunciare jam ausus est. vid. B*aron. ad annum 730.* Quid Gregorius III. tentarit, idem B*aronius ad annum 740.* memorat. Non modestior fuit Zacharias, qui Childericum Regem Franc. Pontificio decreto abdicavit. vid. B*aron. ad ann. 752.* idem etiam Papa tres Reges ad monachismum, Carolomannum, Rachisim & Childericum induxit. Stephanus II. (aliis III.) Exarchatum Ravennatensem & Pentapolin, pulsis Longobardis & deluso Constantino Copronymo Imp. sibi subjecit, vid. *Anastasium in ejus vita & Baron. anno 753. & 755.* Adrianus I. Papa vestigia antecessorum suorum premens, Carolum M. Romæ in atrio Basilicæ superbe excepit, obsequium ab ipso exigere haut verecundatus: etsi postea mitior factus sit, vide *Sigebertum Gemblacens. ad annum 773. & Mutium l. VII.* Leo III. Papa, prævio assensu S. P. Q. R. in festo natalitio an. 800. Carolum Imperatorem Rom. quidem salutavit & coronavit; sed

imperium Rom. in eum non transtulit, quod ipsius non esset. Antea enim, inquit *Monachus Engolismensis*, Dominus Carolus vocabatur ab omnibus Rex Francorum & Patricius Romanorum. confer *Sigonium de Regno Ital. IV. Goldasti Politic. Imperial. Part. IX. & Conring. de. Imp. Germ. Rom. cap. 6.*

§. 26.

Equidem negari nequit, Carolum M. in Pontifices fuisse indulgentissimum tum precibus, tum privatorum meritorum ratione inductum. Nihilo tamen minus jus nomotheticum in rebus Ecclesiasticis sibi vindicavit; quando *Capitularia* condidit, *Jus eligendi Pontificem, ordinandi sedem Romanam* ap. Gratianum C. *Adrianus dist. LXIII.* item investiendi Archi-Episcopos, Episcopos per singulas provincias defendit, ac Synodos præter Francofurtensem, alias convocavit. confer *Flacii Catalog. Test. Verit. lib. IIX.* & ipsius *Baronii Annal. ad annum 778. num. 17. 18. seqq.* Extant etiam in Bonifacii Epistolis loca varia, quæ Papali autoritati alias jactatæ derogant. Ex Epistolis expostu-

la-

latoriis Zachariæ & Adriani Paparum, item centuriis Balæi & Annalibus Baronii liquet, Episcopos plures in Germania, Francia & Britannia jugum Pontificium non admisisse: quin etiam Ravennatenses Archi-Episcopos restitisse. confer *Hotting. H. S. Sec. IIX. Sect. V.*

§. 27.

Interim ea dignitate ac potestate curia Romana nondum splendebat, qua Hildebrandino postea ævo eminuit. *Cardinales* erant Presbyteri urbis, ut a Presbyteris agrorum distinguerentur. Quibus Archi-Episcopi, Episcopi & Abbates præferebantur. Certum tamen est, monarchiæ Papalis fundamenta hoc ævo fuisse firmata magis; cum, quos in Occidente emitteret Apostolos, ut Bonifacium & alios, reverentiam sedis Romanæ populo inculcarent, Romanas superstitiones simul propagantes.

§. 28.

Cæterum ut Clerici à profanis hominibus seu laicis distinguerentur, Carolus M. ordinavit, ut *ne janitoribus quidem liceret communi habitu in Ecclesia ministra-*

re, quod *Sigebertus ad an. 795.* annotavit. Ritus & ceremonias in Sacris observandas *Alcuinus libr. de divinis Officiis* describit. *Monachus Engolismensis in vit. Caroli ad annum 787.* de Antiphonariis S. Gregorii cantoribus commendatis memorat: item de arte *organandi*, h. e. organa musica pulsandi ex Græca Ecclesia in Latinam translata olim. vide *August. in Psalm. LVI. & Isidorum lib 3. Origin. 20.*

§. 29.

DISCIPLINA *Ecclesiastica* per *capitula*, Caroli M. ordinata, severe, teste *Monacho San-Gallensi lib. I. cap. 1.* observata fuit. *In Annalib. Francorum ad annum 801.* & apud *Rheginonem* legitur, quod Carolus *disciplinam & decus Ecclesiæ in legendo & psallendo instauraverit non semel, & quod Romæ, & in Italia non tantum publicas, sed etiam Ecclesiasticas & privatas res ordinaverit.* Mutius insuper memorat ex *Nauclero*, quod Carolus *non dubitaverit, non modo verbis reprehendere & confutare Episcopos, sed ex Ecclesiis ejicere, propter mores pastore indignos.* Monachus San-

Gal

Gallensis ipse Carolum *Episcoporum Episcopum* salutat. vid. *libr. ejus I. c. 1. seqq.*

§. 30.

Carolus laudatus etiam vulgatam Bibliorum Versionem, per Alcuinum emendavit, teste *Baronio ad ann. 778. n. 22. Per manum Pauli Diaconi sui decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum Patrum, lectiones unicuique festivitati convenientes, per circulum anni in Ecclesia legendas* (ut Sigebertus & Rolewinckius loquuntur,) *fecit.* Sub Exemplo Hieronymi, Bedæ, Flori, per Usuardum vitas sanctorum & martyria colligi curavit, attestante *Baronio an. cit. num. 20.* in propaganda & ordinanda Religione Christiana magnum & laudabile ipsius studium fuisse, *Cranzius in Metropoli, Adamus Bremensis in Chron. & Aventinus in Annalibus* suis testantur. Dimissi sunt quaqua versus Presbyteri, Episcopi, Abbates, qui Evangelium prædicarent & baptizarent. Idola Saxonum, *Irmensulam & Crodonem* destruxit. vid. *Meibom. de Irmensul.* Novos Episcopatus fundavit & liberaliter nimis dotavit.

confer *Monument. Paderbornenſ. Fürſtenbergii.* Scholas inſtituit plurimas; Epiſcopis quoque præcepta ſcholarum cura, & monaſteria hoc nomine ordinata. vide *Launoji de Schol. libr. Pariſiis anno 1672. edit.*

§. 31.

PERSECUTIONES Saracenorum, Chriſtianos in Oriente, item in Thracia, Sardinia & Hiſpania ſuſtinuiſſe graviſſimas, *P. Diaconus lib. XX. & XXI. Beda lib. II. de Ration. Temp. & l. V. Hiſt. Eccl. c. XXIV.* item *P. Æmilius lib. II. de Geſt. Franc.* teſtantur. Conſtantinus Copronymus Imper. etiam Iconolatras divexavit. In Germania Rathobodus, Friſiorum regulus trans Rhenum circa Coloniam Agrippinam omnia Chriſtianorum templa diripuit, eosque valde afflixit, teſte *Aventino lib. III. Annal. Boj.* Wittekindus, Saxonum Dux, antequam ipſe Chriſtianus fieret, in Chriſtianos ſæviit. vid. *Cranzii Saxon. lib. II. cap. 14. & Metropol. lib. I. cap. 7. & 11.*

§. 32.

MEMORABILIA hujus ævi multa con-

congeri possent, si quæ Chronicorum monasticorum compilatores, de miraculis a sanctis & eorum reliquiis profectis recensent, & a Baronio *tom. IX.* infarcta memorantur, fide digna esset. Huc pertinent etiam portenta vel miracula apud *Wern. Rolewinckium ad annum 794. 804.* quod *sol steterit trium dierum, ut Carolus vinceret*; apud *Sigebertum ad an. 798.* quod *sol obtenebratus fuerit per dies XVII.* Sed his præferimus certiora: ut (1.) Saracenorum latissimos progressus armorum: (2.) Originem duplicis *Caliphatus* Babylonici in Bagdad; Ægyptii in Cairo: vide *Hotting. Hist. Sacr. Sec. VIII. p. 511. seqq.* (3.) Turcarum ex Portis Caspiis egressum an. Christi 755. factum: vid. *Hotting. l. c. pag. 517.* (4.) Conversiones in regno Galliæ, ubi familia Carolingorum regia secunda eminuit; in Hispania imperii West-Gothorum oppressio per Mauros ex Africa evocatos; in Italia regni Longobardici destructio; in Germania novum regnum opera Caroli constitutum: conf. *Hotting. Hist. Sacr. Sec. VIII. Sect. I. pag. 481.* (5.) Caroli M. gesta heroica, & stu-

studium in Ecclesiam, in artes liberales & literatos: (6.) Culturam literarum in Germania pro captu seculi haut infelicem: (7.) Pontificum Rom. studium magis augendæ potentiæ, quam repurgandæ religioni deditum: (8.) Religionem Christianam in Oriente & aliis locis pressam, per Germaniam & partem Septentrionis propagatam: (9.) Organa musica primum in Francia nota, cum illa Constantinus Imp. Pipino cum aliis donis misisset: (10.) Episcopatus novos in Germania institutos: Saxonum conversionem ad fidem Christianam, propagatam etiam ad Hunnos seu Hungaros & Slavos.

§. 33.

Divinæ providentiæ iterum documentum est, quod Ecclesia in Oriente & Africa per Saracenos pressa vel oppressa, in Occidente magis dilata fuerit: licet cum Religione simul superstitiones inolitæ latius diffusæ; cum conversores iisdem jam essent innutriti sedique Romanæ addicti. Zelus etiam præposterus circa *cultum imaginum* argumento est, quousque homines fervidi & vera DEI cognitio-

tione destituti prolabi queant. Spissæ ignorantiæ tenebras Carolus M. quidem per viros pios & doctos dispellere laboravit; at puriorem Evangelii lucem in ista ruditate seculi reducere haut valuit. Grata interim mente divina benignitas prædicanda venit, quod in tenebris istis Germaniæ lucem Evangelii oriri fecit. Utinam vero Pontifices Rom. in curam Religionis repurgandæ magis, quam dilatandi dominatus sui incubuissent.

PERIODUS III.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,
CAPUT III.
De
Sec. IX. Chr.

§. 1.

INfelix Seculum IX. vocatur, cum, dicente *Platina in Formoso I.* una cum industria Imperatorum, simul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit; vel quod infelicitatem magis arguit, cum superstitio in templis, barbarie in Scholis

lis, vitia morum in vita & contentiones & schismata in Ecclesia regnarent.

§. 2.

Nos primum clariores SCRIPTORES recensebimus; quos inter *Nicephorus* Patriarcha Constantinopolitanus, qui prolixam Epistolam ad Leonem III. Papam Rom. exaravit. vid. *Baron. tom. IX. ad annum 811. num. 19.* Scripsit etiam *Breviarium Historiæ*, quod *Dionysius Petavius* publicavit: item *Chronologiam Tripartitam* Græce a Scaligero primum cum Chronico Eusebiano editam, vide *Cave Hist. Lit. fol. 507.*

§. 3.

Theodorus Studites, a Monasterio, cui præfuit, ita dictus. Varia ejus opuscula *in Biblioth. PP. tom. XIV.* extant. Recenset illa *Cave in Hist. L. fol. 511. Bellarminus* ait, eum miraculis clarum anno 816. migrasse in cœlum. Discipulus ejus *Naucratius*, Monachus Constantinopolitanus, strenuus iconolatriæ assertor, tractatum de persecutionibus εἰκονοδούλων scripsit.

§. 4.

§. 4.

Agobardus, Gallus, varia opuscula collegit, quæ Papyrius Massonius primum publicavit. Opera ejus Baluzius cum notis anno 1666. edidit Parisiis. conf. *Petr. de Marca Concord. Imper. & Sacerd. l. IV. c. 11. §. 3. 4.* Sed hoc clarior fuit *Eginhardus* Germanus, Carolo Magno a Secretis, & deinde Abbas Selingstadiensis factus; præter vitam Caroli M. Annales rerum gestarum Pipini, & alia conscripsit. vide *Cave Hist. Lit. fol. 517. & Natal. Alex. Hist. Eccl. Sec. IX. p. 180.*

§. 5.

Freculfus Episcopus Lexoviensis, *Chronicon* in duos tomos divisum reliquit, Heidelbergæ editum. Item Epistolam ad *Rabanum Maurum*, Abbatem Fuldensem & deinde Episcopum Moguntinum, qui commentarios in sacram Scripturam collegit. Opera ejus in VI. tomos distincta Coloniæ anno 1617. excusa prostant. *Cave Hist. Lit. fol. 541.*

§. 6.

Usuardus, Gallus, Alcuini discipulus, *Martyrologium* condidit, de quo vide

Nat.

Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. IX. c. 3. art. 17. ISIDORUS *Mercator* Epistolas decretales compilavit, quæ sub nomine Pontificum Rom. extant. vide *Cave Histor. Lit. fol. 514. seq.*

§. 7.

Paschasius Rathbertus, Abbas Corbeiensis, tempore Ludovici Imperatoris librum *de Corpore & Sanguine DOMINI* composuit, qui in Biblioth. P. P. tom. XIV. extat. Laudat illum *Bellarminus* de Script. Eccles. libro. *Bertramus* vel *Ratramus*, Monachus vel Presbyter Corbeiensis, librum de *Eucharistia* composuit Pontificiis exosum, quod Transsubstantiationis dogma refellit. Plura ejus scripta *Cave Hist. Lit. fol. 530.* recenset.

§. 8.

Walafridus Strabo seu *Strabus*, Rabani Mauri discipulus, ex Monacho Benedictino Abbas factus, præter librum de *Officiis divinis*, alia opuscula collegit. Tribuitur ipsi etiam *Glossa ordinaria interlinearis in sacram Scripturam* ex Patribus collecta. vide *Natal. Alexandr. Hist. Eccl. Sec. IX. c. 3. p. 232.*

§. 9.

§. 9.

Hincmarus, nobilis Gallus, Episcopus Rhemensis inter celeberrimos hujus ævi scriptores relatus, vir pius & doctus, multa composuit opera, quæ *Sirmondus II.* tomis digesta publicavit. vid. *Cave Hist. Lit. fol. 537.*

§. 10.

Remigius, Gallus, Archi-Episcopus Lugdunensis, Hincmari antagonista, libellum de *tenenda immobiliter sacræ Scripturæ veritate* composuit. vid. *Cave f. 545.* Huic jungimus *Johannem Erigenam*, Scotum, Caroli Calvi Imperatoris tempore clarum, quem discipulos ob inflexam morum duritiem stylis & graphiis confodisse, traditur; de *Divisione naturæ libros V.* Oxoniæ anno 1681. reliquit: item librum de *Prædestinatione* contra Gottoschalcum composuit.

§. 11.

Gottoschalcus, etiam *Fulgentius* dictus, circa medium hujus seculi clarus, gente Gallus, Monachus, libellum de *Prædestinatione*, scripsit; & cum de absoluto Prædestinationis decreto curiose magis, quam

quam pie disputaret, alios Doctores offendit, & Calvino hoc errore præluſit. *Uſſerius* hiſtoriam ejus compoſuit, quæ Hanoviæ anno 1662. recuſa fuit.

§. 12.

Anaſtaſius, Abbas Romanus & Bibliothecarius, vir Græce & Latine doctus, Hiſtor. Eccleſ. & vitas Pontificum deſcripſit. *Voſſius lib. II. de Hiſtor. Lat. cap. 35.* cum Anaſtaſio Presbytero, Cardinali S. Marcelli confundit, vide *Cave Hiſt. Lit. fol. 559. & Labbeum tom. I. p. 252.*

§. 13.

Haymo, Anglo-Saxo, diſcipulus Alcuini, Epiſcopus Halberſtadienſis circa medium hujus ſeculi clarus, commentarios in libros ſacræ Scripturæ, & pericopas Evangelicas Dominicales, homilias non tantum reliquit: ſed & Epitomen Hiſt. Eccl. a Madero Helmſtadii editam compoſuit.

§. 14.

S. Eulogius, Presbyter Cordubenſis, Martyr factus, juxta Mabillonium ſtudio, non profeſſione Monachus fuit; qui

Me-

Memoriale Martyrum, item *Apologeticum* pro Martyribus, & *Exhortationem* ad Martyrium conscripsit, vide *Bibliothec. PP. tom. XIX.* edit. Lugdun.

§. 15.

Petrus Siculus, vir nobilis, Basilii Imperatoris ætate celebris, cujus etiam legatus ad Armenos pro redimendis captivis fuit. Matthæus Raderus ejus *Historiam de Manichæorum* hæresi anno 1604. Ingolstadii publicavit.

§. 16.

Rhegino, Monachus Prumiensis in diœcesi Trevirensi circa exitum hujus seculi celebris, duos libros *Chronicorum*, duosque libros de *Ecclesiast. disciplina & Religione Christiana*, a Stephano Baluzio cum notis editos, quæ editio Helmstadiensi præfertur, reliquit.

§. 17.

Plures hic ex Latinis Scriptoribus celebres, ut *Aimonius*, Monachus Gallus, *Ado* Viennensis, *Amalarius* Fortunatus, *Ludgerus*, *Nidhardus*, *Alvarus*, *Theodulphus*, *Notgerus*, & alii memorantur, quos *Bellarminus* de Scriptor. Eccles. *Labbaus*

beus, Natal. Alexander & Cave in Hist. Lit. describunt.

§. 18.

Nos ex Græcis adhuc addimus doctissimum & celeberrimum *Photium*, Patriarcham Constantinopolitanum, librorum helluonem incomparabilem. *Bellarminus & Baronius* ejus ambitionem notant, quod autor schismatis inter Ecclesiam Græcam & Latinam fuisset. Extant inter opera ejus μυριόβιβλον sive *Bibliotheca*, *Epistolæ*, *Nomocanon*, libellus *de Synodis* & alia a *Cave in Histor. Lit. fol. 552.* recensita. Ex libro ejus de *Officio Principis*, excerpta edidit *Nat. Alexander Histor. Eccles. Sec. IX. art. 25.*

§. 19.

Antagonista Photii fuit *Nicetas* David Paphlago, Episcopus in Paphlagonia, qui reliquit *vitam S. Ignatii*, Patriarchæ Constantinopolitani, item XII. Apostolorum Concordiam apud *Combefisium Auctar.* Biblioth. PP. vid. *L. Allatium in tom. I. Græc. Orthod.*

§. 20.

§. 20.

Methodius, Homologeta seu *Confessor* dictus, gente Siculus, circa medium hujus seculi celebris, *Encomium S. Dionysii Areopagitæ & Orationes* scripsit, vid. *Cave Hist. Lit. fol. 533.*

§. 21.

Theodorus, *Abucara* dictus, Cariæ Archi-Episcopus, varia opuscula composuit *a Gretsero* Ingolstadii publicata. vid. *Cave Hist. Lit. fol. 557.* Huic jungimus *Michaelem Psellum*, Philosophum magis, quam Theologum, vid. *L. Allatii Diatrib. ac Psellis.*

§. 22.

Agmen hic claudat *Basilius Macedo* Imper. factus Constantinopolitanus, inter optimos Principes numerandus, *qui Capita exhortationum ad Leonem Filium*, Parisiis & Hamburgi Græc. & Lat. publicata, item *Orationes & Epistolas* composuit. vid. *Cave Hist. Lit. fol. 556.*

§. 23.

DOCTRINA *publica* ex *Symbolis* Oecumenicis quidem in orientali & oc-

cidentali Ecclesia retenta, sed superstitionibus & erroribus jam inolitis contaminata fuit. Utraque enim Ecclesia illam profitebatur, & in Synodo Arelatensi anno 813. habita, eadem cum declaratione quorundam articulorum fidei repetita fuit. vid. *Magdeb. Cent. IX. c. 4.* Rabanus Maurus *lib. II. de Institut. Clericor. c. 57.* summa fidei Christianæ capita ex Symbolis repetit.

§. 24.

Doctrinæ tamen symbolicæ multi errores de invocatione Sanctorum, cultu imaginum, Purgatorio, Missa, operum merito, de Transsubstantiatione panis & vini eucharistici error Paschasii Ruthberti, de absoluta prædestinatione error Godeschalci additi & defensi fuerunt.

§. 25.

In Orientali Ecclesia adhuc de cultu imaginum certatum fuit; cum eundem Leo Armenius anno 814. sustulisset; Theophilus vero Augustus & Michael III. restituissent. Sed majorem contentionem excitavit causa Photiana. Nam Photius an-

anno 849. ejecto Ignatio, Patriarcha Constantinopolitanus factus, & post obitum Ignatii denuo confirmatus, dominatui Rom. Pontificum in Ecclesiam Græcam masculè repugnavit. Unde odium Pontificum Rom. in Photium & ejusdem successores. Præsertim cum Photius additionem ad Symbolum de processione Spiritus S. Filioque, a Latinis factam damnaret, ac *in encycl. p. 51.* ὥσπερ κακῶν κωρονίδα Latinis exprobraret repudiaretque. Accessit deinde litigium de Bulgaris, quos Nicolaus Papa suæ Jurisdictioni, reclamante Photio, asserere contendit. Photius enim urgebat, Bulgariam Imperii Orientalis partem, gentemque hanc a Græcis primo ad fidem Christianam fuisse conversam, adeoque Patriarchatui Constantinopolitano se etiam submisisse. Hinc Schisma inter Latinam seu Romanam & Græcam Ecclesiam exortum, quod in hodiernum usque diem durat.

§. 26.

Cæterum vero, præter Iconolatras hoc seculo *Godeschalcus* (aliis Gottoschalcus)

Belga, professione Presbyter, *hæreticis* juxta *Sigebertum* anno 849. accensetur. Quia, ut *Rabanus in Epistola* ad Everhardum Comitem scribit: *Divulgatum in his partibus constat, quendam sciolum apud vos manere, qui dogmatizet, quod prædestinatio DEI omnem hominem ita constringat, ut etiam, si quis velit salvus fieri, & pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam æternam per DEI gratiam veniat, frustra & in cassum laboret, si non est prædestinatus ad vitam: quasi prædestinatione sua cogat hominem interire, qui autor est salutis nostræ, non perditionis, &c.* Hac de causa in Synodo Moguntina a Rabano convocata Godeschalcus condemnatus, & a Lupo Servato confutatus fuit. vide *Aventinum lib. IV. Annal. f. 312.* In Gallia Hincmarus & alii Episcopi a Carolo Calvo R. Carisiacum convocati Godeschalco *quatuor capitula* opposuerunt, quæ F. Sirmondus *t. III. Concil. Galliæ* inseruit. vid. *Nat. Alexandrum H. E. Sec. IX. & X. dissert. 2. §. 8. & Usserii Godeschalcum & Prædestinat. controversiæ historiam Hanoviæ an. 1662. edit.*

§. 27.

§. 27.

In Oriente *Pauliciani* à Paulo & Johanne nomine compositio appellati, errores quosdam Manichæorum resuscitarunt, quos Imperator Michael extinguere molitus est. vid. *Zonaram tom. III. in vita Michaelis fol. m. 126. & Continuatorem historiæ P. Diaconi.* Pestilentior fuit hæresis Michaelis Balbi Amoræi in Phrygia nati, qui, memorante *Zonara tom. III. fol. 110.* Copronymum in omnibus imitans & Judæis addictus, sabbata jejunari jussit: resurrectionem mortuorum & Dæmonum existentiam negavit, atque scortationem approbavit. *Zonaras σύμμικτον αἵρεσιν* appellat, quod ex Gentilium & Judæorum placitis mixta & consarcinata esset Secta.

§. 28.

Ratramus (vulgo *Bertramus* dictus) Monachus Corbeiensis in Gallia natus, librum *de Corpore & Sanguine DOMINI* evulgavit, quo realem & substantialem Corporis & Sanguinis CHRISTI in S. Eucharistia præsentiam impugnavit, pa-

nem & calicem consecratum pro signis Corporis & Sanguinis CHRISTI tantum habens. Ideo a quibusdam ipsi hæresis impacta est. Sunt tamen quidam Pontificii, qui ipsum excusant, eumque in partes suas, quasi transubstantiationi favisset, pertrahere laborant. vid. *Cardinal. Peronii libr. II. de Eucharist. in auctore 39. c. 1. Petrum de Marca in Epistola ad P. Lucam d'Acherium* editorem Spicilegii *t. II.* subnexa.

§. 29.

Anno 848. mulier quædam Suevica *Theoda* (vel ut Annal. *Francor. Fuldensibus* ad annum Christi 847. vocatur, *Tiota*) Pseudo-Prophetissa sectam condere molita, visiones cœlestes jactavit ac diem extremum eo ipso anno instare prædixit. Et cum multos dementasset, tandem confessa est, Presbyterum quendam sibi ea suggessisse. Judicio igitur Episcoporum apud S. Albanum decretum fuit, ut flagellis ecæderetur. vid. *Annal. Metens.* ad hunc annum & *Avent. Annal. Bojor. l. IV. fol. 302.*

§. 30

§. 30.

Donatistarum reliquias etiam hoc seculo superfuisse, *ex Remigio in Psalm. X.* colligi potest. Nam in illos invehitur, qui Corpus CHRISTI scindunt, & eo sese separant; cum nullus justificetur, nisi per CHRISTUM; sive per Ministerium peccatoris Sacramenta accipiat, sive per Ministerium justi hominis. *Vos autem (ait) dicitis, nullum posse justificari, nisi per Ministerium justi alicujus. Nonne Corpus CHRISTI separatis ab eo, & potentiam ejus vobis usurpatis?*

§. 31.

SYNODI & CONCILIA hoc ævo multa in Latina Ecclesia convocata leguntur; sed quæ magis disciplinam Cleri, regimen Episcoporum, vel ipsas causas Principum, quam religionem spectarunt. In Orientali vero *tria Constantinopolitana* celebrata sunt, quæ stylo veteri œcumenica ab ipsis appellantur, & causam Ignatii Patriarchæ ac Photii imprimis attinent. *Primum* Michael *Imper.* anno 861. convocavit, in quo Ignatii ejectio

ctio confirmata, & Photius in ejus locum evectus, Patriarcha Constantinopolitanus declaratus fuit. *Secundum* Basilius Macedo anno 869. indixit, in quo, Photio depulso, quod Basilium ob parricidium a sacris summovisset, Ignatius restitutus fuit. Et hoc Romanenses solum ex his tribus pro *Oecumenico octavo* habent: quia Photius, Papæ Rom. antagonistas acerrimus, in eo exauctoratus fuit. confer *Baron. ad ann. 869. & an. 870. num. 73.* *Tertium* Basilio nominato adhuc imperante anno 879. habitum, quo Ignatio e vivis sublato, Photius Patriarchatum iterum adeptus est.

§. 32.

Inter Occidentales Synodos, *Aquisgranensis* præcellit anno 819. habita, in qua multa de Statu Ecclesiarum atque Monasteriorum tractata atque ordinata sunt, teste *Eginhardo in Manual. ad annum 819.* Laudat hanc *Platina* in vita Gregorii IV. quando optat: *utinam nostris temporibus, Ludovice, viveres! indiget nunc Ecclesia tuis sanctissimis institu-*

tutis, tua censura, adeo in omnem luxum & libidinem sese effundit ecclesiasticus ordo; coccineos & trabeatos nunc inspiceres, non homines, quod leve fortasse videretur, sed equos & jumenta, præcedente, dum incedunt, magno adolescentum & altero presbyterorum agmine subsequente, non in asinis, ut CHRISTUS nostri dogmatis autor, & bene vivendi unicum in terris exemplar, sed in equis præferocibus & phaleratis, ac si ex hoste triumphum ducerent. De argenteis vasis & egregia eorum suppellectile, deque cibariis non attinet dicere, cum & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretii sint. Ludovicus enim Pius Imper. cleri mores jam tum in omnem deformitatem lapsos emendare laboravit, quod capitula, ut tum vocabantur Canones & leges ecclesiasticæ, abunde testantur. vid. *Lindenbrogii Cod. LL. Antiq.*

§. 33.

Parvam ideo gratiam apud clerum inierat Imperator. Nam Episcopi concitatis in hunc filiis, anno 833. a-

pud Compendium sub Gregorio IV. Papa congregati Ludovicum accusatum & inauditum imperio exuerunt. Autor hujus iniquitatis fuit Ebbo, Rhemensis Episcopus, cui Papa adstipulatus est. vide *Scriptorem vitæ Ludovici, & Andr. du Chesne tom. II. Script. Fr. & Baron. ad annum 833. & 834.* Ideo a cordatis Scriptoribus hoc Concilium *sacrilegum* & ex memoria rerum expungendum appellatur.

§. 34.

Lothario I. imperante plures Synodi institutæ, ut *Meldensis* in Regno Caroli Franciæ Regis de bonis ecclesiasticis non profanandis. vid. *Baron. ad annum 845. num. 30. seq.* *Moguntina*, auspiciis Ludovici Germaniæ Regis celebrata, qua Godeschalcus damnatus est. vide *Annal. Fuldens. anno 848. Baron. ad annum 848. & Vossium Histor. Pelag. libr. VII. cap. 4.* Romana, quam *Baronius ad annum 853.* refert, de moribus Cleri reformandis, & in qua Anastasius, Presbyter & Bibliothecarius depositus est, quod suam Eccle-

Ecclesiam quinquennio deseruisset. vid. *Vossium de Hist. Lat. II. 35.*

§. 35.

Synodus Ticinensis anno 855. imperante Ludovico II. vivo adhuc Lothario, habita memorabilis est, quod Imperator Episcopis mandavit, ut ea disquirerent, quæ emendatione opus haberent, sibique renunciarent; Quod *Baronius ad annum 855. num. 4.* agnoscit, sed ut morem ex calamitate temporum enatum parum reverenter perstringit. Patres autem ibi congregati fatentur, Episcopos tum in cœtibus non eam adhibuisse curam, quam debebant, eosdemque & Sacerdotes doctrinam & prædicationem verbi satis negligenter tractasse: Archipresbyteros autem & aliorum titulorum custodes avaritiæ studio, Ecclesiarum reditus in privatos usus redegisse, in eaque re laicorum auxilio & favore usos esse. vid. *L. Allatium de Ecclesiæ Occident. & Orient. perpet. conf. libr. I. c. 23.* De aliis Synodis hoc ævo convocatis, vid. *Magdeburg. Centur. IX, c. 9.*

§. 36.

Quod REGIMEN ECCLESIÆ externum attinet, Pontifices Romani illud quidem affectarunt absolutum; ita, ut Nicolaus I. Papa non dubitarit Michaeli Imperat. Constantinopolitano exprobrare, quod se inconsulto Ignatium ab Episcopatu removisset. Testantur de hominis typho etiam Epistolæ ejus Decretales. vide *Blondell. Prolegom. Pseudo-Isidori cap. 19. p. 90. seqq.* Ipse quoque, Rheginone teste, magnanimo pectore Regibus & tyrannis imperavit, eisque, ac si *Dominus orbis terrarum* esset, autoritate præfuit. Erat enim, ut Platina judicat, *tantæ venerationis ac majestatis*, ut ab omnibus *tanquam Numen* coleretur. Ravennatensem etiam Ecclesiam, quæ sese diu Papæ primatui opposuerat, sibi cum Archiepiscopo subjecerat, vid. *Platin. in ejus vita. Hadrianus II.* Papa Carolo Calvo excommunicationis fulmen ob usurpationem regni Nepotis sui Lotharii, comminari non dubitavit. Veruntamen non Photius tantum huic quæsito dominatui masculo

ſcule contradixit, ſed & Imperatores vel Reges Germaniæ nondum jus ſuum in Papam Rom. abdicaverant. Nam *Eginhardus* fide maxima dignus ſcriptor, cum mortem Eugenii Papæ memoraſſet, *Annal. ad annum 827.* addit: *Quo defuncto, Gregorius Presbyter ſancti Marci electus, ſed non prius ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi examinaret.* Confer *Volateran. libr. XXII. p. 503.* Electio *Sergii II.* qui ante *os porci* dictus, Papa factus nomen mutavit, a Lothario Imperatore, filio Romam miſſo, confirmata fuit, teſte *Sigeberto Gemblacenſi ad annum 844.* confer *Annales Bertinian.* ad annum eundem. Ipſe *Baronius ad annum 855. num. 4.* agnoſcit, id moris fuiſſe, *ut Epiſcopi, quæ vellent in Eccleſia ordinari atque diſponi, non niſi ſacerdotali auctoritate per Canones conſtituerent, ſed ea per capita digeſta mitterent in palatium probanda ab Imperatore.* Carolus Calvus anno 875. Imperator creatus, juris ſui in eccleſiaſtica tenaciſſimus fuit, quod ex actis Synodi Pon-

tigonensis, quæ *in Annalibus Bertinianis ad annum 876.* extant, satis adparet.

§. 37.

Non omittenda hic Johannis VIII. vulgo *Johannæ Papissæ* historia; quæ inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanam sedem, mentita sexum, obtinuisse, magno Pontificiorum Scriptorum consensu traditur. Narrationem hanc de dicta Papissa longa seculorum serie, in ipsa Rom. Ecclesia usque ad Reformationem cœptam pro verissima habitam, superiori ævo primus *Johannes Aventinus*, qui Baronio est hæreticus, pro fabella venditare ausus est. Sed veritatem ejus *Frid. Spanhemius* peculiari libro vindicavit. Salmasius penes se fuisse codicem manuscriptum Anastasii Bibliothecarii testatur, in quo disertis verbis Johannis Papissæ vita lecta fuerit. *Bæclerus* etiam *in vit. Lotharii I. Imper. pag. 118.* refert, Salmasium sibi in Suecia confirmasse, se, ut primum per valetudinem posset, literis mandaturum, quæ ad adstruendam rei fidem pertinerent. confer *Cl. Sarravii Epist.*

Epist. ad Salmas. pag. 172. & 173. pag. 183. & 224.

§. 38.

Propagatio Religionis interim Ludovico Pio Imperat. curæ fuit. Nam Anschar*ium*, Archiepiscopum Hamburgensem a se constitutum, in Daniam, Sveciam & Norwegiam, ad prædicandum Evangelium ablegavit, addito adjutore prædicationis Ebone Remorum Archiepiscopo. vid. *Eginhard. Annal. ad annum 823. S. Anscharii vitam geminam*, Holmiæ *a Claudio Arrhenio* editam, *& Cranzii Metropol. libr. I. c. 19. seqq.* Gens Slavonica, per Poloniam, *B*ohemiam & Moraviam dispersa, Avares in Dacia confidentes, *B*ulgari & Russi denique hoc etiam ævo religione Christiana imbuti sunt. vid. *Spanhemii Compend. Introduct. ad Histor. Eccles. Sec. IX. p. 259. seqq.*

§. 39.

Cæterum DISCIPLINAM ecclesiasticam hoc seculo valde collapsam fuisse, non Canones tantum Synodorum probant, sed *Sigonius* etiam *libr. V. de Regn. Ital.*

Ital. ad annum 883. annotavit: *Regibus*, inquit, *& Pontificibus, assiduis certaminibus occupatis, paulatim vetus Ecclesiæ disciplina est lapsa. Siquidem præter cætera turpi Simoniacorum & Nicolaitarum hæresi polluta ac corrupta sunt omnia. Quorum illi interdicta sacrorum commercia, hi prohibita clericorum connubia defendebant.* Ubi male, sed usitato tamen Pontificiis convitio Nicolaitæ vocantur, qui clericorum conjugio favebant; cum Nicolaitæ olim repudiato conjugio ad promiscuas libidines ferrentur. Ideo Huldericus, Episcopus Augustanus, Nicolaum I. Papam monuit, ut a diris execrationibus, quibus *clericos connubio junctos* insectabatur, desisteret; cum obscurum non esset, ad continentiæ donum non omnes esse a DOMINO vocatos. vid. *Orthodoxogr. Patrum pag. 481.* confer *supra* §. 31.

§. 40.

Ad melioris doctrinæ & disciplinæ incrementum Ludovicus Pius sacras literas in *linguam Theudiscam*, h. e. Germani-

nicam transferri primum curavit, ut ab omnibus ad ædificationem legi possent, vid. *Andr. Ducheſnii tom. II. p. 326.* ubi tamen obſerves pro genio ſeculi, homines magis ſollicitos fuiſſe de S. literarum myſtico ſenſu, tropologia & ἀναγωγῇ, quam de literali: quæ præpoſtera exponendi ratio quantum in Eccleſiam mali invexerit, poſtera ſecula teſtantur. Hunc tamen ſenſum etiam Ludovicum noviſſe, *Theganus c. 19.* in laude ejusdem reponit. *Otfridus*, Monachus S. Galli circa annum 803. Evangelia carmine Germanico expreſſit. Quæ Beatus Rhenanus primum Friſingæ invenit. vide *libr. ejus II. de rebus German.* Matth. Flacius illa Baſileæ anno 1571. publicavit hoc titulo: *Otfridi Evangeliorum liber, veterum Germanorm Grammaticæ, Poëſeos, Theologiæ præclarum monumentum.*

§. 41.

Majorem cultus divini externi partem in ſanctis colendis, reliquiis requirendis transferendisque, Miſſis celebran-

brandis ac miraculis confingendis, itemque peregrinationibus ad loca sacra meriti causa fuisse, omnes fere hujus æviScriptores testantur. Monasteria etiam Monachi per Occidentem, otio, luxuria & flagitiis implere magis cœperunt. Fuerunt quidem in Synodis Sacerdotum & Monachorum vitia, ut ignavia, avaritia, luxuria & concubinatus vetita; Simonia etiam & venationes Episcoporum reprehensa; At illis tollendis omnis disciplina impar fuit. Etsi pœnitentiæ publicæ gradus canonicos aliqui in Ecclesiam revocare satagerent.

§. 42.

Monasteriorum, quæ olim instar Scholarum erant, memorabilis hoc seculo distinctio occurrit. Nam Ludovicus Imper. anno 817. constituit, ut quædam monasteria in Imperio & regno Francorum militiam facerent & dona ferrent: quædam solis orationibus pro salute imperatoris vel filiorum ejus ac stabilitate Imperii vacarent. vid. *Andr. Duchesnii tom.*

tom. II. fol. 323. & Natal. Alex. Hist. Eccl. Sec. IX. & X. c. 5. art. 7.

§. 43.

Scholæ Officinæ literarum & disciplinæ melioris hoc ævo constitutæ *a Johan. Launojo* peculiari *libro de Scholis* memorantur. Nam præter Parisiensem a Carolo M. suadente Alcuino jam erectam, in Germania Osnabrugensis, Corbejensis, Fuldensis & Hirsaugiensis apertæ sunt. In Italia jam Papiensis, Patavina & Bonnensis florebant; quippe quæ originem ad Carolum M. referunt.

§. 44.

PERSECUTIONES Imperii & Christianorum hostes Mauri & Saraceni ex Africa & Hispania erumpentes, Ecclesiam devastarunt, & in Christianos simul in Italia, Sicilia, Sardinia & aliis locis grassati sunt. *Genebrardo* memorante, anno Christi 850. tres Arabum persecutiones in Hispania intra decennium Christianos afflixerunt, quas Eulogius Martyr tribus libris descripsit. Irruptiones eorum in Græciam & Thraciam

Elma-

Elmacinus in Histor. Saracen. confer etiam *Zonaram tom. III. in vita Basilii.* Nordmanni seu Norwegi e Scania navigiis egressi, & innumerabili multitudine in oras maritimas Frisiæ, Flandriæ, Picardiæ & Galliæ effusi, omnia cæde, flammis & rapinis miscuere, ac Christianis passim magnum terrorem incusserunt; ut Litaniæ hac de causa novæ institutæ fuerint. De quorum grassationibus Rerum Normannicarum & Francicarum scriptores passim memorant. confer *Magdeburgic. Centur. IX. cap. 16. de Motibus Politic.* Vandali, Slavi & Bohemi, feroces adhuc gentes, Christianos in Germania vicinos passim infestarunt, martyrio ipsos afficientes. *Paulinus Gothus Histor. Arct. l. II. cap. 44.* de Danis Christiana religione nondum mitigatis memorat, quod in vicinos Christianos sævierint. confer *Cranzii lib. II. Metropol. cap. 3. & 17.*

§. 45.

In Annalibus Bertinianis ad *annum 847.* Bodo, Diaconus gente Alemannus, qui ex Christiano Judæus factus, Chri-

stia-

stianos in Hispania gravissime afflixit. Nam Saracenos contra Christianos concitavit, ut omni crudelitatis modo hosce premerent. Quapropter Christiani ad Carolum Calvum R. Franciæ regnique Episcopos literas dederunt, ut ille apostata ex Hispania revocetur.

§. 46.

MEMORABILIA, si miracula & prodigia a Monachis ad confirmationem erroris de invocandis sanctis, de celebrandis missis & Purgatorio confictis recensere, operæ pretium foret, plurima occurrunt. Sed omissis illis aut leviter tactis, veriora ex annalibus annotabimus. Qualia sunt (1.) cometa terribilis anno 818. visus Ludovicum Pium Imperat. terruit, cui Astronomus dixit, metum hunc paganis, non DEI cultoribus convenire: At Ludovicus reposuit, solum cometæ creatorem se timere; non tamen dimittendas pœnitentiæ occasiones his velut indiciis demonstratas. vid. *Gassendi Meteorol. Epicuri, fol. 1163. & vit. Peireisck. libr. III.* (2.) Interitus Popieli Poloniæ Principis a mu-

a muribus consumti cum uxore & liberis, qui ex cadaveribus patruorum enati ultores sceleris, quod illos veneno ante sustulisset. Hinc post interregnum principatus ad Piastum delatus est, teste *Alex. Guagnino Rer. Polon. tom. I. ad annum 830.* (3.) Christiana Religio in Daniam & Sveciam Divino munere per Anschariam propagata. (4.) *Legendæ Aureæ*, h. e. vitæ Sanctorum Evangeliis æquiparari jam cœperunt. (5.) Fames dira per Germaniam anno 850. grassata, quam Annales Metenses annotarunt. Dirior fames fuit, quam *Ursbergensis* Monachus ad annum 808. annotavit, quæ homines se invicem comedere adegit. vide *Hermannum Contractum anno 896.* (6.) Spectrum diabolicum in regno Ludovici *II.* R. Germ. per triennium multos miris præstigiis publice infestavit. vide *Annales Metens. ad annum 858.* (7.) Innocentiæ probandæ modus hoc ævo frequens, qui candenti ferro & ferventi aqua fiebat, a Pontifice Rom. Nicolao improbatus fuit. Nam Theutberga adulterii a Lothario Rege ma-

marito suo postulata, cum innocentiam suam candenti ferro demonstrare jussa esset, Papa nominatus respondit: *Singulare certamen nulla divina lege sancitum esse: qui id tentarent, DEUM ipsum videri tentare.* (8.) Carolus II. Calvus dictus filium suum Carolomannum oculis privavit, quod diaconi munus obire nollet. vid. *Ann. Metens. ad annum 870.* (9.) Ingentium locustarum agmina anno 874. Galliam depopulata sunt. vid. *Annal. Fuldens. citat. anno & Avent. libr. IV.* (10.) Leo *III.* Papa, teste *Bellarmino lib. I. de Sanct. beat. cap. 8. & Baron. ad annum 803.* primum ἀποθέωσιν seu canonizationem Sanctorum introduxit, S. Sviberte Episcopo Verdensi in Divorum numerum translato. (11.) Valentinus Papa festum omnium Sanctorum, jubente Ludovico Imper. ad Cal. Novembris transtulit. vid. *Binium tom. III. concil. part. I. Sect. II. Baron. ad ann. 835.* (12.) Leo IV. Papa, teste *Platina*, Angliam sibi vectigalem reddidit, Ethewolfo per dispensationem suam ex Monacho constituto Rege, ut quotannis do-

domatim nummus sibi argenteus daretur, qui *denarius Petri* postea dictus fuit. (13.) De mira visione Caroli Crassi *Baronius an. 888. n. 1.* hæc annotat: *Fertur libellus ejusdem Caroli de visione ipsi ante triennium ostensa de locis inferis & purgatoriis, quibus complures torqueri vidit Principum & Episcoporum, qui bellorum civilium fomitem succendissent.* confer *Wilhelm. Malmesburiens. de Gest. Reg. Angl. lib. I. cap. 2.* (14.) Hoc seculo corpus S. Marci ex urbe Alexandrina à mercatoribus Venetias translatum fuisse, daturum scilicet urbi patronum teste *Platina* in vita Gregorii IV. (15) *Hadrianus VIII.* Papa initio sui Pontificatus statim ad Senatum retulit: *ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas* expectaretur. Ita ausi sunt, judice *Cranzio in Metropol. l. V. pag. 116.* Pontifices *Imperatores suos contemnere, dum imperii virtus elanguit.* Addi potest Ælfridi, Regis Angliæ, vitæ religiositas, quam *Natalis Alexander Histor. Ecclesiast. Secul. IX. & X. c. 9. art. 3.* prædicat.

§. 47.

§. 47.

Ex supra commemoratis constare potest, ut cum industria Imperatorum simul etiam (ut *Platina* in Formoso I. loquitur,) Pontificum virtus & integritas defecerit; sive, quod DEUS hominum peccata sic ulcisci voluerit: cum, dicente *Bovillo*, scriptore Pontificio egregio, *DEUS justissimus sit, dum mortales rebus mortalibus addictos punit per ipsamet, quibus addicuntur*; sive, quod homines moniti resipiscere noluerint, prædominante cleri ignorantia & ambitione. Unde Romanam inter & Græcam Ecclesiam dirum schisma ortum, quod ipse *Baronius ad annum 899.* deplorat: & *Rolivingus Carthusianus in Fascic. temp. pag. 68.* exclamat: *Heu, heu, DOMINE DEUS, quomodo obscuratum est aurum! Mutatus est color optimus! qualia contigisse circa hæc tempora etiam in sancta sede Apostolica, quam usque huc tanto zelo custodisti, legimus scandala! quales contentiones & æmulationes, sectæ, invidiæ, ambitiones, intrusiones, persecutiones! O tempus pessimum, in quo defecit sanctus, & diminuta*

sunt veritates a filiis hominum. In hac tamen corrupta rerum facie, Bulgari, Bohemi, Dani & Sveci, quæ DEI est gratia, ad fidem CHRISTI conversi sunt plures. Qui licet superstitione ex Romana Ecclesia derivata simul imbuti fuerint; non tamen illa fidem apud omnes oppressit, ut non virtutem suam, verbo DEI & Sacramentorum usu antecedente exseruerit. DEUS enim sanctum semen semper aliquod etiam in obscurata Ecclesiæ facie conservavit.

PERIODI III.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CAPUT IV.

De

Sec. X. Chr.

§. 1.

ORdiri cogimur hoc seculum a querela *Baronii ad annum 900. num. 1.* quod *sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plum-*

plumbeum, atque inopia scriptorum appellari consueverit obscurum. Quæ confessio Cardinalis non de toto seculo, sed ejus præsertim initiis & progressu, usque ad Ottonum tempora exaudienda est. Nam Otto I. anno 936. cum Imperium suscepisset, negotia Ecclesiæ & reipublicæ pro genio seculi melius ordinare contendit: Inprimis vero Pontifices Rom. in ordinem redegit, qui ante eum non uno crimine infames fuerunt. Quod *Baronii ad annum 912. num. 8.* testimonio novimus: *Quam fœdissima*, ait, *Ecclesiæ Romanæ facies, cum Romæ dominarentur potentissimæ æque ac sordissimæ meretrices! Quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, &, quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii Pseudo-Pontifices, qui non sunt, nisi ad consignanda tantum tempora, in Catalogo Rom. Pontificum scripti. Quis enim a scortis hujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere posset Romanos fuisse Pontifices?* Pergit Cardinalis: *Dormiebat tunc plane alio, ut apparet, sopore Christus*

in navi, cum hisce flantibus validis ventis navis ipsa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui ista non videre dissimulans, sineret sic fieri, dum non exurgeret vindex.

§. 2.

In hac sterilitate seculi, pauci numerantur *Scriptores*, quorum monumenta relatu digna sunt. *Primus* inter Græcos est *Simeon*, *Metaphrastes* a scribendi modo, a munere vero Cancellarii *Logotheta* appellatus; qui de vitis sanctorum agit. Ubi *Bellarminus* observat, multa eum ex ingenio proprio de illis finxisse, non ut res gestæ fuerint, sed ut geri potuerint. vide *Cave Histor. Lit. & Cl. Hanckii part. 1. cap. 24. de Script. Byzant.* nec non *Leonis Allatii Diatriben de Scriptis Simeonum.*

§. 3.

Constantinus Porphyrogeneta, Imperator Constantinopolitanus, *Narrationem* de Imagine Christi ab ipso Salvatore ad Abgarum, Edessæ regem missa, & Edessa Constantinopolin anno 944. deporta-

ta

ta scripsit, quam *Combefisius in Origin. Constantinopol. pag. 75.* exhibet. Præterea alia opuscula politica & historica composuit, a *Meursio* Lugduni Batav. anno 1617. edita.

§. 4.

Nicon, *Armenus* gente, adulto hoc seculo, de *Armeniorum pessimæ Religione* librum conscripsit. De quo *Baronius ad annum 961. 969. 981. & seqq.* memorat. Ipse ob Apostolatum, quo ad gentes convertendas defunctus erat, & miracula patrata, Sanctorum catalogo insertus legitur.

§. 5.

Saidus, Patriarcha Alexandrinus, celebris auctor *Originum Ecclesiæ Alexandrinæ*, *Annalium Ecclesiasticor.* quos Seldenus & Pocockius evulgarunt: vide *Hottinger. Histor. Ecclesiast. cap. 10. Sect. I. pag 34.*

§. 6.

Eutychius, Batrici filius, medicus insignis, & Patriarcha Alexandrinus, scripsit ad Isam fratrem suum Arabico sermone Annales ab orbe condito ad

annum usque 940. quibus *Contextum Gemmarum* titulum dedit. Partem earum sub titulo *Originum Alexandrinarum* Arabice & Latine *Seldenus* Londini anno 1642. edidit. Sed integros Annales *Pocockius* Oxonii an. 1659. evulgavit.

§. 7.

Moses Barcepha, Episcopus Syrus, librum de *Paradiso* in duas partes divisum conscripsit, qui ex Syriaco sermone Latine redditus in *Biblioth. PP. tom. XVII.* extat.

§. 8.

Oecumenius, Scriptor alias incertæ ætatis, ad hoc seculum refertur, qui inter Græcos clarissimus est, & N. Testamenti vulgo *Scholiastes Græcus* audit; quod ex veterum commentariis, præcipue ex Chrysostomo, Acta Apostolorum & Epistolas Paulinas illustravit. Opera ejus Græce & Latine Parisiis anno 1631. prodierunt. Referunt aliqui etiam ad annum 980. *Suidam*, celebrem Grammaticum & Philologum, autorem *Lexici* Grammatico-Historici

ab

ab Æmilio Porta Cretensi Græce & Latine editi. vide *Cave Histor. Liter. fol. 587. seqq.*

§. 9.

Inter Latinos Scriptores celebriores sunt *Odo*, gente Francus, Monachus & aliquamdiu Abbas in Gallia, ob vitæ sanctitatem clarus, qui varia opuscula compilavit, quæ in *Bibliotheca PP. t. XVII.* habentur.

§. 10.

Ratherius, Monachus Lobiensis, Episcopus postea Veronensis, varios Sermones sacros & alia opuscula conscripsit, quæ collecta *Lucas Dacherius Spicileg. t. II.* edidit.

§. 11.

Smaragdus, Abbas S. Michaelis ad Mosam, *Diadema Monachorum de vitiis fugiendis & virtutibus tenendis* composuit: it. commentarios in Evangelia & Epistolas Dominicales ex Patribus collectos Argentinæ an. 1539. editos. vid *Labbei tom. II. pag. 362. & Mabillonium Analect. tom. II. p. 418.*

§. 12.

Burchardus, patria Hassus, circa finem hujus seculi Episcopus Wormatiensis, *volumen canonum* collegit, Coloniæ anno 1548. editum. Fuit & alius *Burchardus* primus Misnensium Episcopus hoc seculo notus, sed nullis, quod sciam, scriptis clarus.

§. 13.

Luitprandus, Italus, qui Francofurti condidit Historiam, in qua Berengarii Italiæ Regis tyrannidem descripsit. Chronicon ejus, librum de Pontificum Romanorum gestis aliaque ejus opera Hieronymus de la Higuera & Laur. Ramiresius Antwerp. an. 1640. publicarunt; confer *Labb. de Script. Eccles. tom. 2. p. 35.*

§. 14.

Witikindus sive *Winduchindus* Saxo, monachus Corbeiensis, medio hujus seculi clarus, de Rebus Saxonum sive Henrici Aucupis & Ottonis I. Imperat. gestis *libr. III.* scripsit, quos *Cl. Meibomius* nuper cum aviso notis *tom. I. Script. Rer. Germ.* publicavit.

§. 15.

§. 15.

Notgerus, seu *Notkerus*, Germanus Episcopus Leodiensis, Ottoni Imperatori imprimis gratus, Historiam Episcoporum Leodiensium, vitas S. Londoaldi & Remacli, Episcopi Trajectensis conscripsit. vide *Surium* ad *III. Sept.* & *Canisium tom. IV. p. 761.* Plures Sermonum, Homiliarum, Epistolarum & vitarum Sanctorum compilatores hic addere non vacat; cum parum intersit studiosæ juventutis eos nosse, aut ignorare.

§. 16.

DOCTRINA PUBLICA in hac seculi sterilitate & rerum caligine, in Symbolis Ecclesiæ veteris receptis continebatur: Licet propter errores Papales ejus capita ab ignaris S. literarum doctoribus, populo minus pure explicarentur; prædominante jam in Ecclesia superstitione magno ceremoniarum adparatu adornata. Interim Sacramentorum usus quoad substantiam integer mansit; nisi quod Missæ abusus in S. Eucharistia, atque ritus inanes in Ba-

ptismi actu inoleviſſent. Symbolum doctrinæ publicæ a Pelegrino, Lauracenſi Archi-Epiſcopo, contextum ex Orthodoxographis *Magdeburgici Cent. X. c. 4.* recenſent.

§. 17.

Contentiones in Eccleſiæ Occidentali de *præſentia Corporis CHRISTI in S. Euchariſtia* jam ortæ fervebant; adeo, ut cenſente *Mezerao tom. II. Hiſtor.* ad probandam realem præſentiam, miraculis opus fuerit, quibus fingendis ſacrificulorum & Monachorum ingenia jam idonea videbantur.

§. 18.

In Occidentali Eccleſia diſſenſus a Latina, in capitibus de Proceſſione Spiritus S. de Jejunio Sabbathi, de Azymis, de Purgatorio & cœlibatu clericorum, auctus magis, quam imminutus fuit. Ut fruſtra ſit *Leo Allatius*, qui conſenſum hac in parte adſtruere *lib. II. cap. 7. 8.* laboravit. Aperte id ſatis *Baronius ad annum 914 & 1039. num. 2.* faſſus eſt, quando ſcribit: *Orientales manſere diſciſſi a communione Catholicæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis.*

§. 19.

§. 19.

Fuit etiam controversia de Jure Compaternitatis mota, impediatne conjugium? quod Polyeuctus voluit, vide *Zonaram tom. III. fol. 160.* Ob quartas nuptias Leonis Imperat. sub initium hujus seculi dissidium exortum, Constantinus Porphyrogenetus edito ἑνωτικῷ de abrogandis illis, consopivit. confer *Zonaram tom. III. fol. 143.* & *Baronium an. 920. & 921.*

§. 20.

Cum Catholicæ veteris doctrinæ cura fere exoleviſſet, & omnes Sacerdotes ac Monachi de ceremoniis ac superstitionibus tuendis vel augendis magis quam de fidei capitibus solliciti essent, *hæreses* novas hoc ævo enatas fuisse non legimus. Ex antiquis tamen quædam propullularunt atque disseminatæ sunt.

§. 21.

Anthropomorphitarum hæresin medio hujus seculi in Italia late grassatam, Parassum, nobilem Lombardiæ civitatem totam occupasse, *Bergomenses ad annum 951.* memorat. Sed Archi-Episcopus

Mediolanensis arripiens gladium Petri, civitatem hanc invadens, omnes ejus incolas, nulla habita sexus aut ætatis ratione, hac de causa trucidavit, urbemque delevit. confer *Sigebertum ad annum 939.*

§. 22.

In Oriente fœdam *Manichæorum* sectam disseminatam Præsul Antiochenus e sua vicinia depulit: cui Philippopolis receptum præbuit; cum Muhammedani cum illa multa foverent communia placita. vid. *Magdeb. Cent. X. c. 5.*

§. 23.

Inter ipsos Muhammedanos nova etiam secta ab impostore quodam, cui nomen *Cernat*, excitata fuit. Qui e paganis & deserti Orientis incolis, quibus nec intellectus nec religio fuit, ad novas superstitiones suas invitavit, & dicto audientes multos invenit, qui vix credenda patrasse dicuntur. vid. *Edw. Pocockii Specimen Hist. Arab. p. 371.*

§. 24.

Henrici Aucupis, Germaniæ Regis tempore, in Germania crimen *Simoniæ*, quam

quam *hæresin Simoniacam* Luitprandus *lib. II. cap. 8. & 9.* vocat, valde invaluerat, ut Episcopatus, Abbatiæ & aliæ dignitates Ecclesiasticæ essent venales. Quare laudatus Henricus, antequam prope Mersburgum Hungaros memorabili acie profligaret, voto se obstrinxerat, se obtenta victoria istam hæresin exstirpaturum esse. vid. *Natalis Alexandri Histor. Eccles. Secul. IX. X. c. VII. art. 6.*

§. 25.

Ceremoniarum ac cultus externi studium magis hominum animos, quam doctrinæ & veræ pietatis, quæ Christianos decet, occupaverat. Congressus quidem nocturni ad cantiones & precationes instituti sic satis frequentes erant; at vero in illis & tenebrarum opera ac scelera patrata fuisse, *Luitprandus lib. II. c. 20.* memorat. confer *Reginon. de Discipl. Eccles. lib. 1. cap. 54.*

§. 26.

In Ecclesiis Anglicanis hoc seculo κύριε ἐλέησον cantari cœptum est, ideo, quod Dunstanus, Cantuariensis Episco-

pus (ut fingitur) missam celebraturus, in altari obdormiverit, ac in cœlum velut per ecstasin raptus ab Angelis id cantantibus didicerit: ita refert *Vicentius Bellovacensis libr. XXIV. cap. 85.* Festum etiam *omnium Animarum* post festum omnium Sanctorum celebrandum institutum, quas potissimum Cluniacensium Monachorum orationibus liberari a pœnis Purgatorii, ex pluribus diversisque revelationibus ostensum erat, ut *Baronius ad annum 998.* annotavit. Sodalitia etiam instituta pro juvandis mortuis, juratis Missarum ad certos dies cantionibus, sub vinculo anathematis, apud *Baronium ad annum 984. num. 5.*

§. 27.

Sacram cœnam hoc seculo juxta institutionem CHRISTI & clericis & laicis integram adhuc fuisse præbitam, ex *Witikindi lib. & Reginonis de Disciplina Ecclesiastica libr. I. cap. 119.* liquet. *Ille* enim memorat, quod Otto I. Imperat. lecto decumbens Sacramentum Corporis & Sanguinis dominici expetiverit & per

ceperit: *Hic* vero docet, infirmorum animas Corpore & Sanguine DOMINI reficiendas esse. *Rudolphus lib. XIV. cap. 4.* scripsit: *Populus Sacratum CHRISTI Corpus assumit, vibit & beatum Sanguinis ipsius haustum.*

§. 28.

Superstitio tamen improba hoc seculo invaluit; ut qui criminis alicujus rei aut suspecti essent, usu S. Cœnâ se ab isto purgare juberentur. Ita Fridericus, Archi-Episcopus Moguntinus, haut temeraria suspicione conspirationis in Imperatorem Ottonem reus actus, Corporis & Sanguinis DOMINI usu sese liberare voluit, memorante *continuatore Histor. Reginonis anno 941.* Huc referas ritum consecrandi aquam, qua dæmones abigi, ædes, agros, vineas, pecora horumque pabula adspersa consecrari atque salutaria reddi, persuasum habebant. vide *Reginonem lib. II. c. 210.* Non minor superstitio circa Sanctorum ossa, & eorum cadaverum translationem obtinuit. Exempla horum *Magdeburgici Centur. X. cap. 6.* annotarunt.

Tem-

Templis noviter exstructis nomina vel Salvatoris, vel Angelorum, vel S. Mariæ, vel Martyrum indita sunt. In quibus anathemata seu arma & insignia præstantium virorum ex gentilium ritu suspendi cœperunt.

§. 29.

Majestatem Imperii etiam externis & superstitiosis rebus ad opinionem vulgi facientibus augere voluit Henricus Auceps. Nam *Lanceam* (inquit Sigebertus ad annum 929.) *mirandi operis, & clavis JESU CHRISTI crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Constantini Imperatoris fuisse, donatam Rudolpho, Regi Burgundionum & Italiæ, a Samsone Comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte Provinciæ Suevorum, a Rudolpho Comite extorquet, & hanc ad insigne & tutamen Imperii posteris relinquit.* v. *Luitprand. l. IV. c. 12. Baron. ad annum 920. n. 5.* Huc pertinet fabula demanu Dionysii Martyris, veluti fatali pignore Imperii missa receptaque: item de S. Vito, Saxoniæ post translationem e Gallis patrono & instauratore. vid. *Cranzii Saxon. l. III, c. 6.*

§. 30.

§. 30.

Fabulam de Sanguine CHRISTI, in Augiam insulam delato, *Hermannus Contractus* anno 923. memorat. *Marianus Scotus* eodem anno hanc annotavit, addens: *Forte ille Sanguis, qui de imagine CHRISTI confluxerat, cum in Beryto civitate a Judæis patiebatur eadem, quæ DOMINUS passus est ab eis.* Ubi hominum vanam credulitatem notes. Quo indicio sciri potuit, Sanguinem CHRISTI esse, si ubi, & quando fusus, ignorabatur? Referri huc merentur visiones Hathaidæ virginis, in Laverna Remensis territorii villa factæ, apud Frodoardum in Chronic. quod *P. Pithœus* edidit *p. 201. seqq.*

§. 31.

Campanarum consecratio vel baptismus autore Johanne XIII. Pontifice Roman. cœpit, annotante *Baronio anno 968. num. 93.* Quod κακοζηλίας genus ad contemtum sanctissimi Sacramenti pertinet. Religiosior hac in parte Carolus M. fuerat, qui teste *Vossio Disput. XII. de Baptis. thes.* 1. vetuit, *clocas baptizari.*

§. 23.

§. 32.

Apud Polonos sub Duce Miecislao profanus inolevit mos, ut quando Sacerdos Evangelium ad altare recitaturus esset, viri equestris ordinis stringerent gladios vel acinaces, velut Evangelii & religionis Christianæ defensionem profitentes; respondente autem choro, *Gloria Tibi, DOMINE*, reconderent. vide *Cromeri Historiam lib. 3.*

§. 33.

DISCIPLINAM *Ecclesiasticam* corruptis cleri moribus, corruptissimam ævi hujus initio fuisse, *Aventinus Annal. Boj. libr. IV. f. m. 368.* his verbis prodit: *Creverant Principe puero* (Ludovico IV.) *tum in Germania vitia Sacerdotum. Nam & Romanus Pontifex ob scelera male audiebat vulgo: Venter & ea, quæ sub ventre, illis Deus erant. Vino, Otio, Veneri & Cereri dediti sacras & profanas literas juxtæ contemnebant. Virgines sacratæ passim incestu polluebantur. Adulterio nihil communius erat. Arrogantia, superbia, luxus,*

xus, libido, avaritia, communia sacerdotum mala invaluerant: Civitatem illi omnem veste, incessu, armis, quasi carnifices circulatoresque præ se ferebant, pauperes, pupillos, viduas compilabant. Nemo hos defendebat. Carmina amatoria passim cantitabantur. Emere, vendere sacra, pietas erat. Conradus Hotopagus & Geoptardus Argentoratenſis, vates divini, tum facundiam in vitia ſacerdotum & Monachorum aviditatem exercebant, ac niſi reſipiſcerent, flagellum DEI Attilam adfore propediem, prædicabant. Sed nemo his recte monentibus præcipientibusque obtemperabat. Ira DEI mortales urgebat; cum inſipientiſſimi eſſent, ſapientiſſimos ſe eſſe credebant: ſuperſtitionem religioni, umbram rei, ſpeciem pietati præferebant. Plura deformis Eccleſiæ ſtatus teſtimonia annotavit *Hotting. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 10. Sect. I.* Auxit hanc cleri improbitatem indulgentia Cæſarum. Nam *Aventino libr. V.* atteſtante, *Henricus primus Imperatorum Sacerdotes & Monachos ditavit: ipſis venationem quoque indulſit. Monachi arrepta*

oc-

occasione ex paupertate, severioris religionis jugo excusso, licentius vivere cœperant. Ottonis I. Imperat. larga in antistites liberalitas vel profusio, ipsis ansam luxus majorem præbuit, ut sacrorum curam negligerent, velut antiquatis disciplinæ veteris canonibus.

§. 34.

REGIMEN ECCLESIÆ Pontifices Roman. jam sibi vindicare cœperant: qui cum vitiis pessimis immersi essent, curam sacrorum insuper habuerunt. Ideo seculum hoc infelix *Gilb. Genebrardus libr. IV. Chronologiæ ad annum 901. pag. 807.* deplorat *fœdatum quinquaginta Papis, a Johanne hoc (IX.) ad Leonem IX. usque per annos 150. quia a virtute majorum prorsus defecerint, & Apotactici atque Apostatici potius quam Apostolici fuerint, qui vi aut largitione sedem invaserint, & per posticum non ostium intrarint.* Ita, ut *Stellæ* loquitur, *omnis virtus tam in capite,* (Rom. Pontifice) *quam in membris ex hominum ignavia, consumta fuerat.* Sergius III. arte & opera scorti nobilis Maro-

roziæ Pontificatum nactus, omnium facinorosissimus fuit, vide *Luitprandum lib. III. cap. 12. & Baronium ad annum 908.* Johannes X. teste *Luitprando Histor. 13. contra jus fasque*, Theodoræ scorti artibus adjutus sedem Romanam invasit, vitamque misere finiit suam. vide *Sigebertum ad annum 930.* Mon melior Johannes XI. ex Papa Sergio & matre Marozia genitus. vide *Baronium ad annum 931. & 933.* confer *M. Anton. de Dominis de Reg. Eccles. IV. 7. fol. 636.*

§. 35.

Otto vero, *Primus* Imperator jus, sibi in Episcopos Romanos vindicatum ivit; quando Stephanus IX. (Platina VIII. vocat,) Pontificem instituit, atque Benedictum V. ejecit; sibique jus eligendi Pontifices ac investituram cleri, consensu totius cleri & populi asseruit. vide *Sigebertum ad annum 963. Cranz. Saxon. IV. 10.* Mortuo Leone VIII. legati Romanorum, Azo videlicet Protoscriniarius, & Marinus Sutrienſis Ecclesiæ Episcopus Imperatorem pro instituendo

do, quem vellet, Romano Pontifice in Saxoniam adeuntes, honorifice suscipiuntur & remittuntur, scribit *autor Supplementi Reginonis.* conf. *Conringii de Germ. Imper. Rom. cap. 10.* ubi Baronium refutat, cui Ottonis I. in constituendis, judicandis & destituendis Pontificibus, itemque in Synodis cogendis potestas displicet. *Sigon.* etiam *de R. Ital. VII.* Ottonis II. auctoritatem in constituendo Pontifice affirmat: qui teste *Ditmaro*, Episcopo Martisburgensi, etiam alios Episcopos & Archi-Episcopum Adelbertum Magdeburgensem investivit, Synodosque coëgit, quas *Baronius anno 973. 975. 979. & 983.* memorat. Otto III. quoque Brunonem Saxonem, propinquum suum anno 995. Pontificem Rom. declaravit, teste *Sigonio de Regn. Ital. lib. VII.* Cui Gerbertum Sylvestrum II. anno 999. succedere jussit. Nondum ergo hoc seculo Imperatores Jus Ecclesiasticum sibi adimi passi sunt: Etsi in multis jam imminui coepisset, grassantibus Papis R. ad dominatum diu desideratum stabiliendum.

§. 36.

§. 36.

Quod etiam SYNODI hoc ævo autoritate vel consensu Principum coactæ probant. Quæ tamen omnes vel ob dissensiones Pontificum Roman. vel ob Monachorum & Cleri disciplinam atque ritus superstitiosos convocatæ fuerunt. Anno 935. Erffurdiæ Thuringorum in Synodo solenni determinatum fuit: (1.) ut natalitia Apostolorum XII. summa cum veneratione celebrarentur. (2.) ut placita secularia Dominicis vel aliis diebus festis minime fierent: (3.) ne ullus Christianus Ecclesiam pro reverentia petendo ibique manendo, alicujus publicæ potestatis banno constringeretur. vid. *Franc. Longi a Cariolano Summ. Concil. fol. 699.*

§. 37.

In Synodo Virdunensi anno 947. habita Episcopatus Rhemensis Hugoni puero quinquenni olim datus, Artaldo iterum adjudicatus fuit, apud *Flodoardum in Hist. Rhemens.* conf. *Goldast. Constitution. tom. III.* Otto M. anno 963. Synodum Romæ convocavit, in qua præsiden-

fidendo Johannem XII. Papam condemnavit. confer *Baron. anno 963. num. 1.* Insequenti anno Pseudo-Synodus a Joanne jure depositio contra Leonem Papam convocata legitur: item alia Romæ coacta, in qua per Leonem Anti-Papam Benedictus V. Papa exauctoratus Hamburgumque relegatus fuit, ubi & vitam finiit suam. vid. *Baron. ad ann. 964. num. 20. seqq. Cranz. Saxon. lib. IV, cap. 13. & Metropol. lib. II. cap. 4.*

§. 38.

In Germania anno 956. Augustæ Vindelicorum Synodum habitam, *Canisius* ex Codice Manuscripto Monasterii Weingartiensis memorat. In qua inter alios Canones, hi facti leguntur: ut si clericus ducat uxorem, deponatur: non liceat Ecclesiasticis habere canes nec accipitres, juxta Concilii Toletani *cap. 11.* Ecclesiasticus aleæ vacans denonendus, ut in Canon. 42. Apostol. item, clericus non cohabitet cum muliere extranea.

§. 39.

In Gallicanis Synodis præ multis memo-

morabilis est Synodus apud Troslejum, villam pagi Svessionensis, hoc nomine *prima*, sub initium fere hujus seculi convocata, Carolo Simplice adhuc Rege: in hac orationes graves & capitula XV. pro *reformando clero*, *disciplina*, *moribus*, *Monachismo*, Ecclesia *supra Petram*, *id est*, *super confessionem Petri ædificata*, facta vid. *tom. III. Concil. Gallia & Sphanhemii introduct. pag. 429.*

§. 40.

In Anglia anno 976. Synodus contra Clericos conjugatos, inceptore harum turbarum Dunstano, Cantuariensi Archiepiscopo, habita. *Matthæus Westmonasteriensis* de alia Synodo Wintoniæ in caussa Clericorum contra Monachos insurgentium coacta memorat, quod circa medium utriusque partis disputantis conflictum, imago Domini, quæ altercantibus adstabat, expresse locuta sit: *Non fiet, non fiet; judicastis bene, male mutaretis.* Quare, inquit Matthæus, Clerici omnesque eorum fautores elingues redditi, nullam deinceps monachis

controversiam moverunt. vide *Baron. ad annum 975. num. 12.*

§. 41.

Non omittenda hic, quæ vulgo memoratur Synodus, Romæ anno 996. habita, in qua, si *Baronio num. 30. seqq.* ad hunc annum credimus, Gregorius V. Papa cum Ottone III. Imper. *Septemviros* Principes Electores instituit. Sed fabulam hanc *Onuphrius Panvinius de Comit. Imperat. c. 6. Goldastus Polit. Imper. P. I. Christophorus Gewoldus & Limnæus in capitul. Caroli V. art. 27.* confutarunt.

§. 42.

PERSECUTIONES infideles adhuc Principes in Christianos excitasse, ex bellorum hujus ævi historia constat. In Dania Rex impius & crudelis Gormo (quem *Helmoldus* allusione vocis Germanicæ Wurm vocat,) ministros Evangelii toto regno ejecit, nonnullos etiam diris suppliciis afficiens. Verum Henricus I. Imperat. eundem armis adegit, ut subditis suis fidem Christianam amplecti permitteret; licet ipse Gentilismo per-

pertinaciter adhæreſceret. Filius tamen ejus Haraldus per Epiſcopum Hamburgenſem Unni (*Unnonem* alii vocant) ad fidem CHRISTI converſus eſt. vid. *Helmoldi Chronic. lib. I. cap. 8.*

§. 43.

Hungari Duce vel Rege Chuſſal in Germaniam effuſi horribili laniena in Svevia, Francia, Thuringia & Saxonia patrata, diriſque modis Monachis & Sacerdotibus trucidatis, ab Henrico Aucupe memorabili prælio non procul Martisburgo victi atque ad internecionem usque cæſi fuerunt. vid. *Luitprand. lib. II. cap. II. Reginon. lib. II. & Aventinum lib. IV.*

§. 44.

Miſtiwous, Dux ſive Rex Vandalorum, in Chriſtianos atrociter ſævit, ulturus injuriam a Bernardo Saxon. Duce ſibi illatam; quod cognatam ſuam vel filiam, quam illi in matrimonium elocare promiſerat, denegaſſet, & quidem ſvaſu Theodorici, Marchionis Brandenburgici, qui dixerat, tam nobilem puellam non eſſe *cani*, h. e. ethnico elocandam. Un-

de isse graviter irritatus dixit, *canes sumus? Si ergo canes sumus, rabiem exercebimus.* Excitata igitur persecutione, magnam stragem in populum Christianum edidit, quam *Cranzius l. IV. Saxon. c. 34.* describit.

§. 45.

Rollo, Normannorum dux, Franciam invadens, crudeliter in Christianos & viros ecclesiasticos grassatus est; donec Gilla, filia Caroli Simplicis, in uxorem accepta, a persecutione desisteret, & suscepto baptismo Christianorum sacris initiaretur, teste *Gaguino lib. V. Hist.*

§. 46.

In Oriente Saraceni Christianos non tantum jugo submiserunt; sed & variis modis afflixerunt, multisque in locis exstirparunt. Hugo, Rex Italiæ, eos etiam conduxerat hoc consilio, ut auxilia peregrina ex Germania arcerentur. Qui Christianos spoliarunt, jugularunt, eos præsertim, qui religionis gratia jam Romam proficisci solebant. vid. *Luitprand. lib. VI. cap. 6.*

§. 47.

§. 47.

Inter MEMORABILIA hujus seculi referimus (1.) insignia Imperii apud Godofridum Viterbiensem descripta,

- *Crux, ensis, sceptra, corona,*
Lancea, Palla.

Quibus *Chronicum Belgicum Magnum de* Wilhelmo Comite Rege Romanorum creato, addit *annulum & globum aureum.* (2.) Unctio, Henrico Aucupi a Moguntino Pontifice oblata, sed per modestiam recusata apud *Ditmarum lib. I.* (3.) Henrici victoria de Hungaris prope Martisburgum anno 922. parta apud *Luitprandum lib. II. 8. & Sigebert. ad annum citat.* (4.) Lancea sacra ab Hugone, in Gallia regnante, Henrico missa: item vexillum Mauritii Martyris apud *Baron. anno 929. num. 5.* (5.) Marchionatus primum in Germania instituti apud *Cranzium in Saxon. lib. III. cap. 9.* (6.) Victoria insignis Ottonis I. ab Hungaris anno 955. reportata, apud *Witikind. lib. III. & Aventin. lib. V.* (7.) κυνοφορία, pœnæ genus hoc seculo usitatum, vid. *Meibomii not. ad Witikind. lib. II. Rittershus. ad Guntheri*

Ligurin. lib. V. v. 194. seqq. & Besold. Thesaur. Pract. voc. Hund tragen. (8.) Imago CHRISTI ἀχειροποίητος Edessena multa cum pompa Constantinopolin translata apud *Baron. anno 944.* Quam in dubium vocat *Casaubonus*; etsi *Gretserus in Syntagm. de imagin. manu non factis*, persuasum sibi habet, veram imaginem CHRISTI fuisse. [9.] Ars per notas scribendi Ottonis I. ætate inter studia literarum relata apud Ekkehardum juniorem; cætera vero literarum studia ea ætate ferme nulla fuisse, testis est *Sigonius de Regn. Ital. lib. VII.* (10.) Hatto, post Guilielmum Archiepiscopus Moguntinus ex Abbate Fuldensi factus, a muribus devoratus, postquam annona arctiore pauperes veluti mures combussisset; ejusque rei monumentum, turrim in Rheno exstructam (Mäuse-Thurm) referunt *Trithemius*, *Bruschius in catalogo Episcop. Mogunt.* *Lycosthenes de Prodig. anno 969. Drexelius* & alii. Sed *Serarius in rebus Mogunt.* negare audet. (11.) Conjugia clericorum in Anglia fraude Dunstani prohibita apud *Flacium Cat. Test.*

Test. Verit. lib. XI. Centuriat. Magdeb. X. 9. (12.) Roswida sive Hroswitha, virgo illustris, monialis primo, post Abbatissa Gendersheimensis Poëtria, cujus opera Conradus Celtes Norimbergæ publicavit. vid. *Meibom.* qui vitam ejus scripsit & *Voss. de Hist. Lat. lib. II. cap. 41.* (13.) Otto III. Imper. jus suum in Pontificibus itemque Episcopis aliis constituendis usurpavit, & Archiepiscopatum Gnesensem etiam instituit apud *Ditmarum lib. IV.* (14) Pontificum Rom. scelera ex Scriptoribus Pontificiis apud *Hottingerum H. E. cap. 10. Sect. 1. & 5.* annotata.

§. 48.

His annotatis, in hujus ævi historia miramur Pontificum Rom. flagitia, quæ Ottones quodammodo castigarunt, sed tollere non valuerunt. Imo profusis in clerum donationibus ac institutis pluribus Episcopatibus luxum Sacerdotum magis, quam pietatem aluerunt. Præsertim cũ cultus divinus novis subinde superstitionibꝰ fœdatus in ceremo-

nias ac fabulas de sanctis horumque miraculis ac reliquiarum virtutibus degenerasset. Ita DEUS sivit populum in caligantis seculi tenebris ambulare, quando CHRISTUM sequi pro auspicio, audire pro oraculo, amplecti pro exemplo clerus pariter & populus neglexisset. Sanctum tamen aliquod semen semper in hac zizaniorum abundantia superfuisse ac germinasse, CHRISTI promissio nos dubitare haut sinit.

PERIODI IV.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

Quæ est Ecclesiæ sub tyrannide Anti-Christi Rom. & jugo Saraceno-Turcico gementis,

CAPUT I.

De

Hist. Sec. XI.

§. 1.

SEculum cum IV. Periodo Ecclesiæ Christianæ inchoatur undecimum, quod

quod *ob malorum excrescentiam*, Ditmarus *Ferreum* appellavit; alii *Anti-Christianum*; quod ut *Baronius anno 1001. n. 1.* testatur, hoc ipso revelandus esset ille homo peccati, filius perditionis dictus, cognomine *Anti-Christus*, 2. Thess. II. Nec fefelliſſe præsagium in Gallia primum, deinde, Baronio teste, per orbem vulgatum, cum historia, tum imprimis vita Gregorii VII. Hildebrandi alias dicti, Pontificis Rom. comprobant. Rei hujus testimonia *Flacius in catalog. Test. Verit. lib. XIII. & Hottingerus Hist. S. cap. II. Sect. I.* adducunt. Non minora mala Ecclesiam Orientalem exercuisse, idem *Hottingerus cap. II. Sect. II.* probat. Barbarie hac morum & doctrinæ dominante, pauciores erant, qui vel S. literarum studia excolerent, vel scriptis editis Scholis & Ecclesiæ prodessent. Itaque pro compendii nostri ratione, præcipuos tantum Scriptores primum hic allegabimus.

§. 2.

Ex Græcis clariores sunt *Nilus* Archimandrita, qui librum *de quinque threnis*

Patriarchalibus scripsit, quem *Leo Allatius de conf. l. I. c. 2 8. 9. 10. 11. 12. & seqq.* alleg. confer *Salmasii* præfat. in Nili Thessalonicensis lib. *de Primatu.*

§. 3.

Nicetas Pectoratus, Monachus Studiensis Nili σύγχρονος, qui librum de azymis adversus Latinos, apud Canisum *tom. VI. Lection. Antiqu.* reliquit. Huic jungimus *Michaelem Cerularium*, Patriarcham Constantinopolitanum, autorem Epistolarum ad Petrum Antiochenum. vide *Cotelerium tom. II. Monument. Græc. pag. 135.*

§. 4.

Simeon Junior, Presbyter, cujus extant *Orationes, liber divinorum amorum & capita moralia*, a Jac. Gretsero Ingolstadii an. 1603. publicata.

§. 5.

Theophylactus, Archiepiscopus Bulgarorum, qui anno 1077. circiter claruit, commentarios in IV. Evangelistas, Acta Apostolica & Paulinas Epistolas, duobus tomis distinctos composuit, Parisiis & Lon-

Londini Græce & Latine publicatos. Hujus σύγχρονος *Nicetas Serron*, Archiepiscopus Heracleensis fuit, autor catenæ Græc. Patrum in Jobum, quæ anno 1637. Londini prodiit. Hunc non confundendum cum Niceta Paphlagone, *Leo Allatius in Diatribe de Psellis p. 17, 18.* monet.

§. 6.

Georgius Cedrenus, circa medium hujus seculi clarus, Annales seu compendium ab O.C. conscripsit, quod Basileæ anno 1566. & Parisiis anno 1647. cum animadversionibus prodiit. Cui subjungimus *Joannem Scylitzen*, Protovestiarium & Curopalatem, autorem *compendii Historiæ* Annalibus Cedreni subjuncti, quod cum Jac. Goaris notis Lutetiæ Parisiorum anno 1648. editum fuit. vid. *Vossii lib. II. cap. 26. de Histor. Græc. & Natalis Alexandri Histor. Eccles. Sec. XI. cap. 5. art. 4. num. 6.* Cedreni σύγχρονος fuit *Joannes Xiphilinus*, Patriarcha Constantinopolitanus, cujus extant Decreta de Sponsalibus & Nu-

ptiis prohibitis in Jur. Græc. Roman. *lib. III. & IV.* Alium hunc esse *a Xiphilino*, epitomatore Dionis Casii, satis notum est.

§. 7.

Suidam, autorem Lexici historici, ex sententia aliorum, *supra pag. 270.* ad Seculum X. retulimus; sed ex voce Lexici Ἀδὰμ adparet, eum ad medium circiter hujus seculi referendum esse.

§. 8.

Inter *Latinos* Scriptores, qui celebriores habentur, vel historias, vel epistolas, vel sermones & controversias de ritibus ecclesiasticis scripserunt: ex quibus ad solidioris Theologiæ cognitionem parum proficitur.

§. 9.

Inter hos sub initium hujus seculi clarus fuit *Fulbertus*, Episcopus Carnotensis, qui Epistolas, hymnos, sermones, tractatum adversus Judæos, & Canonem de pœnitentia mulierum conscripsit. Opera ejus conjunctim anno 1608. Parisiis publicata prostant, & *in Biblioth. P P. tom.*

tom. XVIII. etiam leguntur. Guil. Malmesburiensis *lib. 3. de Gest. Reg. Angl.* memorat, hunc morbo gravi laborantem, Mariam Deiparam visitasse & proprio lacte sanasse.

§. 10.

Berengarius Turonensis, Archi-Diaconus Andegavensis, dialecticus facundus, scripsit Epistolas & tres formulas de S. Eucharistia, quæ apud *Mabillonium Analect. tom. II. pag. 486.* leguntur. De caussa Berengarii & controversia cum Lanfranco prolixe *Natalis Alexander Histor. Ecclesiast. Secul. XI. & XII. Part. II. Dissert. 1.* agit.

§. 11.

Hermannus Contractus, a membrorum debilitate ita appellatus, Monachus, chronicon de sex ætatibus mundi compilavit, quod ad annum 1052. perductum *Urstisius tom. I. Scriptor. German.* item *Pistorius tom. I. Scriptor.* exhibent. Trithemius ipsum ob raram isthac ætate eruditionem laudat.

§. 12.

Glaber Radolphus, Monachus ordin. Benedictin. Antisiodorensis, historiam quinque libris comprehensam conscripsit, quæ Francofurti anno 1596. prodiit, & etiam *tom. IV.* Scriptorum Francic. Fr. Duschenii inserta legitur. confer judicium *Baronii ad annum 996. num. 25.*

§. 13.

Humbertus Cardinalis, Episcopus Sylvæ Candidæ, librum de *Azymis* & jejunio Sabbati contra Nicetam Pectoratum, qui sub finem *tom. XI. Annal. Baronii* legitur, exaravit. Berengarius ipsum ob doctrinam de Eucharistia impugnavit; sed a Lanfranco defensus fuit.

§. 15.

Lanfrancus, Italus, Abbas Cadomensis & tandem Archiepiscopus Cantuariensis factus, librum de Corpore & Sanguine DOMINI, de celanda confessione, item commentarios in Paulinas Epistolas conscripsit. Opera ejus cum notis *Lucas Dacherius* anno 1647. Parisiis pu-

publicavit. confer *Whartoni Angliam Sacram, Part. I. fol. 334. seq.*

§. 15.

Anselmus, Augustæ in Alpibus natus, ex Abbate Beccensi circa finem hujus seculi Cantuariensis Archiepiscopus factus, varia opuscula composuit, ut de veritate, de libero arbitrio, de casu Diaboli, de Sacramento altaris, de Conceptu virginali, de voluntate DEI, &c. quæ anno 1675. Parisiis publicata prostant. Judicium de hoc Scriptore leges apud *Bellarminum de Scriptor. Eccleſiast. pag. 207. seqq.* Confer *VVhartoni Angliam Sacram Part. I.* Fuit alius hujus nominis, Episcopus Lucensis hoc seculo clarus, qui in gratiam Gregorii VII. contra Henricum IV. Imper. scripsit, de quo vide sis *Natal. Alex. Hist. Eccles. Sect. XI. c. 5. art. 6.*

§. 16.

Petrus Damiani, Ravennatensis, a fratris sui nomine, quod eundem parentis loco haberet, cognominatus, Episcopus Ostiensis & Cardinalis factus varia conscri-

scripsit opuscula, quæ Lugduni an. 1623. edita prostant, de quibus Bellarmini observationes *in lib. de S. Eccles. pag. 203.* evolvi merentur. Liber ejus de correctione Papæ & Episcopi Argentorati anno 1612. excusus est.

§. 17.

Marianus Scotus, a patria dictus, Monachus Fuldensis primum factus; deinde Moguntiam concedens, *Chronicon* a Christi nativitate usque ad an. 1083. conscripsit: quod *Pistorius* inter rerum Germanicarum historias retulit. Seorsim etiam Francofurti anno 1583. publicatum prostat, confer *Sigebert. Gemblacens. ad annum 1081.*

§. 18.

Lambertus Schaffnaburgensis, cœnobii Hirsfeldensis in diœcesi Moguntina Monachus, historiam Germanicam ad annum usque 1077. conscripsit, quam Monachus Erffurdiensis ἀνώνυμος continuavit. *Joseph. Scaliger de Emendat. Tempor.* ejus in loquendo puritatem & in temporum putatione solertiam laudat.

dat. vide *Pistorii Script. Rer. Germ. & Flac. T. V. lib. XIII. fol. 1334.*

§. 19.

Adamus Bremensis, patria Misenus, anno 1077. Canonicus Bremensis factus, *H. Eccles. in IV.* libros distinctam reliquit. In qua religionis Christianæ propagationem in regnis septentrionalibus præcipue descripsit; sub finem libellum de situ Daniæ illi addidit. Helmstadii anno 1670. prodiit.

§. 20.

Benno, gente Germanus, Archipresbyter Romanus & Cardinalis, vitam Hildebrandi Papæ scripsit, quam simul cum auctore Henrici IV. Reinerus Reineccius anno 1580. Francofurti excudi curavit. Cui fidem *Baronius ad annum 1076. num. 8.* ob detecta crimina Hildebrandi derogare vult. *Sed Matthias Flacius in Cat. Test. Verit. lib. XIII. fol. 1321.* eundem commendat.

§. 21.

Ivo, Carnotensis Episcopus, qui circa exitum hujus seculi natus, sequenti cla-

claruit, volumen Decretorum ad imitationem Burchardi, Wormatiensis Episcopi, conscripsit. Canones inde *Baronius tom. XI. & XII.* varios recenset. vid. *Baluzii* præfat. ad Antonium Augustinum de Emendatione Gratiani & *B. Zigl. Dissert. de origin. & increment. Jur. Can. §. 35.*

§. 22.

Gregorius VII. seu Hildebrandus, fabri cujusdam ferrarii filius, per varias artes Papa factus, *libros X. Epistol. quæ tom. X. Concil.* exhibentur, evulgavit: ex quibus dominatum ejus affectatum noscere licet. vid. *Cave H. L. fol. 619.*

§. 23.

Bruno, Colonienſis, Canonicus Rhemensis & Magister scholarum dictus, auctor ordinis Carthusianorum, Expositionem in Psalm. in Epistolas Paulinas & Sermones scripsit. vid. *Nat. Alex. H. E. Sec. XI. art. 7. p. 450. seq. & Joh. Launoji lib.* de vera causa secessus in eremum, anno 1662. Parisiis editum.

§. 24.

Johannes Micrologus, Gregorii VII. æta-

ætate florens, librum *de Ecclesiast. observationibus* scripsit. vid. *Theophilum Raynaud. de Bon. & Mal. lib. Part. I. Erotem. 10. & Natal. Alex. l. c. pag. 439. seq.*

§. 25.

Hildebertus de Lavardino, Berengarii discipulus, primum Cenomanensis Episcopus, & tandem Archiepiscopus Turonensis, varia opuscula compilavit, quæ *tom. XXI. Biblioth. PP.* leguntur.

§. 26.

Visis sic præcipuis *Scriptoribus* hujus seculi, de DOCTRINA & CONTROVERSIIS in Ecclesia agitatis pauca addenda veniunt. Illa vero miris tenebris involuta, contentiones fere tantum de dominatu Pontificis continebat. Nam quod alii Pontifices hactenus obtinere nondum potuerant, Hildebrandus tandem Papa effecit. Qui Suprematum Sedis Rom. vel, ut *Claudius Sarravius in epist. ad Salmasium p. 210.* novo vocabulo a Paulo Veneto solerter excogitato vocat, *Totatum* stabilivit. De quo in peculiari dissertatione paulo fusius alio tempore egimus. vid. *Dictatus Hil-*

Hildebrandinos apud Baron. ad ann. 1076. num. 31. & seqq.

§. 27.

Cæterum vero Leo IX. Papa in Epistola ad Venetiarum & Histriæ Episcopos professus est, se quatuor vetera concilia œcumenica cum Symbolis in iis conditis, ut *quatuor Evangelia* venerari. Anshelmus eandem doctrinæ summam tum in Ecclesia receptam recitat, vid. *Magdeburg. Centur. XI. cap. 4. fol. 53.* unde colligas, summa Religionis capita in Symbolis proposita, in Ecclesia conservata fuisse.

§. 28.

Controversia tamen in Ecclesia Latina præcipua de vera Corporis & Sanguinis CHRISTI in sacra Eucharistia præsentia fuit, quam Berengarius negaverat, Lanfrancus vero affirmavit, ad transubstantiationis dogma inclinans. vid. *Matthæum Paris in Hist. Maj. fol. 10. ad Baron. ad annum 1035. n. 2.* Multæ hac de causa Synodi passim habitæ fuerunt. confer *Nat. Alex. Hist. Eccles. Sec. XI. & XII. Part. 3. dissertat. 12.*

§. 29.

§. 29.

Inter Græcam & Latinam Ecclesiam acris disceptatio tum de primatu, tum de aliis doctrinæ & rituum diversis capitibus fuit. Nam Patriarcha Constantinopolitanus Sergius convocata Synodo Constantinopoli, acta Photii comprobavit & confirmavit, Papæque nomen ob additionem in Symbolo factam ex diptychis delevit. Michael Cerularius Patriarcha anno 1053. suo & Leonis Acridæ Archiepiscopi nomine ad Johannem Tranensem, in Apulia Episcopum, & per ipsum ad Pontificem Rom. ac universam Ecclesiam Latinam epistolam exaravit, qua Latinis heterodoxias objicit; quod pane azymo in sacra Eucharistia uterentur; quod sabbatha in Quadragesima more Judaico observarent; quod suffocatis vescerentur. Epistola Cerularii *apud Baronium tom. XI. ad annum 1053, n. 23. seqq.* extat. Leo IX. ad eam Papa satis superbe respondit. vide *Magdeburgens. Centur. XI. cap. 8.* Fuerunt & alia, quæ Græci in clericis Romanis damnarent; ut, quod barbam ra-

raderent; quod Monachi carne vescerentur; quod nuptias Sacerdotum prohiberent; quod duo fratres duas ducerent sorores in matrimonium; quod unica mersione baptizarent, in nomine PATRIS, FILII & SPIRITUS Sancti dicentes; quod Symbolo Nicæno addidissent: *Et in SPIRITUM Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit.* Contra Leo Papa Cerulario exprobrat, quod pacem alere nollet, hoc est, quod Romanæ Ecclesiæ subjicere sese abnueret. vid. *Baron. ad annum 1054. n. 2. 3. seqq.*

§. 30.

In Romana Ecclesia inter Pontifices imperante Henrico IV. ob electionem Pontificum tria schismata exorta multarum fuere turbarum causa. Inprimis vero illud, quod inter Clementem III. & Gregorium VII. exortum. Nam Henricus IV. in Synodo Brixiensi electum Pontificem Clementem III. expulso Gregorio, in Sedem Romanam collocaverat. Inde vero factiones istæ ad initium usque Seculi XII. continuatæ. De quibus vitarum

rum Pontificum Scriptores & Baronius testantur.

§. 31.

HÆRESES novas hoc ævo, cum de dominatu magis quam de doctrina certaretur, paucas legimus exortas. Stephanus Scholasticus Ecclesiæ S. Petri apud Aurelianos, & Lisoius S. Crucis Canonicus, ab Itala muliere quadam inducti, nefanda Manichæorum placita resuscitarunt atque sparserunt. Nam (1.) Vet. & Nov. Testamentum velut figmenta hominum carnalium rejiciebant: (2.) negabant CHRISTUM ex MARIA Virgine natum, pro hominibus passum & ex mortuis resurrexisse: (3.) Baptismi & sacræ Eucharistiæ vim & efficaciam divinam negabant: (4.) B. opera inania dicebant: (5.) Visiones Angelicas jactabant, ac in nocturnis conventiculis promiscuam libidinem exercebant: infantem ex fœdo concubitu natum octava die concremabant. Quapropter in Synodo Aurelianensi, imperante Roberto Galliæ Rege, damnati ac scelerum convicti, combusti fuerunt. vide *Glabrum Radolphum*

phum lib. III. Hist. c. 8. & Luc. Dacherium tom. II. Spicileg. concil.

§. 32.

Berengarius, Andegavensis Archidiaconus supra memoratus, hæreticis ideo accensetur, quod in sacra Eucharistia signa & figuras Corporis & Sanguinis CHRISTI tantum exhiberi traderet. Quem errorem ex Johannis Erigenæ Scoti & Bertrami doctrina hauserat. Ansam illi dederat Fulbertus Magister, qui panis & vini substantiam Corporis & Sanguinis CHRISTI transire, cum aliis docebat. Hinc ab uno extremo in alterum lapsus, hæresis postulatus & damnatus fuit. confer *Baronium ad annum 1035. n. 11. & Natal. Alexand. supra §. 10.* allegatur.

§. 33.

Gravior fuit hæresis *Rozelini* (vel *Roscelini*) Compedienſis dialecti, Petri Abelardi præceptoris, qui tres Personas in DEO, tres ab invicem separatas esse res, ut sunt tres Angeli, asseruit; ita tamen, ut una earum sit voluntas & potestas;

stas; & tres Deos vere posse dici, si usus admitteret. Hujus error in Synodo Svessionensi anno 1092. rejectus & damnatus fuit. vid. *Anshelmi libr. II. Epist. 35. & 41. Ivon. Carnotens. Epist. 27. nec non Abelard. Epist. 21.* item *Baron. ad ann. 1094. num. 31.*

§. 34.

Scriptores Pontificii perperam hæreticis hujus Seculi accensent Michaelem Cerularium, qui, ut supra §. 29. probavimus, non tam in doctrina, quam ritibus ab Ecclesia Romana dissensit. Sic *Simonia*, quæ frequens hoc tempore crimen fuit, magis vitiis ecclesiasticis moralibus, quam hæresibus (licet vulgo ita nominetur) annumeranda est. Magis noxia fuit *secta Hildebrandina*, quam *Aventinus* dixit. Nam *hæreses noviter inventas & antiquas sub nomine pietatis ab ipso revocatas* fuisse in Synodi Romanæ edicto anno 1089. apud *Goldastum tom. III.* dicitur.

§. 35.

SYNODI particulares hoc ævo multæ convocatæ sunt. Henricus II. Im-

perator anno 1016. Aquisgrani Synodum celebravit, qua avertendis divinis judiciis & pœnis tum ingruentibus decretum fuit: ut divinum Numen eleemosynis, jejuniis & sanctis actionibus placare Episcopi instituerent. vid. *Sigeberti Chronic. & Cranzii Saxon. lib.* IV. *cap.* 35.

§. 36.

Leo IX. Papa circa annum 1050. Romæ propter hæresin Berengarii, Synodum convocavit, qua illa cum autore damnata fuit. Eandem ob causam plures Synodi institutæ leguntur. vid. *Baron. ad ann. 1050. n. 1. 2. seq.*

§. 37.

Henricus IV. anno 1066. Mantuæ Synodo habita, contentiones inter Honorium & Alexandrum II. Pontifices ortas componit, auditaque causa Alexandri, eum Pontificem esse jussit. vid. *Aventini Annal. lib.* V.

§. 38.

In Synodo Erffurtensi anno 1074. Archiepiscopus Moguntinus Papæ Hildebrandi legem, quod Presbyteri debeant esse

esse cœlibes promulgavit. Contra quam Sacerdotes divinam matrimonii institutionem ursérunt. Unde tumultu excitato, Synodus soluta fuit. *Lambert. Schaffnab. ad annum 1074. fol. 212.* Anno sequenti cum in Synodo Moguntina legem Pontificiis de cœlibatu clericorum servando proponeret, vix, ut Lambertus loquitur, vita comite Synodo excessit.

§. 39.

Henricus IV. anno 1076. Wormatiæ Dominica Septuagesimæ, Synodum coire jussit; quod Papa Hildebrandus ipsum citasset Romam, ut crimina sibi objecta coram Papa ceu judice dilueret. Quæ res Imperatorem vehementer permovit, ut unanimi suffragatione Episcoporum præsentium Papam deponendum decerneret, vid. *Lambert. Schaffnaburg. ad ann. cit. fol. 253. seqq. & Aventin. lib. V. Annal. Boj.*

§. 40.

Contra in Synodo Romana Gregorius VII. Papa anno 1080. Henricum IV. quem jam anno 1076. cum omnibus,

qui illius partes tutarentur, Episcopis insolenti more excommunicaverat, regno exuendum, illudque Duci Sueviæ, Rudolpho conferendum esse decreverat. Eodem vero anno in Synodo Brixiensi triginta Episcopi congregati Gregorium Papam jam antea in Wormatiensi Synodo depositum, iterum de sede dejiciendum, & in ejus locum Gvibertum, Episcopum Ravennatensem, Clementem *III.* appellatum, surrogandum esse, statuerunt.

§. 41.

Post Gregorium *VII.* Urbanus Placentiæ anno 1095. Synodum convocavit, ad quam tanta hominum multitudo confluxit, ut extra urbem in campo conventum istum celebrare Papa necessum habuerit. Decreta hujus Synodi Magdeburgici *Cent. XI. cap. 9.* recensent. A quibus *Baronius ad an. cit. num. 4. & 5.* dissentit.

§. 42.

Notabilior est Synodus Claromontana in Gallia anno 1095. ab Urbano *II.* instinctu Petri Eremitæ indicta. In qua ma-

magno Principum & Episcoporum consensu, *bellum sacrum*, seu *expeditio cruciata* contra infideles, ad Palæstinam illis eripiendam decreta fuit, adclamantibus Episcopis: *DEUS vult! DEUS vult!* vid. *Matth. Paris Histor. Maj. ad annum 1095. fol. 18. seqq. Guil. Tyr. lib. I. cap. 14. seqq. Baron. ad annum 1095. & Gesta DEI per Francos.* adde, si lubet, dissertationem nostram *de Prima Expedit. Cruciat.* von der ersten Creutzfahrt.

§. 43.

REGIMEN ECCLESIÆ monarchicum vel potius tyrannicum hoc ævo ad summum fastigium, ut, quo progrederetur, non amplius haberet, perductum fuisse, omnes Scriptores Pontificii testantur. Nam quod diu ante Pontifices Rom. moliti erant stabilire regnum sacrum absolutissimum, id Hildebrandus Papa tandem effecit; cum Henricum IV. Imperat. excommunicatum regno privasset, & fastuosos, qui vocantur, *Dictatus* publicasset. Hinc *Aventinus lib. V. Annal. Bojor.* scribit: *Hildebrandus, qui Gregorius VII. primus im-*

perium Pontificium condidit, quod successores per quadringentos quinquaginta continentes annos, invito mundo, invitis Imperatoribus adeo duxere, ut inferos superos in servitutem redegerint, atque sub jugum miserint, ac cuncta fulmine perterruerint. Utcunque libet, de cœlo ad inferos præcipitant, rursus ex inferis ad astra tollunt. Jam Imperator Rom. nihil amplius, appellatio modo est, sine corpore, sine specie. Ab hoc (Hildebrando) inquit *Onuphrius Panvinius in vit. Gregor.* VII. maximæ illius & omni seculo tremendæ venerandæque Rom. Pontificis & infinitæ pene potestatis jus manavit. Nam etsi ante Romani Pontifices, tanquam Religionis Christianæ capita, Christique vicarii & Petri Successores colerentur; non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel asserendis, vel tuendis. Cæterum Imperatoribus subserant; ad eorum nutum omnia fiebant; ab eis creabantur; de iis judicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primum omnium Roman. Pontificum Gre-

Gregorius VII. armis Nortmannorum fretus, Comitissa Mathilde, muliere per Italiam potentissima confisus, discordiaque Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem contemta Imperatoris auctoritate & potestate, cum summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum (a quo non electus, saltem confirmatus fuerat) non dico excommunicare, sed etiam regno imperioque privare ausus est. Res ante ea secula inaudita. Nam fabulas, quæ de Arcadio, Anastasio & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror. Unde *Otto Frisingensis* horum temporum Scriptor *lib.* VI. *cap.* 35. *Lego & relego R. Regum & Pontificum gesta, & nusquam invenio aliquem eorum ante hunc Henricum a Rom. Pontifice excommunicatum vel regno privatum &c.*

§. 44.

Dictatus superbi, quibus potentiam seu *Totatum* suum firmare nisus est, apud

Baronium ad annum 1076. num. 31. hac serie leguntur:

Quod Ecclesia a solo DOMINO *sit fundata:*

Quod solus Rom. Pontifex Jure dicatur universalis:

Quod ille solus possit deponere Episcopos vel reconciliare:

Quod Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis possit dare:

Quod absentes Papa possit deponere:

Quod cum excommunicatis ab illo, inter cætera nec in eadem domo debeamus permanere:

Quod illi soli liceat pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & e contra divitem Episcopatum dividere, & inopes unire:

Quod solus possit uti imperialibus insigniis:

Quod

Quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur:

Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur:

Quod unicum est nomen in mundo, PAPÆ videlicet:

Quod illi liceat Imperatores deponere:

Quod illi liceat de sede ad sedem necessitate cogente Episcopos transmutare:

Quod de omni Ecclesia quocunque voluerit, clericum valeat ordinare:

Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare; & quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere:

Quod nulla Synodus absque præcepto ejus debet Generalis vocari:

Quod nullum capitulum, nullusque liber Canonicus habeatur absque illius autoritate:

Quod sententia illius a nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit:

Quod a nemine ipse judicari debeat:
Quod nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem:
Quod majores causæ cujuscunque Ecclesiæ ad eum referri debeant:
Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, scriptura teste, errabit:
Quod Rom. Pontifex, si Canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus, testante S. Eunodio, Papiensi Episcopo, & multis aliis S. Patribus faventibus, sicut in decretis B. Symmachi Papæ continetur:
Quod illius præcepto & licentia subjectis liceat accusare:
Quod absque Synodali conventu possit Episcopos deponere & reconciliare:
Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Rom. Ecclesiæ.
Quod a fidelitate iniquorum suspectos potest absolvere.

Hoc ordine tyrannici Dictatus etiam in *Epist. LV.* Hildebrandi *ad Laudanenses lib.*

lib. II. Regiſtr. recenſentur. conf. *Edmundi Richerii Hiſtor. Concil. general. tom. I. p. 758. ſeqq.* Hoc modo ſedes Romana *caput rerum* conſtituta fuit, *unde* (ut C. Tacitus loquitur) *in omnia regimen.* vid. *Iſ. Caſaub. Exercit. Anti-Baron. XV. n. 15. & Diſſertat. noſtram* de Totatu Hildebrandino.

§. 45.

Henricus IV. Imperator quidem Pontificis hujus molitionibus primum maſcule obnixus eſt: At cum ille fulminibus excommunicationis & ſeditionibus in Germania adverſus Cæſarem excitatis, flagitia dominationis continuaſſet; tandem tyrannidi ejus cedere coactus fuit. Notum enim eſt, ut diadema Henrico detractum cum ſuperba inſcriptione miſerit Rudolpho:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

referente *Alberto Stadenſi Chron. p. m. 137.* vel ut alii habent:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

vid. *Aventin. Ann. Boj. lib. V. & Bennonis Cardinalis vit. Gregorii VII.* Cæterum quam indignis modis Henricus *IV.* à Pontifice Gregorio habitus sit, *Lambertus Schaffnabürgensis & Lehmannus in Chronic. Spirensi lib. V. cap. 31. seqq. Flacius in cat. Test. Ver. lib. XIII. fol. 1322. & Helmoldus apud Flac. cit. fol. 1346.* memorant.

§. 46.

Ante quidem Henricus Imperator, cum a Clemente *II.* Papa Imperii coronam accepisset, Romanos (teste *Platina*) in verba sua jurare coëgit, Pontificum electioni se nequaquam interfuturos, nisi jussu Imperatoris id facere cogerentur; ipse etiam Popponem, Brixiensem Episcopum, Damasum *II.* appellatum, constituit. vid. *Hermannum Contractum ad annum 1048. Marianus Scotus ad annum 1046.* de Henrico scripsit: *Henricus Rex Italiam ingressus pacifice a Romanis suscipitur. Papas tres non digne constitutos synodaliter deposuit.* Sed post Gregorium *VII.* Papam jus illud Imperatori extortum fuisse, infra annotabimus.

§. 47.

§. 47.

Dum ita in Ecclesia de dominatu firmando certatur, DISCIPLINA in ea jacuit neglecta. Clerici, cum matrimonia ipsis publica lege interdicta essent, alere concubinas & scortari non amplius nefas habebant. vid. *Antonin. tit. XVI. cap.* & *Aventin. l. V.* Scholæ & monasteria latibula fratrum ignorantiæ facta, in quibus Monachi mire prodigiosis vestimentis induti lectioni & cantillationi Psalmorum vacarunt. Episcopi luxui plerumque dediti nec puræ doctrinæ, nec sanctioris disciplinæ rationem habuerunt. Rari ergo sanctissimi Numinis cultores. Excommunicationis interim fulmen terrificum omnes, etiam Principes ac ipsi Imperatores exhorrescere necessum habuerunt, quod exempla Svenonis Reg. Daniæ apud *Saxonem Grammaticum Hist. Dan. l. XI. fol. 205.* & Henrici *IV.* Imperatoris apud *Baron. ad annum 1076.* & *Lehmann. Chron. Spirens. lib. V. cap. 33.* probant. *Lambertus Schaffnaburgensis ad annum 1064.* diserte scribit: *sic depravata ecclesiastici rigoris censura,*

ra, homines, non ut quondam, ut præessent Ecclesiæ DEI, injecta manu trahebantur; sed ne non præessent armata manu præliabantur.

§. 48.

RITUUM tamen & CEREMONIARUM, quibus cultus Numinis absolvebatur, cura neglecta haut fuit. Templa superstitioso ritu S. Martyribus consecrata imaginibus Sanctorum exornabantur. Ad Conventus sacros in illis celebrandos, homines pulsu campanarum convocabantur, teste *Casinense lib. II. c. 53.* Berno Abbas Augiensis attestatur, Henricum Imperatorem ordinasse, ut post recitatam pericopam Evangelicam, Symbolum Apostolicum cantaretur. In baptismi administratione adultos nudari oportuisse juxta CHRISTI exemplum, *Anshelmus in cap. III. Matthæi* animadvertit, & in epistola ad Werinherum inclusum scribit: *Nudi nascimur, nudos nos suscipit sancta mater ecclesia in S. Baptismate.* Baptizandi ter aquæ immersi, ut triduanæ sepulturæ CHRISTI ima-

imago repræsentaretur. vide *Anshelmum in cap. II. Coloss.*

§. 49.

Missæ superstitiosos ritus *Ivo Carnotensis de Oeconomia V. & N. Sacerdotii* allegorice exponit. Hæc jam pro vivis & mortuis celebrata superstitiones auxit. vid. *Chron. Cassinens. lib. II. c. 94.* Peregrinationes ad loca sancta in Palæstinam frequentes inter sanctissima opera referebantur. Quapropter Sigfridus Moguntinus, Guntherus Babenbergensis, Otto Ratisbonensis, Wilhelmus Trajectensis Episcopi aliique proceres Galliarum septem millibus hominum stipati precandi gratia Hierosolymam profecti sunt. Quod *Lambertus Schaffnaburgensis de Reb. German, fol. 171. seqq.* hoc seculo anno 1064. annotavit. Robertus, Normanniæ, Princeps, nudipes & lacrymans sepulchrum DOMINI veneratus est, teste *Guil. Malmesburiense lib. II. cap. 66.* De Erico V. Rege Daniæ *Cranzius lib. V. Dan. cap. 4.* memorat, quod ex voto Hierosolymam precandi causa petierit. Ita ignoratum

fuit,

fuit, DEUM ubique locorum in Spiritu & veritate invocari posse.

§. 50.

Ut plures essent, qui fruges consumerent otiosi, novi Monachorum ordines instituti: ut Carthusianorum, Monachorum Vallis Umbrosæ, Cistertiensium, Grandimontensium, Flagellantium, Hospitaliorum & similium, quos *Hospinianus de Monach.* memorat.

§. 51.

Canonizationem & translationem Sanctorum cadaverum hoc seculo non infrequentem fuisse, historiæ passim loquuntur. Ita memorante *Sigeberto ad annum 1055.* Leo Papa Gerardum Leucorum Episcopum, ob vitæ sanctimoniam in numerum Sanctorum retulit: Henricus Imperator Widonis Abbatis corpus ex Italia Spiram magna pompa transtulit. vide *Hermannum Contractum ad annum 1047.* De translatione corporis S. Isidori *Baronius ad annum 1053. num. 47.* memorat. Pro reliquiis Sanctorum ossa forte latronum, vel bellua rum sæpe colebantur. vid. *Launoi* Va-

Varia de Commentitio Lazari & Maximini, Magdalenæ & Marthæ in Provinciam appulsu opuscula pag. 279.

§. 52.

PERSECUTIONES fidelium in hoc turbido corruptoque Ecclesiæ statu non defuisse, historicorum testimonia affatim evincunt. Orientalem Ecclesiam afflixerunt Imperatorum Byzantinorum interni motus; cum enim unus alterum pro lubitu Imperio dejiceret, Saraceni Imperium Constantinopolitanum misere vastarunt. Quanquam sub exitum hujus seculi, recuperata à Principibus Christianis, qui expeditiones cruciatas susceperunt, Palæstina, Christiani a jugo Saracenico liberati videbantur. vid. *Wilhelm. Tyrii lib. I. de Bell. Sacro, Abb. Ursberg. fol. 227. Matth. Paris in Histor. Maj. ad annum 1097.* Ante tamen, referente *Zonara tom. III.* Calipha, Ægyptiorum tyrannus, templum Hierosolymitanum, quod Christiani exstruxerant, vastaverat, Christianos ejiciendo. Turci & Saraceni, sepulchrum CHRISTI occupa-

ve-

verant, & deletis Christianorum templis, ipsos simul extirpare moliti sunt. vid. *Sabellici Ennead. IX. lib. 3.*

§. 53.

In Germania Venedi Saxoniam inferiorem depopulando, Christianos graviter divexarunt; donec Henricus IV. eorum violentiam compesceret: quod apud *Cranzium in Vandalia & Helmoldum in Chronico Slavorum* prolixius legere est. *Johannes*, Mecklenburgensium primus Episcopus, vir religiosus, cum aliis Christianis in urbe sua captus misere trucidatus fuit, cadavere manibus pedibusque truncato in plateas cunctis ad calcandum abjecto. vid. *Cranzii Metropol. lib.* IV. *cap. 43.* Unde Slavi insolentiores facti Hamburgum solo æquarunt, Sleswigum everterunt, Paganismum reducere moliti. vid. *Cranz. l. c. & Helmoldi Chron. lib. I. c. 22. seqq.*

§. 54.

Majoris in Ecclesia calamitatis causa fuit ipse Gregorius VII. Papa, qui ut absolutum dominatum vel tyrannidem potius

tius stabiliret, inter Episcopos, Principes ac Cæsarem turbas ac bella intestina excitavit feralia. Unde piorum gemitus pro pace & concordia Ecclesiæ leguntur apud *Magdeburgicos Centur. XI. cap. 8. fol. 420. seq.*

§. 55.

Harwicus, Rex Normannorum, in Angliam anno 1066, impetum faciens, devicto Araldo Rege, in urbe Eboracensi centum presbyteros & mille laicos horrenda crudelitate trucidavit, vid. *Sigbertum Gemblacens. ad annum 1066. Marianus Scotus lib. III. fol. 453.* Sacerdotes Anglos 1100. occisos tradit.

§. 56.

In Hungaria Rex Andreas antequam coronaretur, Hungaris promisit coactus, permissurum se, ut ad Paganismum redirent, & Christianos præsertim illos, qui non essent e numero popularium suorum, pro lubitu affligerent. Unde plebs barbara in Christianos crudelissime sævire cœpit: donec Andreas regio diademate potitus, anno 1047. edictum publi-

blicaret, quo omnes ad fidem Christianam desertam revocarentur. Edictum illud apud *Magdeburgicos Cent. XI. cap. 3.* legitur.

§. 27.

MEMORABILIA, sed parum læta, hoc ævo multa occurrunt. Sic inter prodigia referas (1.) locustarum infinitam multitudinem ab Oriente ortam, quæ, Alexio imperante, inter volandum Solem obumbrasse dicitur apud *Zonaram tom. III. fol. m. 238.* (2.) Turcarum in Asia progressus versus Pontum Euxinium, & Tartarorum origo, quam *M. Paulus Venetus* exponit. (3.) Nova cantandi ratio a Guidone Aretino, Monacho, excogitata per Solmisationem: *ut, re, mi, fa, sol, la*, ap. *Sigebertum ad annum 1028.* (4.) Schisma in Sede Romana inter Benedictum IV. Sylvestrum III. & Gregorium VI. quo, ut *Otto Frisingensis lib. VI. cap. 23.* loquitur: *pudenda confusio Ecclesiæ DEI in urbe Roma fuit.* (5.) Gregorii VII. Papæ horrenda facinora & certamina cum Henrico IV. Imperatore diris ab ipso devoto. Quæ pudendo ausu *Ba-*

ro-

ronius excusare contendit; cum tamen omnes Antichristi magni notæ in ipsum quadrent. (6.) Ficta miracula Hildebrandi *a Baronio 1085. num. 13. & seqq.* narrata. (7.) Mathildis, Comitissæ totius Longobardiæ & Lotharingiæ rectricis, turpissima consuetudo cum Hildebrando, & donatio Liguriæ & Thusciæ in patrimonium Petri Romanæ Ecclesiæ facta, confer *Baronium ad annum 1074.* (8.) Kunigundæ, uxoris Henrici *II.* Imperatoris, virginitas in matrimonio, & profusa donatio clericis facta, quam *Surius*, *Papebrochius*, & alii Legendarii prædicant. (9.) Judæorum fata in Babylonia tristia, & eorum in Hispania receptio, apud *Hottingerum Histor. Ecclesiast. Secul. XI. Sect. IV.* (10.) Misera Germaniæ per Pontifices Romanos facta dilaceratio. (11.) Fatales regnorum mutationes in historia civili passim annotatæ. (12.) Ducatus Hungariæ in regnum ab Ottone *III.* evectus, &, si Gregorio *VII.* fides, in feudum Romanæ Ecclesiæ conversum apud *Baronium ad annum 1074. num. 82.* (13.) Regnum Po-

Poloniæ Sedi Romanæ tributarium factum, referente *Baronio ad annum 1041. num. 3. & 11.* (14.) Anglorum regnum anno 1017. ad Danos translatum Canuto utrorumque Rege, & deinde ad Normannos sub Guilielmo Conquestore. (15.) Expeditio cruciata in Palæstinam Duce Godofredo Bullionæo apud *Guilielmum Tyrium de Bell. sacr.* & *Matthæum Paris* supra allegatos. (16.) Ruditas cleri: Nam Guilielmo Malmesburiensi *lib.* III. *de Gest. Anglor.* memorante: *Literarum & Religionis studia obsoleverant: Clerici literatura tumultuaria contenti, vix sacramentorum verba balbutiebant; stupori & miraculo erat cæteris, qui Grammaticam nosset; Monachi Regulam ludificabant, &c.*

§. 58.

Tremenda judicia hic divina miranda sunt, quibus scelera hominum nomen CHRISTI mentientium ultus est gravissime: quando fides defecerat, Magnusque Antichristus revelatus esset. Nam fatente *Guilielmo Tyrio de Bell. sacr.*

lib.

lib. I. cap. 8. in Occidente, & in omni pene orbe terrarum, maxime inter eos, qui fideles dicebantur, Papæ obnoxii, fides defecerat, & DOMINI timor erat de medio sublatus, perierat de rebus justitia. Cum Davide hic *Psalm.* XII. conquerendi locus fuit: Justa tamen judicia DOMINI ob peccata populi sunt. Erat enim (ut autor *Fasciculi temporum* de hoc ævo loquitur,) *Sacerdos sicut populus*, confer *Flacii catalog. Testium verit. lib.* XIII.

PERIODI III.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CAPUT II.

De

Sec XII. Hist.

§. 1.

STabilito jam in Ecclesia Latina absoluto Pontificis Rom. dominatu, servitutis mala, quo latius ista tyrannis progressa, eo plures sentire oportuit. Ac licet Christiana Religio ad gentes quasdam

dam infideles, ut Pomeranos, Livones, Finlandos & alios hoc ævo translata sit; cum illa tamen simul superstitiones fœdæ a Sacerdotibus ac Monachis propagatæ fuerunt; ita, ut tempora Anti-Christiana a multis in Ecclesia agnoscerentur & deplorarentur. Doctrinæ capita *in sententias scholasticas* redactæ spinosæ Theologiæ scholasticæ in claustris & scholis præbuerunt originem, Unde lectione Scripturæ S. neglecta, disputatrix Theologia invaluit.

§. 2.

DOCTORES & SCRIPTORES ECCLESIASTICI in claustris fere Monachorum quærendi, non pauci quidem memorantur: sed si Bernhardum excipias, in S. Scripturæ interpretatione admodum rudes. Nos, ut instituti nostri ratio fert, insigniores tantum memorabimus.

§. 3.

Ex *Græcis* præcipue inclaruerunt (1.) *Eustratius*, Metropolita Nicænus, qui de Processione SPIR. S. adversus Latinos circa initium hujus seculi scripsit. vid. *L.*

L. Allatium de Consens. lib. II. cap. 10. §. 2. 2.) *Euthymius Zigabenus*, Monachus, cujus Orthodoxæ Fidei Panoplia & Commentarii in Psalmos extant, vid. *Bibl. PP. tom. XIX.* 3.) *Johannes Zonaras* ex Proto-Secretario Monachus factus, qui Annales ab O. C. ad exitum usque Alexii Comneni, Imperatoris Constantinopolitani, h. e. ad annum 1118. composuit, ac Commentarios in *Can. Apostol. Conciliorum & Epistol. Canon. 8.* Patrum reliquit. 4.) *Anna Comnena*, Alexii Comneni filia, & Nicephori Bryenni uxor, quæ *libr. XV. Alexiados*, h. e. de rebus gestis Alexii patris sui composuit. Hos Augustæ Vindelicorum anno 1610. Hœschelius publicavit. 5.) *Michael Glycas*, Siculus, Annales quadripartitos reliquit Parisiis anno 1660. editos. Scripta ejus theologica *L. Allatius de Consens. Eccles. Orient. & Occident. lib. II. cap. 18.* recenset. 6.) *Nicetas*, Philosophus Byzantinus pro Synodo Chalcedonensi adversus Armeniæ-Principem scripsit, teste *L. Allatio libr. I. cap. 5. de Consens.* 7.) *Georgius Metropolita* Cor-

cyrensis adversus Latinos scripsit. vide *Allatii Diatriben* de *Georgiis* & eorum *Scriptis*, & ejusdem *de Consens. cit. libr. II. cap. 6. §. 6.* 8.) *Constantinus Harmenopulus*, Sebastus, Nomophylax reliquit πρόχειρον νόμων Genevæ anno 1587. impressum, 9.) *Basilius Archidenus*, Metropolita Thessalonicensis, de *Unione Ecclesiarum & Rescriptum* de *Nuptiis*, quod in Jure Græco Romano extat, scripsit. 10.) *Johannes Cinnamus*, Grammaticus & Notarius Imperatoris, historiam Comnenorum Joannis & Manuelis composuit, quæ Trajecti ad Rhenum anno 1652. & Parisiis anno 1670. prodiit. 11.) *Theodorus Balsamon*, Constantinopolitanus, ex Nomophylace Patriarcha Antiochenus, Commentarios in *Canon. Apostol.* & *Concil. Epp. S. Patrum* conscripsit. vide *Justelli tom. II. Biblioth. Jur. Canon. vet.*

§. 4

Latini hujus seculi *Scriptores* in *dogmaticos* & *historicos* distingui possunt.

§. 5.

§. 5.

Dogmaticis accenſemus 1.) *Radulphum Ardentem* Pictavium, qui Sermones de Tempore & Sanctis, teſte *Auberto Miræo* in Auctar. de Script. hujus Seculi, conſcripſit. 2.) *Odonem*, *Cameracenſem* Epiſcopum, cujus liber de Blaſphemia in SPIRITUM S. Homilia de villico iniquitatis, libri de *Pecc. Origin.* & alia in *Biblioth. PP. edit. Lugd. tom. XX.* habentur. 3.) *Rupertum Tuitienſem Abbatem*, cujus opera II. tom. Pariſiis anno 1638. impreſſa proſtant. vid. *Flacii Catal. lib. XIV. f. 1419. Bellarminus* de *Script. Eccleſ.* in eo ceu errorem notat, quod Transſubſtantiationis dogma negarit. 4.) *Algerum*, ſcholaſticum Leodienſem, ac poſtea Monachum Cluniacenſem, cujus opera in tomo XXI. Biblioth. PP. extant. *Bellarminus* eum notat, quod perperam aſſeruiſſet, ſpecies ſacramentales non poſſe corrumpi vel rodi a muribus.

§. 6.

Palmam his & ſequentibus aufert *Bernhardus*, nobilis Burgundus, ex Mo-

nacho Cistertiensi Abbas Claræ-vallensis factus, vir ex judicio Bellarmini plane Apostolicus, qui non minus gloria miraculorum, quam sapientiæ splendore illustris fuit. De Scriptis ejus vide *Bellarminum l. c. Natal. Alex. Histor. Eccles. Secul. XI. & XII. Part. I. art. 10.* & *Cave Histor. Lit. fol. 643. seqq.* Multa in ejus scriptis, quæ ad mysticam Theologiam faciunt, habentur. vide *Flac. Catal. lib. XIV.* Hujus æqualis fuit *Petrus Venerabilis*, Abbas Cluniacensis, nobilis Aquitanus ex milite Monachus primum factus. Qui contra Petrum de Bruis, item eos, qui dixerunt, CHRISTUM nunquam se in Evangelio aperte *DEUM dixisse*, scripsit. Opera ejus in *Bibl. PP. tom. XXII.* extant. vide *Flacium Catal. libr. XIV. fol. 1405.*

§. 7.

Petrus Abelardus, nobilis Gallus, castratus monasterium S. Dionysii ingressus, de SS. TRINITATE & Unitate divina scripsit; sed ob argutias philosophicas usurpatas, hæresis postulatus fuit. Opera ejus edidit Fr. Amboesius Parisiis an-

anno 1616. vide *Baron. ad annum 1140. n. 3. seqq.* Epitaphium a Petro Venerabili ipsi conditum hanc clausulam habet:

Est satis in tumulo, Petrus hic jacet Abelardus,
Cui soli patuit, scibile quicquid erat.

vide *Cave Hist. Lit. fol. 652.*

§. 8.

Petrus, gente *Lombardus* Novariæ natus, *Magister Sententiarum* dictus, Episcopus Parisiensis, qui sententias Theologorum scholasticorum in IV. libros digessit. Unde Theologiæ scholasticæ autor appellatur. Quanquam rectius *Petro Abelardo* ejusdem origo apud Latinos adscribatur. De *Petr. Lomb.* vide *Baron. ad annum 1164. n. 52. & annum 1179. n. 13. Cave Hist. Lit. fol. 667. Bellarm. de Script. Eccles. pag. 235. Natal. Alex. Histor. Eccl. Secul. XI. & XII. pag. 542. & Flac. Catal. l. XV. fol. 1455.*

§. 9.

Petrus Comestor, Trecis in Campania oriundus & ibidem ecclesiæ S. Petri

Canonicus, historiam S. libris 16. constantem conscripsit, fabulis ac profanis historiis admixtis. vide *Baron. ad annum 1164. n. 52.* & *Flac. Catal. l. XV. f. 1486.* Cui jungimus *Petrum Blesensem*, itidem Gallum Blesis natum, autorem variorum opusculorum theologicorum, quæ Moguntiæ anno 1600. excusa sunt. vide *Baronium anno 1164. n. 44.* item *1167. n. 72. Vossium de Histor. Lat. libr. III. cap. 7.* & *Flacium Catal. lib. XIV. f. 1438.*

§. 10.

Gratianus, Monachus Clusii in Hetruria natus, anno circiter 1150. ex Patrum sententiis, Pontificum Rom. Decretis & Conciliorum Canonibus, *Decretum*, quod vocatur, *Gratianum* compilavit, quod *Concordia discordantium Canonum* etiam inscribitur. vide *D. Ziegleri Dissertat. de Orig. Jur. Can. n. 36. seqq.* & *Flac. Catal. lib. XV. fol. 1463.*

§. 11.

Hugo de S. Victore, patria Iprensis, Annotationes in omnes fere V. & N. Te-

sta-

ſtamenti libros, & alios tractatus a Bellarmino recenſitos ſcripſit. conf. *Baron. ad annum 1136. num. 15.* & *Flac. catal. l. XV. fol. 1452.* Huic jungimus *Richardum de S. Victore*, Scotum, S. Bernhardi amicum intimiorem, auctorem aliquot myſticorum tractatuum, ut de *Statu interioris hominis*, de *Benjamin Minore*, h. e. de præparatione ad contemplationem, & *Benjamin Majore*, id eſt, de Gratia contemplationis, &c. Opera ejus II. tomis comprehenſa anno 1650. Rothomagi impreſſa ſunt. vide *Flac. catal. lib. XV. fol. 1454.* Addimus *Hugonem Etherianum*, gente Thuſcum Græce & Latine doctum, qui adverſus Græcos de Proceſſione SPIRITUS S. & de *Regreſſu animarum*, librum ſcripſit. vide *tom. XXII. Biblioth. PP.*

§. 12.

Joachimus, Abbas Florenſis monaſterii, in Eſaiam, Jeremiam & Apocalypſin Commentarios, & concordiam Vet. & N. Teſtamenti ſcripſit. Vulgo pro Propheta habitus eſt; quod de Pontificibus Rom. vaticinia ediderit, Baronia parum

grata. vide *Wolffii Lect. Memorab. tom. I. p. 444.*

§. 13.

Historici hujus ævi *Scriptores* insignio-res sequuntur. 1.) *Sigebertus*, Monachus *Gemblacensis* Chronographiam compo-suit, qui a *Bellarmino* de *Scriptor. Eccles. pag. 215.* notatur, quod Gregorii VII. Pa-pæ molimina contra Imperatorem Hen-ricum IV. liberius descripsit, confer *Ca-tal. Test. Verit. Flac. libr. XIII. fol. 1318.* 2.) *Wilhelmus Malmesburiensis*, Mona-chus Anglus, de Gestis Regum Anglorum libros V. item II. Historiæ Novellæ, & IV. de Gestis Pontificum Anglorum com-posuit. Cui jungimus *Johannem Sares-beriensem* gente Anglum, Episcopum Car-notensem, qui vitam Thomæ Cantua-rensis Archiepiscopi, Objurgationem Cleri, Polycraticon sive de Nugis Curia-lium & varias Epistolas conscripsit. vide *Flac. Catal. libr. XIV. fol. 1433.* Addimus *Godofridum Viterbiensem*, Presbyterum & Capellanum Conradi III. Friderici I. & Henrici VI. Imperatorum, autorem *Chro-nici*

nici universalis, quod *Pantheon* appellatur, multisque fabulis refertum est.

§. 14.

Illustrior historicus est *Otto Frisingensis*, Conradi III. Regis frater uterinus, Episcopus Frisingensis, qui libros VII. Chronic. ab O. C. usque ad annum 1146. & libros 2. de Gestis Friderici I. Imperatoris composuit. vid. *Urstisii tom. I. Scriptor. German. & Flac. catal. libr. XV. fol. 1494.* illius σύγχρονος fuit *Helmoldus*, Presbyter Lubecensis autor *Chronici Slavorum*, quod Henricus Bangertus recensuit & notis illustravit vide *Flacii Catalog. libr. XIII. fol. 1344. seqq.*

§. 15.

Guilielmus Tyrius, gente Syrus, Archiepiscopus Tyri, Amalarico Regi Hierosolymorum carus, de bello Sacro *libr. XXIII.* scripsit, cujus historiam continuavit Johannes Hero[illegible]s, & alii. vide *Gesta DEI per Francos* a Bongarsio collecta & Hannoviæ anno 1611. publicata. Plures hujus ævi scriptores ex allegatis

autoribus addere, pagina hæc non capit. Quare ad DOCTRINAM publice receptam progredimur.

§. 16.

ILLA vero per iniquitatem seculi, valde contaminata fuit; dum Papa Rom. & Episcopi de Imperio magis suo proferendo, quam de Regno CHRISTI amplificando essent solliciti. Nam *jus novum* ad imitationem Juris Cæsarei, Eugenius III. Papa, ex decretis veterum Conciliorum & Patrum sententiis, per Gratianum, Monachum Bononiensem, anno 1151. compilari curavit; quod *Canonicum* appellatur. Hoc novi regni sacri jurisdictio ordinatur. Sacerdotes & Monachi in scholis & claustris superstitiosos cultus jam inolitos non tantum defenderunt, sed multiplicarunt etiam; ut populus externo, eoque inani cultu Numinis distineretur.

§. 17.

Præterea in scholis, hoc seculo, auctore Petro Lombardo *Theologia scholastica*

stica emersit, cujus ortum Aventinus Annal. libr. VI. his verbis describit: *Ea tempestate Petrus Lombardus Lutetiæ Parisiorum creatur Pontifex*, (Episcopus,) *is quidem Theologumenon quatuor libros scripsit; sed sanctæ Philosophiæ veritatem fontemque purissimum, sicuti plus millies a Jacobo Fabro, Jodoco Clichtoveo, præceptoribus meis accepi atque audivi, cæno quæstionum, rivulis opinionum conturbavit. Id quod & usus rerum magis (nisi cæci simus,) satis superque docet.* Unde Jo. Trithemius in P. Dialectico, qui vixit anno 1150. etiam de illa recte judicavit: *Ab hoc tempore Philosophia secularis* (Aristotelem intelligit) *sacram Theologiam sua curiositate inutili fœdare cœpit.* Nam Philosophia cum S. Theologia commixta fuit per sententiarum quendam cinnum. Occasio erat tum defectio a religione puriore ad impuram, tum exortus Philosophiæ Aristotelicæ in orbe Latino, & veneratio ejus post versiones novas operum Aristotelis, quam cum Religione Christiana, pessimo exemplo conciliari satagebant.

Magister tamen hujus Theologiæ Lombardus, ab Alexandro Papa & Abbate Joachimo Florensi hæresis postulatus fuit, teste *Matthæo Paris Histor. Angl. fol. m. 115.*

§. 18.

Hujus autem primum parentem faciunt *Lanfrancum*, Archiepiscopum Cantuariensem, qui anno circiter Christi 1060. *Transsubstantiationem* adversus Berengarium defendit. Hunc excepit Seculo XII. Petrus *Abelardus*, præceptor *P. Lombardi.* Qui viam discipulo in compilandis sententiis Patrum inprimis Augustini, Decretis Conciliorum, regulis philosophicis, velut præivit. Quanquam id nec solus fecit. Idem enim quoque fecerunt Petrus Pictavinus & Gilbertus Porretanus. Sed *Magister* demum *Sententiarum*, ipse *Lombardus* tanti habitus est, ut adversus eum ne hiscere quidem aliis licuerit. vid. *de Theolog. schol. Christoph. Binderi*, *D. Joh. Himmelii* tractat. *Danæi Prolegom. in Lombard. libr. sentent.* Ætates hujus Theologiæ tres constituuntur, vetus, media & nova. *Vetus* a Lanfran-

franco ad Albertum Magnum ab anno 1020. usque ad annum 1220. *Media* ab Alberto Magno ad Durandum, h. e. ab anno 1220. ad annum 1330. *Nova* post Durandum usque ad Lutherum, qui eam primum evertere cœpit. vid. *Hottingeri Histor. Eccl. Sec. XII. cap. 12. Sect. I. pag. 80. seqq.* Vetus Aristotelem in limen Theologiæ; Media in adytum recepit. Nova priores duos vicit impudentia, de rebus etiam abditissimis *magisterialiter* affirmans, quod in veteri & media non factum. vid. *B. Jac. Thomasii Sched.* ejusque *judicium de Theolog. schol. in H. sap. & stult. Christ, Thomasii t. III. pag. 225. seqq.*

§. 19.

Præcipuus melioris Theologiæ Doctor fuit *Bernhardus*, mellifluus dictus, qui S. literas excoluit, piisque meditationibus illustravit, ac vitia curiæ Romanæ liberius in Epistolis ad Eugenium taxavit. vide *Serm. ejus 77. in Cantic.* vir erat meliori ævo dignior, cum in tractandis Scripturis esset sublimis, in sententiis divinus, in reprehendendis vitiis cleri uni-

versi acer & vehemens. Sed tamen ab erroribus fidei orthodoxae non plane immunis habetur. Quia autoritati Pontificiae nimium tribuit, cultum B. Virginis Mariae religiosum, traditionem de Purgatorio, professionem monachatus adprobat atque extollit. vide *Bernhard. serm. 2. de Adv. B. Virgin. Homil. 2. de B. V. & Hottinger. Secul. XII. pag. 109. seqq.* item Excerpta ex Bernhardo, apud *Flacium catalog. Test. Veritat. lib. XIV. f. 1379. seqq.*

§. 20.

Corruptissimum Ecclesiae Rom. & doctrinae statum *Waldenses & Albigenses*, celebria in posterum in historia nomina impugnarunt, ac in tenebris velut facem amantibus veritatem praetulerunt. Nam *Petrus Waldus* (aliis *Valdus*, vel *de Waldis*) civis Lugdunensis, ex mercatore Theologus, in assidua lectione S. Scripturarum, post medium circiter hujus seculi ita profecit, ut non tantum Ecclesiae regimen Papae Rom. tyrannicum S. literis adversum inde demonstraret; sed & superstitiones crassas ac idolomaniam

cum

cum multis abusibus notaret atque reprehenderet. vide *Thuan. Hist. lib. XVII. Flac. catal. Testium Verit. lib. XV. fol. 1498. seqq. Forbesii instruct. historic. Theol. l. XIV. cap. 15.* & *Usserii de Succes. Eccles. cap. 8.*

§. 21.

Circa annum CHRISTI 1190. novum Evangelium a Cyrillo Carmelita cudi cœptum est, quod *æternum Evangelium* appellarent. Eo dogmata scholastica ritusque superstitiosi Ecclesiæ Romanæ confirmabantur. Sed DEUS Joh. Valdonem excitavit, qui primus omnium blasphemum Cyrilli Evangelium impugnavit. Valdoni plures sese adjunxerunt: Sed denique a Guilielmo de S. Amore anno 1254. Evangelium illud eversum est. Dubitet vero *B. Jac. Thomasius* supra allegatus, an multum commercii habuerit æternum illud Evangelium cum scholastica Theologia; præsertim cum constet, damnato per Papam illo Evangelio, non minus quam Valdonis doctrina; mansisse tamen Theologiam scholasticam, fuisseque propagatam.

Ex-

Expendendum etiam, annon novum illud Evangelium affinitatem aliquam habuerit cum *novo Evangelio*, quod appellabat Bernhardus Petri Abelardi, quod ipsum tamen Ecclesia Pontificia damnavit.

§. 22.

Communio sub una tantum specie hoc ævo introducta videtur, licet legè nondum esset Ecclesiæ firmata. Cujus abusus hæc videtur fuisse occasio: Moris erat in Ecclesia, ut quidam panem consecratum intingerent & intinctum pro complemento communionis populo distribuerent. Quem morem a veteris Ecclesiæ consuetudine aberrantem Paschalis II. improbavit. Ideo epistola ad Pontium Abbatem Cluniacensem scripta præcepit, ut communio seorsim in specie panis & seorsim in specie vini fieret. Sed ille intinctionis usus a multis retentus ansam postea præbuit communioni sub una specie. Præsertim cum ob transsubstantiationis dogma, metus esset, ne Sanguis CHRISTI, laicis præbito calice, forte effunderetur in terram.

§. 23.

§. 23.

Cæterum in Ecclesia Romana schismata ipsi Pontifices & Antipapæ horrenda inter se invicem foverunt, nonnisi dominatum absolutissimum meditantes. Unde carmen illud de Paschale II. initio hujus seculi ex Godofrido Viterbiensi notum:

Spiritus & Corpus mihi sunt subjecta potenter,
Corpore terrena teneo, cœlestia mente,
Unde tenendo polum, solvo ligoque solum.

Doctrina in templis sonans erat de indulgentiis, de satisfactionum necessitate, de meritis vitæ monachalis, de invocatione Sanctorum, de cultu & miraculis reliquiarum, de peregrinationibus ad loca sancta, de militia sacra in Palæstina, quam qui sequebantur, remissionem omnium peccatorum obtinuerunt, teste *Baronio ad annum Christi 1145. num. 32.* & *annum 1146. num. 12.* de cœlibatu clericorum necessario, & aliis. Unde ipse *Baronius ad annum 1196. n. 26.* fatetur, famam hoc tempore fuisse, *Antichristum* revelatum

tum iri; Joachimus vero, Abbas Florensis, palam professus est, eum Romæ jam natum esse.

§. 24.

In hoc caliginoso regno tenebrarum fuerunt tamen aliqui, quibus lectio Scripturæ S. curæ fuit. Nam præter Bernhardum *Hugo de S. Victore libr. de noviter conversis instituendis c. 8.* modum legendi S. literas præscripsit: *Cum divinas*, ait, *scripturas legitis, solerter perpendite, quid ibi dictum sit ad excitandum in vobis amorem DEI, quid ad contemtum seculi, quid ad cavendas insidias inimici, quid ad bonos affectos nutriendos & prava desideria fugienda valeat, & citius cor per compunctionis ardorem accendat: quid disciplinam in opere, quid humilitatem in cogitatione, quid obedientiam in præceptis, quid denique ad agenda sedulum & ad mala cavenda doceat esse circumspectum.*

§. 25.

Quod HÆRESES attinet, ipsa Ecclesia Romana, non una, sed pluribus jam

jam infecta fuit; cum idolomania aperte defenderetur & exerceretur. Notantur tamen etiam alii, qui *hæreticorum* nomine veniunt, ut *Bogomili*, qui autore quodam Basilio, medico, habitu Monacho, nefanda dogmata sparsisse dicuntur. *Zonaras tom. III. fol. 238. Natalis Alexander Hist. Eccles. Secul. XI. & XII. cap. 4. art. 5.* ex Euthymii Zigabeni Panoplia *Part. II. tit. 23.* hæresis illius hæc capita recitant: Rejiciebant 1.) Mosaicos omnes libros, cæterosque Scripturæ S. præter Psalterium & sedecim Prophetas, quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, & ipsorum Epistolas atque Apocalypsin: 2.) Simplicibus fucum facientes, dicebant se credere in PATREM & FILIUM & SPIRITUM Sanctum; sed revera PATRI tantum tria nomina tribuerunt; cum improbe & blaspheme de FILIO & SPIRITU S. loquerentur. 3.) Dæmonem, qui a SALVATORE Satanas appellatur, Filium DEI PATRIS & Satanaelem dici, de quo & Angelorum lapsu mira comminiscebantur, quæ loc. cit. legi possunt. Secta

Ni-

nimirum ex Manichæorum & Messalianorum veterum placitis portentosis conflata fuit, cujus autor ad rogum damnatus, justas dedit pœnas. Conf. *Baron. ad annum 1118. n. 27.* & *Allat. de Eccl. Occid. & Orient. conf. lib. II. cap. 12.*

§. 26.

Antwerpiæ anno 1111. & sequentibus, *Tanchelinus* (aliis *Tauchelinus* & *Tandemus* audit) homo perversus, ter mille viris stipatus, & lauta convivia in gratiam plebis instruens, duos præcipue errores sparsit: 1.) Ministerium Episcoporum & Sacerdotum inane, nec a CHRISTO institutum esse: 2.) Corporis & Sanguinis CHRISTI perceptionem ad salutem æternam nihil prodesse. Cæterum ipse, scortationi & pravæ libidini deditus, vitam egit sceleratam. vide *Surium* in Hugonis vita, ad diem 6. Junii, & *Baron. ad annum 1126. num. 8.*

§. 27.

Petrobrusiani, a Petro de Bruis appellati, anno circiter 1121. in Arelatensi Galliæ provincia, teste *Petro Cluniacen-*

se

se Abbate *epist. 1. & 2.* tradiderunt, Baptismum sine propria fide non salvare; ideo requisiverunt, ut baptizandus fidem intelligeret Christianam: Deinde negarunt Corpus & Sanguinem CHRISTI in Missa pro animarum salute offerri, nec substantiam panis & vini in Eucharistia mutari: Sacrificia, orationes & eleemosynas pro defunctis deridebant: Templa etiam sacris peragendis negabant esse necessaria: item cruces sacras, quod signa ignominiosi instrumenti, quo CHRISTUS dirissime tortus fuisset, confringebant. Præterea illis etiam Manichæorum deliria imputantur. confer. *Baronius ad annum 1126. num. 4.* Videntur ergo illi abusus & superstitiones Ecclesiæ Roman. notasse, ac ideo incurrisse invidiam cleri curiæ Rom. addicti. Post Petrum de Bruis combustum, *Henricus* Monachus circa annum 1140. illa dogmata propagare molitus est, simul fœminas nudas incedere, & ita sponsalia celebrare jubens. Unde ejus assecla *Henriciani* dicti sunt. Ipsius Henrici *Bernhardus*

dus Epist. 252. mentionem facit. vid. *Nat. Alex. Histor. Eccles. Sec. XI. & XII. cap. 4. art. 7.*

§. 28.

Arnaldistæ, ab Arnaldo Brixiensi, Petri Abelardi discipulo, nomen habentes, circa annum CHRISTI 1138. negarunt, Clericos & Monachos possessiones tenentes salvari posse. *Otto Frisingensis lib. II. de Rebus Gest. Friderici Barbarossæ cap. 20.* addit, eum de parvulorum Baptismo & Sacramento altaris non recte sensisse. *Bernhardus Epist. 195.* ad Episcopum Constantiensem in eum valde invehitur. Innocentius II. Papa illum in Synodo Lateranensi convocata, hac de causa damnavit, impositio ipsi silentio, inprimis quod in cleri avaritiam & dominandi cupiditatem inveheretur. Ab hoc *Arnoldus de Villa Nova*, Hispanus distinguendus, qui etiam a Pontificiis inter hæreticos refertur: Sed *Flacius in Catal. Test. Verit. libr. XIIX.* probat, eum vitia cleri magis impugnasse; quam doctrinam.

§. 29.

§. 29.

Petrus Abelardus Gallus, & *Gilbertus Porretanus*, Pictavienſis Epiſcopus, etiam hæreticis accenſentur, quod de myſterio SS. TRINITATIS minus ſobrie philoſophantes, non ſanas proponerent doctrinas. Quas *Bernhardus Epiſt. 189.* & *190.* in Abelardo notavit. *Otto Friſingenſis de Rom. Geſt. Friderici Imperat. lib. I. cap. 46. & ſeqq.* errores Porretani ſequentes recitat: quod aſſereret 1.) divinam eſſentiam non eſſe DEUM: 2.) quod proprietas perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ. 3.) quod theologicæ perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione: 4.) quod divina natura non eſſet incarnata: 5.) quod Eccleſiæ Sacramenta evacuando diceret, nullum baptizari, niſi ſalvandum. Sed palmaris error fuit, quod Divinitatem DEIque attributa cum abſoluta, tum relativa, DEUM non eſſe, contenderet. confer *Bernhard. ſerm. 80. in Cantic. Launojum de Varia Ariſtotel. Fortuna, cap. 3. & J. Thomaſii vitam P. Abelardi, a Chriſt. Thomaſio JCto in Hiſtor. Sap. & Stult. tom. I.*

cap.

cap. 6. editam. confer. *Natal. Alex. Hist. Eccles. Secul. XI. & XII. Part. II. & dissert. 7.*

§. 30.

Apostolici, homines illiterati, Apostolicam vitam affectantes tempore S. Bernhardi, damnabant 1.) nuptias, continentiæ votum jactantes: 2.) Baptismum parvulorum & invocationem Sanctorum: 3.) Ordines ecclesiasticos: 4.) esum carnium, severam vitæ disciplinam sectantes. *Bernhardus* illos *serm. 6. 66. in cantic.* reprehendit. Everinus apud *Mabilonium, tom. III. veter. Analect. pag. 152.* eos circa Coloniam Agrippinam vagatos esse, memorat.

§. 31.

Eudo de Stella, Britannus, præstigiis Dæmonum, rudem plebeculam decipiens, se judicem vivorum & mortuorum jactitavit, ac quosdam e suis discipulis Angelos, alios Apostolos creavit. Ipse baculum superiori parte bifurcum, ad mysterii regni sui significationem gestavit. Sed Eugenius III. Papa hominem dementem,

anno

anno 1148. carceri mancipari jussit. vid. *Ott. Frising. de R. Gest. Frid. lib. 1. c. 54. & Natal. Alex. l. c. art. 10. p. 356.*

§. 32.

Circa finem hujus seculi *Folmarus*, præpositus Petræ Stillantis, seu Triffensteinii in Franconia infra Herbipolim, tradidit, in Eucharistia sub specie panis, solam Christi carnem sine ossibus, sine membris corporeis & sine humani corporis plenitudine; sub specie autem vini solum Christi sanguinem sine carne sumi. Quam sententiam Gerochus Reichersbergensis, in Bavaria præpositus refutavit. vid. Epistolam ejus *tom. XXV. Biblioth. PP. edit. Lugd.* In orientali Ecclesia de Cœna Domini controversia oborta, quidam corpus Christi post perceptionem in Eucharistia incorruptibili esse, sicut erat post passionem & resurrectionem; quidam vero corruptibile & inanime esse affirmarunt, qui in Synodis hac de causa habitis condemnati sunt. vid. *Nicetam in Alexio.*

§. 31.

Scriptores Pontificii hæreticis hujus se-

culi, *Waldenses* accenset, quod Papatus errores impugnassent, ac ab Ecclesia Romana secessionem fecissent, Enimvero injuriam hominibus Christi regulam secutis, factam esse, omnes hodie, quibus historia Waldensium non ignota satis norunt. vid. *B. J. Thomasii Histor. VValdens.* a filio ejus celeberrimo *Chr. Thomasio in Hist. Sap. & Stult. tom. I. c. 4.* exhibitam.

§. 34.

De regimine Ecclesiæ Latinæ seu Romanæ non amplius quæri debet; cum tyrannicum Pontificis R. regnum jam ab Hildebrando Papa stabilitum esset: Quodamplificare hoc ævo pontifices connixi sunt. Nam Paschalis II. decrevit, ut qui pallium episcopale a Pontifice accepturi essent, jurejurando sese Romanæ sedi, cum plena subjectione obstringerent. v. *M. Anton. de Dominis l. 3. de Republ. Eccl. cap. 11. n. 21. 22. f. 498. seq.* Calixtus II. Papa Henrico V. Imperatori Jus Episcopos investiendi, in Comitiis Wormatiensibus an. 1122. extorsit. vid. *Cranz. Saxon. l. V. 42. & Lehmanni Chronic. Spirens. l. V. cap.*

cap. 42. Honorius III. septem Cardinales Diaconos instituit, quorum opera & consilio in rebus gravioribus uteretur. Innocentius II. ignominiosa pictura, Lotharium Cæsarem ante se procumbentem, manibusque complicatis imperii coronam petentem, cum hac inscriptione repræsentavit:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Post homo (vasallus) *fit Papæ sumit quo dante coronam.*

v. *Trithem. Chronic. Hirsaug.* & *Sigon. de R. Ital. l. XI.* Ipse *Baronius ad a. Ch. 1130.* Anacletum II. Anti-Christum adpellat, quod Innocentium II. ejecisset. Alexander III. Papa, vulgo traditur Friderico Barbarossæ Imperatori insultasse, ac Venetiis pedem collo ejus imposuisse, additis his verbis: *super aspidem & basiliscum ambulabis;* Cæsarem reposuisse: *non tibi, sed Petro;* ipsum regessisse: *Et mihi & Petro.* *Sed post Baron. ad a. 1178. D. Georg. Rhemus, Rupertus in Observ. in Hist. Besoldi cap. 18.* & *Conringius de Finib. Imp. c. XI.* istam relationem, pro fabula Italorum

habent. Urbanus III. Imperatorem Fridericum excommunicavit. Clemens III. regnum Siciliæ armis sedi Romanæ vindicare molitus est. Cœlestinus III. coronam Henrico VI. Imper. ad pedes suos prostrato impositam, eam pede percutiens, in terram iterum dejecit, significaturus in manu sua esse coronam Cæsaris, apud *Baronium ad an. 1191. num. 10.* Innocentius III. circa finem hujus seculi Papa factus, in Serm. I. consecrat. Pontif. p. 189. scribit: *Papa inter Deum & hominem medius constitutus, citra Deum, sed ultra hominem, minor Deo, sed major homine, qui de omnibus judicat, & a nemine judicatur.* De his & aliis Pontificum tyrannidis speciminibus, vid. Scriptores vitarum Pontific. R. Innocentius ille constituit, ut singuli, minimum festo Paschatis, sacra Eucharistia uterentur. v. *C. XII. & X. de pœnit. & remiss.*

§. 35.

His Ecclesiæ præsulibus, cura ut *doctrinæ* purioris, ita *disciplinæ* ultima, imo nulla fuit. Quapropter *Bernhardus*, in libris *de consideratione*, queritur de ægro Papa sese

sese non sentiente, adeoque periculosius laborante; de Pharaone flagellis durato, de percusso & non dolente, de confluentibus ad Papam (Eugenium III. intelligit) Simoniacis, sacrilegis, concubinariis, incestuosis, de perstrepentibus in Palatio legibus, sed Justiniani, non Domini, sed sordentibus circa ipsum omnibus; de nominibus & titulis turgidis sibi arrogatis; de ambitione, rapacitate inexplebili, adulatione & aliis. Et cum *cœlibatus* Clericis jam ob status rationem per legem esset impositus, multi eum improbarunt, multi vagæ libidini indulserunt.

§. 36.

Monachorum interim ordines aucti Ecclesiæ & reipublicæ damno, qua γαστέρας ἀργὰς alere plures, necessum habuit. Nam circa annum 1120. *Præmonstratenses*: circa a. 1160. *Carmelitæ*, *Dominicani* an. 1198. item *Mendicantes* exorti sunt. Et quandoquidem hoc ævo militia sacra seu expeditiones cruciatæ, instinctu Papæ suscipierentur, *Ordines Militares seu equestres*, qui ut monachi, votis certis adstringebantur, a Papa R. confirmati sunt: ut

Hospitalarii, vel *Johannitæ*, qui Xenodochium Hierosolymis juxta sepulchrum Dominicum custodirent, vid. *Hospin. de Vot. Mon. p. 187. Templarii*, qui prope templum Dominicum a Balduino II. Rege iis concessum Hierosolymis habitantes, peregrinos contra Saracenos & Turcas defendere debebant: *Teutonici & Mariani*, pari cum Hospitalariis & Templariis instituto, ex Germanica nobilitate lecti, & Hierosolymis pulsi, in Borussia fideles contra barbaros defenderunt. De *ceremoniis* & novis ritibus, ad splendorem cultus sacri pomposi adinventis, Magdeburgenses *cent. XII. c. 6.* agunt. De canonizatione Sanctorum, *Launoji opuscula varia de Commentit. Lazari &c. in Provinciam appulsu* 431. legi merentur.

§. 37.

Synodi vel *Concilia*, hoc seculo, plurima indicta. Sed in quibus non tam de Religionis controversiis, quam de juribus imperii sacri Pontificii & inanibus ritibus, vel cleri moribus actum est: ut de jure investiendi Episcopos, de excommunicatione Cæsarum Henrici V. Friderici I. de

de Anti-Papis, de bello sacro seu expeditionibus cruciatis, de Simoniacis, de cœlibatu clericorum & similibus. v. *Cent. XII. Magdeburg. c. IX.*

§. 38.

Scriptores Pontificii tria *generalia* nominant *Lateranensia*. PRIMUM, quod œcumen. IX. vulgo dicitur, anno 1122. a Calixto vel Calliſto II. Papa indictum, in quo Henricus V. Imperator Jus inveſtituræ, per annulum & baculum, remiſit, & Papa legem de cælibatu clericorum confirmavit, atque pax inter Imperium & Sacerdotium conſtituta eſt. SECUNDUM autore Innocentio II. an. 1139. imperante Conrado III. habitum, quod X. œcumen. appellatur; Quo Anacletus II. ceu Pſeudo-Pontifex rejectus, & Arnaldus de Brixia, Petrus de Bruis, ac horum aſſeclæ cum doctrina ſua damnati ſunt. Inveſtitura etiam laicorum reprobata & jurisdictio omnis in clericos & monachos ſecularis abrogata fuit. TERTIUM anno 1179. ab Alexandro III. Papa, imperante Friderico Barbaroſſa indictum: ut ſchiſmata inter Anti-Papas tollerentur, &

Waldenſes & Albigenſes damnati extinguerentur. Huic interfuit ex Græcis Nectuarius Abbas, qui cauſam Græcorum fortiter adverſus Latinos defendit. vid. *Baron. ad annum 1179. num. 9. 10.* v. *Natal. Alex. H. E. Sec. XI. & XII. part. 3. diſſert. 8.*

§. 39.

Contra P. Abelardum anno 1139. Rex Galliæ, Ludovicus ſenior, Synodum Sveſſionenſem indixit, quam ſequenti anno Ludovicus Junior continuavit. In hac præſente Bernhardo, Abelardi dogmata de SS. Trinitate examinata & rejecta fuerunt, teſte *Ottone Friſingenſi* ſupra allegato. In Synodo Pariſienſi an. 1147. & Rhemenſi a. 1148. errores Gilberti Porretani damnati ſunt.

§. 40.

Fridericus I. Imper. Synodum Papienſem & Laudanenſem contra Alexandrum III. Papam convocavit. Quam *Baronius* ad an. 1160. num. 1. 2. improbat. Papa vero eo offenſus, anno 1168. ideo Synodum Lateranenſem indixit,

quo

quo impudenti ausu, Fridericum excommunicavit.

§. 41.

PERSECUTIONES, quas Christiani in Palæstina hactenus a Saracenis sustinuerant, per expeditiones sacras Christianorum in Oriente quidem inhibitæ fuerunt: at in Occidentali Ecclesia, tyrannis Pontificia pios graviter afflixit. Imprimis cum Alexander III. in Synodo Taurinensi an. 1163. & Lateranensi III. an. 1179. Waldenf. seu Albigenses damnasset. Exeo enim tempore, illi dirissimis cruciatibus subjecti vel extincti sunt, vel in Delphinatu & Pedemontio latibula quærere necessum habuerunt. In his vexandis ipse *Dominicus*, autor Ordinis Monachorum, qui *Dominicani* appellantur, operam suam Papæ addixit, vid. *Perrini lib. 2. Hist. Waldenf. cap. 1. seqq. & Baron. ad annum 1178. seqq.* Plures persecutiones memorant *Magdeb. Cent. XII. c. 3.* Qui enim hac tempestate, adversus corruptissimum Ecclesiæ statum hiscere ausi fueruns, vel carceres vel martyrium subire coacti sunt. Arnulphus

Presbyter cum Romæ, sedente Honorio II. clericorum lasciviam, libidinem, fastum & avaritiam reprehenderet, noctu clericorum instinctu interfectus fuit, ap. *Simocattam lib. 5. cap. 7.*

§. 42.

MEMORABILIA hujus seculi XII. multa passim annotata leguntur: ut sunt terræ motus, incendia, siccitates, eluviones, pestes, fames, & alia generis humani flagella, quæ *Magdeburgenses Cent. XII. c. 13. & Hottingerus H. E. Sec. XII. Sect. 1.* recensent, Pseudo-miracula, visiones, somnia, apparitiones sanctorum Angelorum & animarum separatarum, in quibus fingendis monachi solertes fuerunt, adducere hic operæ pretium haut videtur. Nec quæ de sanctis fœminis, in Calendario Romano & Legendis Pontificiis leguntur, ut de *S. Hildegarde*, moniali in diœcesi Moguntina, *S. Margaretha*, *S. Hildegunde*, S. *Elisabetha*, moniali & abbatissa cœnobii Schœnaugiensis, & aliis, apud Surium & Baronium in Martyrologio memoratis, dicere vacat. Magis memoratu digna nobis videntur (1.) Ecclesiæ Chri-

stia-

stianæ a Saracenis in Palæstina pressæ liberatio, a Christianis per expeditiones sacras facta. (2.) Conversio Pomeranorum per Ottonem, Bambergensem Episcopum, an. circiter 1174. facta, ap. *Cranz. in Wandal. l. 3. c. 28.* item Livonum, Norwegorum, Finlandorum & aliorum populorum. (3.) Pontificum Rom. fraudes, circa expeditiones sacras in Orientem, usurpatæ. (4.) Pontificum Rom. schismata & tyrannis in Cæsares & Principes. (5.) Expeditiones cruciatæ ex superstitione & inconsulto zelo in Palæstinam susceptæ, apud *Otton. Frisingens. libr. 1. cap. 36. seqq.* (6.) Crudelitas occidentalium seu Latinorum Christianorum in Græcos, quando ad bella sacra profecti sunt, vid. *Allatium de Consens. l. 2. c. 12. num. 11.* (7.) Persecutio immanis in Judæos a Rudolpho monacho quodam, in Germania & vicina Gallia excitata, ap. *Ott. Friling. l. 1. c. 37.* (8.) Gratiani Decretum, quod ipse concordiam discordantium canonum dicit, auctoritate Papæ R. in scholis tractari cœptum, ap. *Zieglerum Dissertat. de orig. & increm. Jur. Can. §. 37. seqq.* (9.)

Irnerius sub initium hujus ævi, non jussu Imper. Lotharii, sed rogatu Mathildis *Pandectas* primum Bononiæ interpretari, & glossas in eas scribere cœpit. Unde Jus Romanum postea in scholas & fora receptum, vid. *Conring. de Orig. Jur. Germ. cap. 21.* (10.) Controversia in Græca Ecclesia: an in Deum Muhammedis Holosphyrum, anathema vibrandum? quod Imp. Manuel Comnenus prohibuit ideo, quod DEUS Muhammedis esset verus DEUS. v. *Nicetam Choniatem lib. 8. de Gest. Comneni & Hotting. H. E. cap. 12. p. 41.* (11.) Alexandri III. Papæ literæ falsæ ad Regem Abyssinorum, quem Baronius Pretejanum (vulgo Presbyterum Johannem) vocat apud illustrem *Joh. Ludolphum Hist. Æth. l. 3. c. 9. n. 6. seqq.* (12.) Duo in Hispania celebres Philosophi & Medici, Abensina (vulgo Avicenna) & Avenroës (vulgo Averroës) qui Aristotelis Philosophiam illustravit.

§. 43.

Qui judicandi facultate vel mediocri pollet, ex hactenus commemoratis de-

pre-

prehendet luctuosam Ecclesiæ faciem, quam superbe regnante Antichristo Romano, ingruente cum majori superstitione sterili Theologia Scholastica, ipsa induerat. Waldenses, qui ex hoc tenebrarum regno, prælucente DEI verbo, egredi contendebant, diris simis modis habitos, primorum inter gentiles Martyrum fata sustinere oportuit. Exemplo tamen nobis illi cum aliis confessoribus veritatis sunt, DEUM in medio Anti-Christi regno, subinde aliquot pios excitasse ac contra portas inferorum conservasse: Contra vero Christianos, in Oriente hactenus Saracenorum victores, ob perditissimos mores, perfidiam, latrocinia, ebrietatem, luxuriam ac infanda etiam Cleri facinora, graviter castigasse, permittendo Regni Hierosolymitani excidium, quod barbari Christianorum hostes parārunt. Ita judicia Dei certo instant, quando populus non nisi nomen Christi in ore habet, vita vero ipsum abnegat.

PERIODI IV.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,
CAPUT III.
De
Sec. XIII. Chr.

§. 1.

SEculum, quod sequitur, *decimum tertium*, antecedente non potest dici felicius. Nam etsi magno numero in scholis surgerent, qui cum philosophiæ Aristotelicæ ac juris canonici studio, Theologiam profiterentur; illa tamen spinosis ac supe etiam ineptis quæstiunculis involuta, non nisi ad contentiones faciebat, ad ædificationem in fide & vita Christiana nihil conferebat. Jus autem Canonicum jam novis incrementis auctum, ad Pontificis R. regnum tyrannicum stabiliendum multum contulit momenti. Unde Imperium Romano-Germanicum Pontificum factionibus, dissidiis & Augustorum excommunicationibus misere turbatum fuit. Id quod, si breviter ante celebriores nominaverimus Scriptores & doctores, in compendio enarrabimus.

§. 2.

§. 2.

Scriptores in *Græcos* & *Latinos* distinguimus. Quorum illi præcipui sunt: (1.) *Niceras Acominatus*, *Choniates* a patria appellatus: Qui in aula Constantinopolitana muneris dignitate primum fulsit; sed capta a Latinis an. 1204. Constantinopoli, Nicæam in Bithynia profectus, *Annales* in libros XXI. distinctos scripsit, quos *Lipsius Polit. lib. I. c. 9. §. 12.* laudat. Conscripsit etiam *Thesaurum orthodoxæ fidei libris* 27. constantem, (2.) *Theodorus Lascaris*, junior, *Ducas* etiam dictus, Theodori senioris ex Irene filia nepos, qui patri in imperio a. 1255. successit, & *tractatum adversus Latinos de processione Spiritus S.* scripsit. vid. *Labbe Bibl. Nov. p. 69.* (3.) *Nicephorus Blemmida*, Presbyter & Monachus, de Processs. Spiritus S. & alia opuscula conscripsit, quæ Leo Allatius allegat. (4.) *Georgius*, *Acropolita* appellatus, *Historiam* seu *Chronicon Constantinopolitanum*, a capta per Latinos urbe, usque ac receptam per Michaelem Palæologum scripsit. vid. *Allat. de Georgiis & eorum Scriptis.* (5.) *Joannes Beccus*

cus seu *Veccus*, Ecclesiæ Magnæ Constantinopolitanæ Chartophylax, *de unione Ecclesiarum Veteris & Novæ Romæ, de Processs. Spiritus S.* & alia opuscula composuit. vid. *Allatii Gr. Orthod. tom. 1. a p. 61. ad p. 379.* (6.) *Gregorius Metochita*, Becci symmysta, de similibus argumentis cum Becco scripsit. vid. *Allatii de Consens. l. 2. c. 15. §. 9. & Combefisii Auctuar. Nov. tom. 2. p. 1017.* (7.) *Georgius Pachymeres*, celebris maxime Scriptor, *Historiam rerum Constantinopolitanarum* libris 13. constantem reliquit. *Paraphrasis* ejus in opera S. Dionysii Areopagitæ Theologis quibusdam laudatur. confer. *Allatii tom. 1. Græc. Orthodox. p. 390.*

§. 3.

Latinos Scriptores, quorum multi sunt, in *historicos & dogmaticos* distinguemus. illorum præcipui, quos nunc memorabimus, sunt (1.) *Guilielmus de Seliniaco*, Episc. Antisiodorensis & tandem Parisiensis, autor *Summæ Theologicæ* an. 1500. Parisiis excusæ. (2.) *Franciscus Assisius*, fundator ordinis monachorum, ab ipso Fran-

Franciscani appellatorum, cujus opera Parisiis a. 1614. edita prostant. Hic Pontificiis *Vir Apostolicus* dicitur, qui Christi spiret effigies. (3.) *Antonius de Padua*, gente Lusitanus, qui autor est sermonum de sanctis, concordantiarum moralium in S. Biblia. (4.) *Guilielmus Parisiensis* Episcopus, qui multos tractatus morales compilavit Parisiis anno 1674. editos. Hunc Gregorius IX. olim *Arcam Testamenti* appellavit. (5.) *Raymundus de Pennaforti*, Barcinonensis, a Gregorio IX. *Pater pauperum*, ob liberalitatem dictus, *summam casuum* & libros V. Decretalium congessit. (6.) *Alexander de Hales*, gente Anglus, *Doctor irrefragabilis*, item *Doctor doctorum*, quod Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis præceptor fuisset, ac *summam Theologiæ* compilasset, dictus, *summam Theologiæ & quæstiones in sententias*, item *summam de virtutibus* conscripsit. (7.) *Johannes de S. Ægidio*, Anglus, Theologus Parisiensis, ob morum doctrinam *Suavissimus Moralizator* appellatus. (8.) *Ægidius Romanus*, Archi-Episcopus Bituricensis, *doctor fun-*

da-

datissimus dictus, quod in Philosophia Aristotelica & Theologia scholastica excelleret. (9.) *Edmundus*, cognomento *Virgo*, Archiep. Cantuariensis, edidit *Speculum Ecclesiæ*, quod in tom. XXV. Biblioth. PP. extat. (10.) *Robertus Grostheat*, seu *Capito* dictus, Episcopus Lincolniensis, librum de *Cessatione legalium*, item *Testamentum XII. Patriarcharum* scripsit. (11.) *Hugo de S. Caro*, Delphinas, *commentarios in universa S. Biblia* consarcinavit. Hic primus inventor *Concordantiarum Bibliorum* habetur. (12.) *Robertus de Sorbonna*, Gallus Collegii Parisiensis ab ipso denominati fundator, de *Conscientia*, de *Confessione & Itinere Paradisi*, opuscula conscripsit, quæ in tom. XXV. Biblioth. PP. leguntur.

§. 4.

(13.) *Reinerus Sachonus*, Placentinus, Waldensium primo promachus, deinde desertor & inquisitor hæreticorum generalis factus, *Summam de Catharis & Leonistis* conscripsit. (14.) *Thomas Aquinas*, Italus, illustri prosapia ortus anno 1224. *Doctor Angelicus* appellatus, cujus opera

ra 17. tomis digesta Bellarminus de Script. Eccles. recenset. (15.) Præceptor hujus *Albertus Magnus*, gente Suevus, & Episcopus Ratisbonensis fuit. Opera ejus philosophica & theologica 21. tomis distincta prostant. (16.) *Bonaventura*, Italus, Episcopus Albanensis, Thomæ Aquinatis συγχρονος, *Doctor Seraphicus* appellatus, quem Trithemius his verbis laudat: *Profundus, non verbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non vanus; flammantia non inflantia verba proferens.* Opera ejus 8. tomis distincta prostant. (16.) *Nicolaus Hanapus*, Gallus, anno 1270. *Biblia Pauperum* (vulgo Bonaventuræ tribuuntur) compilavit, quæ Tubingæ anno 1533. edita sunt. (18.) *Guilielmus Peraldus*, Archi-Episcop. Lugdunensis, *summam de vitiis & virtutibus* reliquit compositam. (19.) *Guilielmus Durantes*, Episc. Nimatensis, *Speculator* dictus, *Rationale divinorum officiorum*, *Speculum & Repertorium Juris*, item *commentarios in canones Concil. Lugdun.* scripsit. Hujus celebrem sententiam de S. Eucharistia

For-

Forsterus in Hist. Jur. civil. lib. 3. cap. 17. recitat: *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus.* Obiit Romæ anno 1296. cujus epitaphium *Ughellus tom. II. Ital. Sacr.* exhibet. (19.) *Innocentius III.* Pontifex R. *Sermones* de tempore, de sanctis, de consecratione Pontificis, de eleemosynis, de VII. Sacramentis & alia reliquit, quæ 2. tomis Parisiis anno 1682. edita prostant. (20.) *Innocentius IV. & Innocentius V.* Pontifices R. in V. libros Decretalium, & IV. libros sententiarum commentarios compilarunt. (21.) *Raymundus Martini*, Catalaunus, vir Ebraice, Chaldaice & Arabice doctus, ex libris Judæorum, *Pugionem Fidei* scripsit, quo illos propriis armis quasi confodit. Ex hoc *Petrus Galatinus Arcana Catholicæ veritatis*, quæ vocat, transumsit, quæ *D. Iob. Benedict. Carpzovius* cum introductione ad Theolog. Jud. hic Lipsiæ anno 1687. denuo publicavit. (22.) *Jacobus de Voragine*, Archi-Episc. Genuensis, præter *Historiam Lombardicam* de Vitis sanctorum, *Sermones Quadragesimales*,

&

& *Mariale Aureum*, h. e. de laudibus S. Mariæ compilavit. (23.) *Jacobus de Vitriaco*, Gallus & Cardinalis, volumen concionum de tempore, librum contra Saracenos & tres de Histor. Hierosolymitana & occidentali reliquit Duaci anno 1595. edita. vid. *Bongarsii de Gest. DEI per Francos tom. II. p. 1047.* (24.) *Henricus* vel *Amandus Suso*, Suevus nobilis, *Horologium Sapientiæ*, *Officium Quotidianum de æterna sapientia* & alia composuit, quæ Coloniæ a. 1588. edita prostant.

§. 5.

(25.) *Johannes de Parisiis*, Theologus Parisiensis in IV. libr. sentent. commentarios & *Quodlibetica* varia, inprimis vero librum *de Regia & Papali Potestate*, conscripsit. vid. *Goldasti tom. II. Polit. Imper.* (26.) *Richardus de Mediavilla*, Anglus, *Doctor Solidus* appellatus, in libros IV. sentent. commentario & *Quodlibetica Theologica* Quæstionum 80. compilavit, Brixiæ anno 1591. excusa. (27.) *Armandus de Bellovisu*, Bononiensis, Postilla in Psalmos, Meditationes & Sermo-

mones varios, item explicationes terminorum difficilium tam in Philosophia quam Theologia conscripsit. Malunt tamen ultimum libellum aliqui *Armando* Hispano, qui sequenti seculo floruit, tribuere.

§. 6.

In *Historicorum* hujus seculi classem referendi sunt: (1.) *Gervasius Tilberiensis*, Henrici II. Regis nepos, autor Chronici de Imperio Rom. Gothorum & Regnis, a Madero Helmstadii anno 1673. editi, (2.) *Rodericus Ximenius*, Archi-Episc. Toletanus, *de Rebus Hispaniæ libr. 9.* item *Hist. Ostro-Gothorum* scripsit, quæ t. 2. Hispaniæ illustrat. (3.) *Arnoldus*, Abbas Lucensis, Helmoldi Chronicon continuavit. (4.) *Petrus de Monte*, Normannus, Chronicon Sigeb. Gemblacensis ab anno 1112. ad an. 1210. continuavit, & lib. 12. de Bello sacro scripsit, vid. *Voss. de Hist. Lat. lib. 2. c. 55.* (5.) *Conradus a Lichtenau*, Abbas Ursbergensis, Chronicon a temporibus Nini, usque ad annum Chr. 1229. scripsit. vid. *Voss. de Hist. Lat. l. 2, c. 57.* (6.) *Petrus de Vineis*, Friderici

rici II. Imper. Cancellarius, Cæsaris Jura adversus Papam R. defendit & libr. VI. Epistol. reliquit. (7.) *Saxo-Grammaticus*, Præpositus Roschildensis in Dania, libros XVI. Historiarum terso satis stylo elaboravit. vide *Voss. libr. 2. de Histor. Lat. c. 55.* (8.) *Matthæus Paris*, Anglus, Monachus Albanensis, Historiam Anglicanam, & vitas aliquot sanctorum, scelera Pontificum R. & Cleri non dissimulans scripsit, quæ Londini anno 1684. prodiit. (9.) *Vincentius Bellovacensis*, *Speculum quadruplex* compilavit, *Doctrinale*, *Historiale*, *Naturale & Morale*, Basileæ anno 1484. & Duaci anno 1624. editum. (10.) *Albertus*, Stadensis Cœnobii Abbas, Chronicon ab O. C. ad annum 1256. conscripsit: Quem Possevinus cum *Alberto Pisano* perperam confundit. vid. *Voss. de Hist. Lat. l. 2. c. 59.* (11.) *Martinus Polonus*, Archi-Episcopus Gnesensis, Chronicon a nato Christo usque ad annum 1277. texuit, & historiam de Johanne Papissa evulgavit. De aliis scriptoribus hujus ævi, plura, Flacius, Gesnerus, Bellarminus, Possevinus, Vossius, Labbe, Natalis

Ale-

Alexander & Guil. Cave a nobis sæpius laudatus tradunt.

§. 7.

DOCTRINA PUBLICA olim simplicitate veneranda, & in symbolis Ecclesiæ veteris repetita, populoque tum in catecheticis institutionibus, tum in sermonibus ac homiliis instillata, hoc ævo quidem non plane exolevit; sed tamen in multis articulis, per admixtas traditiones obscura fuit; cum S. literarum studium in Scholis rarescceret, in templis fabulæ de sanctis & eorum miraculis personarent: cultus vero DEI publicus superstitiosis ritibus maximam partem constaret. Nam in scholis & claustris monachorum Theologia scholastica, in infinitas fere quæstiones partim subtiles, partim curiosas, partim frivolas discerpta regnabat, in subsidium Philosophia Aristotelica vocata: quippe cujus autoritas major quam ipsius S. Pauli fieri cœpit. Theologia enim Apostolica simplex, in artem velut sophisticam redacta erat. Unde nulli aut pauci admodum fructus in Ecclesiam, quam

Pon-

Pontificis R. in regnum sacrum, commutaverant, redundare potuerunt. *Matthæus Parisiis* ad a. 1202. f. 173. memorabile exemplum ejusmodi Magistri seu Doctoris Scholastici refert, qui jactando sapientiam suam, fatuatus est. Albertus Magnus quidem & discipulus ejus maximus Thomas Aquinas, paucique alii S. Scripturam simul exponere aggressi sunt; sed quam jejunæ eorum expositiones sint, quivis mediocriter doctus facile intelligit. Melius in Theologia sapere quidam visi sunt, qui sterilem Scholasticorum Theologiam fastidientes, ad mysticam, ceu vocant, Theologiam dilapsi, culturam interioris hominis tradere cœperunt. Ortum enim suum hanc Theologiam inter Latinos eundem cum Scholastica habuisse B. *J. Thomasius in Schediasm. Hist. p. 52. seqq.* demonstravit. Cæterum vero si *Bzovio ad a. 1270. Sect. 15. & an. 1284. Sect. 19.* fides habenda est, Thomæ Aquinatis Theologia divino miraculo confirmata fuit: voce scilicet crucifixi imagine edita: *Bene de me scripsisti Thoma: quam ergo recipies pro tanto labore mercedem?*

§. 8.

Waldenſes (qui & *Albigenſes*, *Leoniſtæ*, vel *Pauperes de Lugduno* appellantur) puriorem Chriſti doctrinam profeſſi, regnum Anti-Chriſtianum impugnarunt; eaque de cauſa hæreticorum nomine paſſim a Papicolis traducuntur. Nam ut ex eorum confeſſionibus, ipſorumque Pontificiorum teſtimoniis conſtat, pleraque ſuperſtitioſa Papiſmi capita cum idolomania ejus rejecerunt, Scripturam ſacram fidei Chriſtianæ normam tantum admittentes, Romamque *Babylonem* appellantes. Unde communis Pontificiorum querela, eos *blaſphemaſſe Romanam Eccleſiam & Clerum; tum Sacramenta & ſanctos; tandem approbatas conſuetudines eccleſiaſticas:* (ſcilicet Pontificias) *cæterum fuiſſe in moribus compoſitos & modeſtos, caſtos, parcos, qui odiſſent ſuperbiam, mendacia, juramenta & fraudes.* vide *Thuanum de origine Waldenſium lib. V. Hiſtor. & ipſum Bzovium, adulatorem Pontificis R. impudentiſſimum ad a. 1270.*

§. 9.

§. 9.

Interea portentosum *Transsubstantiationis* dogma in Concilio Lateranensi IV. autore Innocentio III. Papa, anno Chr. 1215. habito cap. 1. publice assertum fuit: *Corpus & Sanguinem Christi in Sacramento Altaris, sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem Christi, potestate divina.* Unde decreta superstitiosa facta pro asservanda & adoranda hostia consecrata. Quam superstitionem mox excepit *festum corporis Christi* ab Urbano IV. Papa institutum, quod Clemens V. anno 1311. in Concilio Viennensi confirmavit. *Thomas* autem *Aquinas* ejus officium composuit. Occasionem illi dedisse revelationes Julianæ, virgini Leodiensi factas & sanguinis, ex hostia effluxionem, *Bzovius* in vita Urbani, & alii narrant. Ex eodem *Transsubstantiationis* dogmate error de *communione sub una* enatus. Qui licet nondum lege publica sancitus esset, ab hoc tempore tamen in Ecclesia R. obtinuit; donec in Concilio Constantiensi publice firma-

retur. conf. *Hist. Transsubstantiat. Papalis Johannis Episc. Dunelmensis cap. 4.*

§. 10.

In annum hujus ævi 1256. *Matthæus Parisius Histor. Angl. Maj. f. 806. Novum seu æternum Evangelium* refert: cujus autorem Johannem de Parma, Ordinis Minorum generalem, ferunt. Alii, ut supra *cap. 2. §. 21.* commemoravimus, Cyrillo, Carmelitæ Monacho, alii Joachimo Abbati tribuerunt. Scopum hujus Evangelii fuisse commendare novos Prædicatores Monachos seu *Nudipedales*, quibus illud commissum fuerat, ceu longe perfectius Evangelio Christi, quod homines de spiritualibus & æternis, majori cum autoritate, quam factum esset ab Apostolis, institueret. vid. *Nat. Alexand. Secul. XIII. & XIV. Part. I. cap. 3. art. 4.* Quod Papa secreto, si fieri posset, sine Fratrum scandalo comburi jussit, teste *Parisio l. c. f. 807.* conf. *Heideggeri Histor. Papatus Period. IV. §. 110.*

§. 11.

Græca Ecclesia licet multis erroribus in-

inquinata jam esset; a Romana tamen in articulo de S. Eucharistia dissensit: quando nec Transsubstantiationis dogma, nec hostiæ s. adorationem, nec circumgestationem, nec communionem sub una, nec usum azymorum admisit. Purgatorium etiam & cœlibatum Clericorum improbavit. Innocentius III. Papa quidem scriptis ad orientalem Ecclesiam epistolis sat imperiosis, eam in societatem unionis & ad obsequium perducere laboravit. Enimvero frustra fuisse ipsius & successorum suorum molimina, Græci scriptores ab ipso Leone Allatio, in ficto suo *Consensu* adducti testantur. conf. *Bzovium ad an. 1275. Sect. 3. Recessit Ecclesia* (inquit) *Matth. Parisius in Histor. Maj. f. 386.*) *Græca a subjectione R. Ecclesiæ propter ejusdem varias enormitates, maxime in usuris, Simoniis & aliis injuriis intolerabilibus.*

§. 42.

Quod Hæreses hujus ævi attinet, ipse *Papismus*, seu Papæ R. *Anti-Christianismus* gravissima hæresis fuit, quem *Waldenses* jure meritoque impugnarunt.

Qui propterea a R. Ecclesiæ parasitis, primo loco inter hæreticos collocantur. Nam *Apostasiam* magnam per Anti-Christum jam factam esse, demonstrarunt, multisque martyriis comprobarunt. Non tamen negari potest, fuisse & inter Waldenses & Albigenses, homines absurdos & improbos, qui errores Gnosticorum foverunt, quorum culpam ipsos Waldenses luere oportuit. Quando enim repurgatio Ecclesiæ corruptæ a probis suscepta fuit, semper improbi illis mixti bonum facinus suspectum vel exusum reddidere.

§. 13.

Pontificii scriptores inter *hæreticos* sub initium hujus seculi ponunt *Almaricum*, Clericum Parisiensem & dialecticum peritum; quod constanter asseverasset, quemlibet Christianorum teneri credere, se esse membrum Christi, nec aliquem posse salvari, qui hoc non crederet; non minus quam si non crederet Christum esse natum & passum, vel alios fidei articulos. v. *Rzovium ad an. 1216.* Negavit etiam Transsubstantiationis dogma, co-

eodem *Bzovio teste ad a. 1215. §. 2.* At hanc ob causam, ipsi dicam hæresis scribi non debere, omnes fanioris doctrinæ homines norunt. Si tamen verum est, quod de ejus discipulis traditur, eos docuisse, (1.) potestatem Patris durasse, quamdiu viguerit lex Mosaica: (2.) Christum novam legem condidisse, quæ ad sua tempora pertinuisset, postea cum Sacramentis suis fuisse antiquatam: (3.) Regnum Spiritus S. cœpisse, quo Sacramentis non opus amplius esset, sed sola gratia interiori Spiritus S. absque ullis operibus externis, unumquemque salvari posse; Almarici, inquam, discipuli hæreticorum numero accensendi forent. vid. *Nat. Alex. Sec. XIII. & XIV. c. 3. artic. 2.* Quia vero hi Aristotelis Metaphysica dicebantur abusi, in Synodo Parisiensi libri isti Metaphysici, referente *Roberto Antisiodorensi* monacho, in Chronico, flammis traditi fuerunt.

§. 14.

In Saxonia inferiori, (*Stedingorum* (a Steda vel Stada, urbe sic denominatorum) secta exorta, quæ Dæmone magi-

ſtro uſa, horrenda dogmata ſparſit. Nam blaſphemabant, cœlorum Dominum injuſte Luciferum ad inferos detruſiſſe; hunc vero gloriam ſuam recuperaturum eſſe; non agenda eſſe, quæ DEO placeant, ſed quæ nolit; corpus Domini ſingulis annis, & quidem Paſchali tempore de manu ſacerdotis recipiebant quidem, ſed in ore reſervantes poſtea in latrinam exſpuebant: nocturno tempore extinctis lucernis promiſcuam libidinem exercebant. Hanc ſectam nefandam, Henricus Brabantiæ Dux, & Florentinus Hollandiæ Comes, juſſu Papæ Gregorii IX. ſex millibus eorum cæſis, deleverunt. v. *Alberti Stadenſis Chronic. ad a. 1234. & Cranzii Metropol. lib. 7. cap. 7. & 47.*

§. 15.

In Italia anno circiter 1260. *Flagellantium* ſecta innotuit. Qui nudis ad umbilicum usque corporibus, catervatim per agros & urbes, præeuntibus ſacerdotibus cruces & vexilla geſtantibus, flagellis ſeſe lacerarunt, & ſimul profuſis lacrymis divinam miſericordiam ſollicitarunt,

runt, carnificinam hanc per 33. dies, in honorem annorum Christi in hac vita ærumnosa exactorum, singulis diebus bis exercuerunt, tradentes simul, neminem a peccatis absolvi posse, nisi sectæ suæ nomen daret. Contra illos *Joh. Gerson. tom. I. opp.* tractatum scripsit. v. *Natal. Alex. Sec. cit. c. 3. artic. 5. p. 334.*

§. 16.

His *Circumcelliones*, qui Friderico II. imperante in Suevia fuerunt, adjunguntur. Pontificem R. illi hæreticum, Episcopos & Prælatos Simoniacos appellarunt, multosque in Ecclesia R. abusus & errores notarunt. Videtur, fuisse illos Albigensium propaginem; ac adeo perperam hæreticorum nomine diffamari. v. *Albert. Stadens. Chronic. ad an. 1248.*

§. 17.

Non dissimiles his fuisse puto *Fraticellos*, qui circa exitum hujus seculi, autoribus Petro de Macerata, & Petro de Forosempronio, ordinis minorum apostatis, exorti memorantur. Hi Rom. Ecclesiam carnalem, divitiis pressam, delitiis affluentem, sceleribus maculatam

cum Romano Præsule rejicientes, aliam scilicet spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, (qualem suam esse, dixere) requirebant. v. *Alvarum Pelagium lib. 2. de Planctu Ecclesiæ c. 11.* Quos Bonifacius VIII. damnavit ceu hæreticos. Illi vero in Siciliam fugientes, ibidem post epulas, læti in contemtum Ecclesiæ R. cantarunt: *Exultet Ecclesia meretrix, exultet!* v. *Nat. Alex. Sec. cit. c. 3. art. 10.*

§. 18.

Arnaldus de Villa Nova, Hispanus, in Aragonia fertur hæc nova dogmata sparsisse: (1.) naturam humanam a Filio DEI assumtam, DEO æqualem in omnibus fuisse: (2.) animam Christi divinitati conjunctam omnia sciviſse, quæ scit Deitas; quia unam cum illa personam constituisset; scire autem esse dotem personæ, non naturæ: (3.) Diabolum universum populum Christianum a veritate religionis abduxisse, & Apostasiam a planta pedis usque ad verticem in toto Christi corpore regnare; hinc omnes Christianos in infernum detrudi.

Mul-

Multas is etiam superstitiones Ecclesiæ R. improbavit. Unde incertum, quid de ejus hæresi sentiendum sit. v. *Natal. Alex. H. E. Sec. XIII. & XIV. part. 1. p. 385. seq.*

§. 19.

Beguardos, & *Beguinas* cum *Fratricellis* communia sapuisse, *ex Alvari Pelagii de Planctu Eccles. lib. 2. cap. 51.* constat. Unde vero illorum nomen sit, incertum est. *Carolus du Fresne in Glossar. tom. I. fol. 517.* Beguardorum fuisse virorum, Beguinarum autem fœminarum nomen. Id certum est, ex Franciscanorum ordine eos prodiisse, & a Clemente V. Papa in Concilio Viennensi damnatos fuisse. Tribuuntur illis hi præcipue errores, (1.) quod homo in hac vita talem perfectionis gradum consequi possit, ut reddatur penitus impeccabilis: (2.) quod jejunare non oporteat hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis dictæ assecutus esset; quia tunc sensualitas ita perfecte spiritui & rationi foret subjecta, ut homo posset libere corpori concedere, quic-

quid placeat: (3.) quod homo in hoc perfectionis gradu constitutus, non sit humanæ obedientiæ aut præceptis Ecclesiæ subjectus: Quia, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. (4.) Quod homo in hac vita possit finalem beatitudinem, ut in altera beata vita, obtinere. v. *Natal. Alex. Sec. cit. c. 3. art. II. p. 381. seqq.* & *du Fresne Glossar. l. c. Natal. Sec. cit. pag. 361.* asserit, eos Petrum Jo. Olivi ordin. FF. Minorit. professorem, ceu patriarcham, secutos esse.

§. 20.

Guilielmi de S. Amore liber de Periculis novissimorum temporum, quo Prædicatorum & Minorum ordines perstringit, etiam turbas excitavit; quia Monachos mendicantes reprehenderet, tum quod laborare nolint, tum quod hypocritæ sint, quærentes perfectionem in mendicando: item quod non vocati, omittere prædicationem debeant. Taxabat etiam R. Ecclesiam, quod tot mendicantium ordines toleraret. Ideo Alexander IV. Papa librum Guilielmi damnavit. v. *Nat. Alex. l. c. art. 7. p. 334. seq. & B. D. Kortholdi H. E. Sec. XIII. p. 523. seq.*

§. 21.

§. 21.

Disciplinam Cleri corruptissimam fuisse, omnes fere hujus ævi historiæ scriptores testantur; cum accusant in electionibus Episcoporum Simoniam, fraudes; in disciplina carnificinam & excommunicationes ipsorum Imperatorum injustas; cleri avaritiam; malas artes in colligendis vel rapiendis opibus; luxum in vita; ambitionem in affectandis dignitatibus; nundinationes indulgentiarum, concubinatum, scortationes & adulteria ob cœlibatus legem. *Prostibula publica*, inquit Durandus Mimatensis Episcopus (*in tractat. de modo celebrandi concilii General.*) *palam habita prope ecclesias, prope palatium Domini Papæ, & prope domos Prælatorum.* Graphice *Matthæus Parisius* corruptum Ecclesiæ statum *in Historia Majori* hujus, multis in locis delineat. *Hugonis etiam*, scriptoris hujus seculi, glossa non ignota est; *Diabolum olim duas habuisse filias, avaritiam & luxuriam: avaritiam elocasse Judæis, luxuriam ethnicis. Cæterum jam Clericos utrisque illorum suas sponsas eripuisse, solos-*

que velle sibi proprias utramque habere. Et super Psalm. 77. scribit: *Multi Clerici sunt progenies viperarum. Fœtus enim interficit matrem, quando nascitur.*

§. 22.

CONCILIA & SYNODI quidem multæ per Italiam, Galliam, Germaniam & Britanniam habitæ, quæ *tom. XI. part. I. edit. recentis* memorantur; sed in illis parum aut nihil de doctrina Christi, & disciplina Ecclesiæ sanctiori reducenda actum. De Albigensibus vero exstirpandis, de expeditionibus cruciatis, de dominio & imperio Papæ, de excommunicandis Principibus ipsi inobedientibus, de Monachorum novis ordinibus stabiliendis, & de idolomaniis firmandis, decreta leguntur facta. Inter illa tria a Romanensibus œcumenica numerantur velut præcipua, *Lateranense IV. Lugdunense I. & Lugdunense II.*

§. 23.

Lateranense IV. Romæ in Laterano Innocentius III. Papa an. 1215. convocavit, ut Hierosolyma a Saracenorum jugo iterum

rum liberaretur. Si vero quis acta & eorum eventum attendit, alias subsuisse causas patet. Quarum præcipuæ, Pontificis opes & tyrannidem stabilire ac Waldenses exstirpare: deinde portentosum *Transsubstantiationis* dogma & confessionem auricularem publica velut lege sancire. Convenerant 412. Episcopi præter Patriarchas Græcos, inter quos duo, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus præcipui. Primates vero & Metropolitani 77. Abbates & Priores ultra octingentos; Procuratores quoque Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum & Capitulorum absentium tantus non fuit numerus. Legatorum vero Imperatoris Constantinopolitani, Regis Siciliæ in Rom. Imperatorem electi, R. Franciæ, R. Angliæ, Hungariæ, Hierosolymitani, Cypri, Arragonum, nec non aliorum principum & magnarum civitatum ingens adfuit multitudo. His omnibus congregatis, præsidente Papa 60. capitula fuerunt recitata, quæ, ut Matthæus Parisius loquitur, aliis placabilia, aliis videbantur onerosa

sa. v. *Matth. Parisii Hist. Angl. Major. ad ann. 1215. f. m. 228. seqq.* Decreta hujus Concilii maximam partem quinque libris Decretalium Juris Canonici inserta a Pontifice sine prævia Concilii deliberatione profecta esse, *Matthæus Parisius* haut obscure testatur. Integra illa extant *tom. I. opp.* Innocentii III. *Platina* in hujus vita scribit: *Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam aperte potuit. Capit.* tamen 21. decretum: *Ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur, idque faciat solus & fideliter, idque saltem semel in anno, & proprio sacerdoti, ac postea injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.*

§. 24.

Lugdunense I. quod vulgo *Oecumenicum XIII.* appellatur, Innocent. IV. Papa anno 1245. reclamante licet Imperatore Friderico II. indixit: ut Imperatorem tyrannidi suæ obnitentem, Imperii dignitate privaret. Quanquam Papa religionem & Ecclesiæ curam in epistola con-

convocatoria apud *Matth. Parisium fol. 376.* prætenderet. Confluxerant Archi-Episcopi & Episcopi præter Cardinales 140. & duo Patriarchæ, Constantinopolitanus & Antiochenus ex Græcis, Imperator quoque Constantinopolitanus & aliorum Principum legati. In hoc Papa Imperatorem diris devovit: Expeditiones cruciatas in Palæstinam, & alia capitulis XVII. decrevit. v. *Matth. Parisii Histor. Maj. Angl. ad annum 1245. fol. 576. seqq.* De constitutione circa festa per annum celebranda ibidem facta *D. Chemnitius Exam. Concil. Trident. fol. 815.* agit.

§. 25.

Lugdunense II. Gregorius X. Papa an. 1274. ideo celebravit, ut postulante Michaele Palæologo, invasore Imperii Constantinopolitani, concordiam inter Græcam & Romanam Ecclesiam reduceret. Episcopos circiter quingentos convenisse & præsentibus Jacobo Arragonum Rege, legatisque Michaelis Imperatoris, cum *Græcis Georgio* Acropolita, Theophane & aliis de unione dicta delibe-

liberasse, tandemque cum minis, tum blanditiis, a Michaele & Græculis obtinuisse, ut hi Romanæ Ecclesiæ obedientiam jurarent, ac dogma de processione Spiritus S. ex Patre *Filioque*, tantopere hactenus controversum mitterent. Sed Græci illam transactionem, se inconsultis, & invitis factam, repudiarunt. Unde novi in Ecclesia Græca motus. De quibus vide *Pachymerem l. 6. & Nicephorum Gregoram l. 5. f. m. 111.* ubi Mich. Palæologum hac de causa excusat atque laudat. *Allatius* vero frustra est, qui perpetuum inde utriusque Ecclesiæ consensum *lib. 2. c. 15.* evincere laborat. confer *D. Kortholdi Hist. Eccl. Secul. XIII. p. 540. seqq & Natal. Alex. Histor. Eccles. Secul. XIV. part. 3. dissert. 7.* De jure Regaliæ, quæ hic acta, idem *part. 3. dissert. 8. artic. 5.* disputat.

§. 26.

REGIMEN ECCLESIÆ, quod in tyrannidem absolutissimam degenerarat, penes solum Pontificem R. stetisse, supra jam multis argumentis confirmatum fuit. Itaque ut illo, Pontifices hoc

ævo

ævo perfuncti sint, paucis memorabimus. *Honorius IV.* (aliis III.) jus Pontificium novis additis canonibus seu decretis auxit, idque observare & in scholis docere jussit. v. *l. V. Decretal. tit. 33. de privil.* & *excess. cap. super specula, ne Cleric. vel Monach. Gregorius IX.* Fridericum II. Imper. excommunicavit, & extinctis candelis ipsum Juda & Nerone pejorem declaravit. v. *Matth. Paris. ad a. 1228. Cranz. Metrop. l. 7. c. 52. f. 291. seqq. & Albert. Stadens. p. m. 37. Innocentius IV.* tyrannidis Pontificiæ assertor acerrimus, Fridericum II. Imper. jam diris devotum, etiam Imperio exuere molitus est, cujus sententia in eum lata extat *cap. ad Apostol. de Sentent. & re judic. in 6. Decret. l. 11.* Atheismus quidem huic Friderico impingitur; sed *P. de Vineis l. 1. Ep. 32.* ab hoc scelere eum purgat. Henricum R. Angliæ suum vasalium dixit apud *Matthæum Parisium* ad a. 1253. R. Galliæ Ludovico titulum *Christianissimi* confirmavit, quod expeditionis sacræ caput constitutus esset. Successor illius *Alexander IV.* Manfredum Siciliæ Regem tanquam Eccle-

siæ

siæ spoliatorem excommunicat, & Boleslaum R. Poloniæ eodem fulmine percussum turbis involvit regni. v. *Platin. in ejus vit. & Cromerum lib. 9. p. 235.* CLEMENS IV. ex milite Pontifex, Carolum Andegavensem adversus Manfredum, Friderici II. Imp. filium naturalem, excitavit; & hoc interfecto Conradinum, cui regnum debebatur, excommunicavit, ac in prælio captum capite plecti suasit. v. *Collenutii Hist. Neapolit. l. 4. & Aventin. f. 549.* Controversiam de Imperio Germanico tempore *Interregni* ad se pertinere contendit. *Gregorius X.* cum sedes Romana ultra duos annos vacasset, electus Pontifex, in Concilio Lugdunensi, bellum sacrum contra Saracenos imperavit, plenariam remissionem peccatorum omnibus crucem assumentibus in hoc bello promittens. v. *Blondum l. 2. decad. 8.* confer. *Fr. Carriere Digest. Chronolog. Pap. p. 66.* Autor is etiam *Conclavis*, quo Pontifices eligi debeant, habetur. *Bonifacius VIII.* qui intravit *ut vulpes, vixit* (regnavit) *ut leo, mortuus est ut canis*, vel juxta versificatorem veterem:

Vul-

Vulpes intravit, tanquam leo pontificavit,
Exiit ut canis de divite factus inanis.

v. *Langii Chronic. Citiz. ad ann. 1294. & Matth. Weſtmonaſter. pag. 447.* Propter auri ſacram famem, *Jubileum* ceu feſtum ſeculare celebrandum inſtituit. vid. *Aventin. lib. VII. Volaterran. lib. 22.* Uno die in habitu Pontificali, altero imperatorio ſe conſpiciendum præbuit, dicendo: *Ecce duo gladii hic ſunt.* v. *Cranzii Saxon. lib. 6. cap. 36. In Extravag. comm. lib. 1. de Major. & Obed. cap. 1. ſe dominum mundi* jactavit. confer. *Nat. Alex. Secul. XIII. & XIV. part. 1. pag. 142. ſeqq.* Faſtum ſtolidum homini exprobravit Philippus, *Galliæ* Rex, epiſtola ad eum data: *Philippus, DEI gratia, Francorum Rex Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice, ſalutem modicam ſive nullam: Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, Eccleſiarum & præbendarum collationem ad nos jure regni pertinere, ſecus autem credentes fatuos & dementes reputamus.* v. *Steron. Annal. pag. 404. & Boetium Eponem de Jure Princip.*

an

in Benefic. Eccleſ. l. 1. c. 1. Plura ex Scriptoribus vitar. Pontific. R. hic annotare non vacat; cum hæc ſpeciminis loco de tyrannide Pontificum ſufficere queant. confer. *Heideggeri Hiſtor. Papatus Period. IV. §. 101. ſeqq.*

§. 27.

De iis, quæ ad Eccleſiæ curam aut ſtatum, vel *ceremonias* propius ſpectare videntur, pauca ex iisdem autoribus adhuc adducemus. Sub Pontificatu Innocentii III. Papæ, *Dominicus* Calagurenſis Hiſpanus, & *Franciſcus Aſſiſius* Italus, auctores novorum ordinum monaſticorum fuere: Ab *illo Prædicatores*, die Prediger-Mönche / ab *hoc* Minoritæ, die Barfüßer-Mönche / ortum trahunt, v. *Polydor. Virgil. de Invent. l. 7. c. 4. Uſſer. de Eccleſ. Succeſſ. cap. 9. num. 9. ſeqq.* Honorius IV. Papa horum ordines confirmavit. v. *Platin.* in ejus vita. Inter hos æmulatio ſanctitatis affectatæ fuit: Dominicanorum ordo prævaluit autoritate. Nam Dominico non tantum munus *prædicandi* adverſus Waldenſes, ſed & *inquiſitionis*, quod ſanctum vocant,

cant, *officium* commissum fuit, quo, ex eo tempore, in Hispania & Italia perfungi soliti sunt. *Franciscus* autem sanctitatis laudem obtinuit, quod Christi crucifixi stigmata ipsi per miraculum impressa, fabulantur: Unde per blasphemiam *Christus Typicus* appellatus est. Dominicus autor *Rosarii*, sive Psalterii B. Virginis habetur, quo salutatio Angelica 150 vicibus ad imitationem Psalmorum Davidis repetitur. De cujus virtute mira narrant monachi. Gregorius IX. hos novæ superstitionis patriarchas inter Divos retulit, teste *Alberto Stadensi in Chron. & Cranzio in Sax. l. 4. & Metrop. l. 7. c. 45. Hotting. H. E. c. 13. p. 462.* Antonius de Padua, Ulyssiponensis, frater ordinis Minorum, qui Patavii Theologiam professus est, a miraculis celebratur patratis, quæ *Franc. Mendoza Viridar. lib. 6. orat. 11. & 12.* narrat. Alexander IV. Papa excommunicationis fulmine terret, qui Dominici & Franciscí ordines, libellis famosis impeterent. De miraculis Franciscí & Dominici v. *Hotting. ἐδηγὸν, Part. 2. p. 266.*

§. 28.

§. 28.

Librum confirmatum, in quo conformitates vitæ S. Franciſci, ad vitam JESU CHRISTI Domini noſtri blaſpheme conferuntur, Gregorius IX. ſub pœna hæreſeos adprobandum declarat. Prodiit ille Bononiæ ann. 1589. Innocentius IV. ſtatuit, *honeſtandi ordinis gratia*, ut Cardinales, *rubro galero & equo phalerato* uterentur. v. *Volaterran. l. 22. Polydor. Virgil. de invent. lib. 4. cap. 9.* & *Bzovium ad ann. 1297. n. 9.* Sed Cœleſtinus V. poſtea conſtituit, ne deinceps Papa vel Cardinales veherentur equis & mulis; ſed tantum aſinis, dicens: *JESUS CHRISTUS, filius DEI, humilis aſini dorſo vectus eſt, cujus nos imitatores eſſe debemus, teſte Langio in Chronic. Citiz. p. 817.* Feſtum etiam nativitatis S. Mariæ quotannis celebrandum inſtituiſſe fertur apud Platinam. Quanquam Baronius in Martyrologio Rom. d. 8. Sept. quo tempore inſtitutum ſit, ſe nondum reperiſſe fatetur. *Urbanus IV.* ſuaſu Thomæ Aquinatis *Feſtum corporis Chriſti* inſtituit, quod Clemens V. ex quorundam ſanctulo-

lorum revelatione anno 1311. in Concilio Viennensi confirmavit. v. *Onuphr. Panvinium ad Platin. pag. 203.* Purgatorium & Transsubstantiationis dogma, fictis visionibus & adparitionibus animarum separatarum, comprobare non erubuerunt. vid. *Hotting. H. S. cap. 13. p. 447. seqq.* Effigies vultus Domini, quæ *Veronica* dicitur, ejusque sudarium superstitionem Romanam auxit, apud *Hotting. l. c. pag. 456.* Confessio auricularis etiam ficto miraculo apud *Hottingerum H. S. c. 13. pag. 465.* comprobata legitur. Ibidem aquæ lustralis virtus contra diabolum lepida fabella adstruitur. De reliquiarum inventione *Bzovius* narrat ad ann. Chr. 1219. s. 29. ad ann. 1220. s. 21. nec non ad ann. 1257. s. 18. item ad ann. 1263. s. 17. 1269. s. 10. & ann. 1279. s. 19. *Hotting. l. c. p. 479.*

§. 29.

PERSECUTIONES hoc ævo Waldenses seu Albigenses imprimis, dirissimas sustinuere, quæ utramque fere paginam in hujus seculi historiæ parte faciunt. vid. *D. Kortholdi Hist. Eccl. Secul.*

XIII. pag 501. ideo Hugo in Postill. super c. 2. Johannis, Bernhardi conquerentis verba, ad hæc tempora aptat: *Videtur, bone Jesu, contra te conjurasse universitas Christianorum, & illi in persecutione tua primi sunt, qui in Ecclesia tua videntur primatum tenere, & gerere principatum.* Ipsis Latinis in expeditionibus cruciatis in Orientem susceptis, *Nicetas Choniates p. 270. seqq.* exprobrat varia crudelitatis genera, quibus in Byzantinos Christianos grassati sunt; cum interim Saraceni & Turcæ in Oriente Christianos affligerent, multisque in locis exstirparent Ecclesiam. *Mamaluchi* etiam Ægyptum invadentes, circa medium hujus seculi Christianos vel ad apostasiam compulerunt, vel misere trucidarunt. *Tartari* ex Scythia prodeuntes, armis prolatis in Europam, Christianorum calamitatem auxere. vid. *Cranz. Metropol. l. 8. c. 9. & Cromerum l. 8. & 9.* In Germania Pontifices Rom. interregni magni præsertim tempore, omnia turbarunt. vide *Lehmanni Chronic. Spirens. lib. V, cap. 95.*

§. 30.

§. 30.

Memorabilia, si fabulas de miraculis a Bzovio in Annalibus hujus ævi consarcinatas referre, pretium operæ foret, tot ac tanta essent, ut compendio comprehendi nequeant. Nos instituti nostri memores, vel tribus verbis tantum potiora designabimus: (1.) Francorum Imperii finis in Oriente, post expugnatam an. 1104. a Balduino, Comite Flandrorum, Constantinopolin: id enim Michael Palæologus Comnenus an. 1261. recuperavit. (2.) Expeditiones cruciatæ, classicum canentibus Romanis Papis, in Orientem crebro nullo Christianitatis fructu susceptæ: Similes expeditiones etiam Waldenses & Albigenses afflixerunt. (3.) *Officium Inquisitionis* contra Albigenses ab Innocentio III. institutum & a successoribus ejus confirmatum. In quo sola delatio vel accusatio hæreticum fecit, qui nulla concessa defensione, ad supplicium inprimis vivicomburium rapiebatur vid. *Directorium Inquisitionis a Francisc. Pegna editum & Bzov. ad an. 1235.* (4.) *Vesperæ Siculæ*, qui-

bus Galli tota Sicilia an. 1282. secunda Paschatis feria, signo campanæ circa vesperam dato, horrenda internecione deleti sunt. (5.) Judæorum tota Gallia ejectio, edicto Ludovici IX. & Philippi Pulchri facta. (6.) Fabula de Judæo, inde a tempore passionis Christi vagabundo, & expectante Christi adventum ad judicium, cui nomen *Joseph. apud Matth. Parisium ad an. 1228. f. m. 296.* (7.) Jubileum a Bonifacio VIII. primum an. 1300. publicatum, quo plenaria indulgentia omnium peccatorum visitaturis limina SS. Apostolorum Petri & Pauli, centesimo quoque anno promittitur. (8.) Conversio Prussorum gentilium, & eorum per Crucigeros equites defensio. vid. *Cranz. Wandaliam l. 7. c. 21.* (9.) Translatio ædiculæ B. Virginis, in qua Filium DEI concepit, per Angelos ex urbe Nazareth primum an. 1291. in Dalmatiam & inde an. 1294. in Picenum, provinciam Italicam, ac tandem ex colle, in publicam agri viam collocatæ. Fabulam hanc *Berneggerus in tractatu, de Idolo Lauretano* examinat. (10.) Philosophia Ari-

Aristotelica hoc seculo in scholis regnare cœpit. v. *Launoji de var. Aristot. Fortuna c. 4 seqq.* (11.) Æræ Alphonsinæ in Hispania an. 1252. cujus autor Alphonsus X. initium. (12.) Osmannicæ apud Turcas familiæ regnatricis primordia, in annum circiter 1272 incidentia: quo tempore etiam Rudolphus Habsburgicus Imperator domum Austriacam regnatricem fundare cœpit. (13.) Epistola cœlo an. 1200. delapsa Hierosolymis, qua sanctificatio diei Dominicæ præcepta, apud *Matth. Parisium Hist. Angl. f. m. 168.* Sed Raynaldus ad an. 1201. n. 34. fabulam esse probat.

§. 31.

In hujus ævi historia fœdam ac corruptissimam Ecclesiæ faciem velut summatim observare licet; quando nihil fere ex antiquæ Ecclesiæ Apostolicæ simplicitate ac puritate reliquum esset, præter symbola fidei Christianæ, & Sacramenta superstitiosis ritibus contaminata. Doctrina enim in scholis, philosophicis tricis & quæstionibus involuta fuit; cultus DEI publicus fœda superstitione &

Idolomania inquinatus; disciplina per mores Cleri corruptissimos neglecta jacuit; dominatus vero tyrannicus Pontificum R. omnia turbavit, atque dum Imperatores, Reges ac Principes Christianos ad bella sacra incitarunt, præcipua interea eorum cura fuit, potentiam tyrannicam iis absentibus extendere. Paucis: *Regnum tenebrarum fuit*; in quo pars major hominum Anti-Christo magis, quam Christo servire coacta est. Miseri Waldenses, qui Christianam simplicitatem reducere, jugumque Babelicum excutere laborabant, paria cum Martyribus olim sub Gentilismo, fata experiri necessum habuerunt; cum tempus liberationis, ob peccata hominum, differre DEO visum esset.

PERIO-

PERIODI IV.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,
CAPUT IV.
De
Sec. XIV. Hist.

§. 1.

NOn lætiora hoc, quod ordimur, seculo tempora fluxerunt. Nam in Oriente invalescens Turcarum tyrannis Ecclesiam fere oppressit: in Occidente simul cum tyrannide Pontificia subinde latius grassante, idolomania, superstitiones in Ecclesia, & Scholasticorum ac Monachorum barbaries in claustris & Scholis regnarunt. Inter quos tamen ipsos, graves contentiones cum de perfectione vitæ tum de placitis scholasticis exortæ sunt. Sed *Joh. Wiclefus* non dubitavit Ecclesiæ Romanæ fœdos errores cum voce tum scriptis publicis impugnare, Papamque ipsum Anti-Christum appellare. Unde qui cum illo per Angliam, Germaniam & Bohemiam post medium hujus seculi fecere, *VVicleſitæ* vo-

cati sunt. Quorum nomen in curia Romana execrabile fuit.

§. 2.

Scriptorum autem ac Doctorum Scholasticorum magnus quidem numerus est, sed qui in sectas disgregati magis de nugis scholasticis, quam de solida fidei doctrina vitæque Christianæ regulis, inter se concertarunt. Horum, qui celebriores extiterunt, nomina paucis memorabimus.

§. 3.

Apud Græcos claruerunt 1.) *Theodorus Metochita*, cui *compendium historiæ Rom. a Meursio editum vulgo tribuitur*, qui & Historiæ Sacræ libros 2. & Hist. Constantinopol. librum unicum apud se MSC. extare testatur. (2.) *Nicephorus Callistus*, *Monachus*, *Historiam Ecclesiasticam* ex Eusebii Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii, aliorumque monumentis conscripsit. Quam Is. Casaubonus ob fabulas aniles admixtas parvi æstimat; licet Pontificiis vulgo pluris fiat. (3.) *Barlaam*, gente quidem Calaber, ordinis S. Basilii monachus, sed qui ad Græcos transiens Primatum Papæ

&

& Latinos acriter impugnavit. vid. *L. Allat. de Consens. l. 2. c. 17.* Deinde Græcis monachis, qui *Hesychastæ* appellantur, dicam hæreſis ſcripſit. (4.) *Matthæus Hieromonachus*, Blaſtares dictus, Syntagma canonum conſcripſit, quod cum notis Beveregii, in *Pandectis Canonum* an. 1672. prodiit. (5.) *Johannes Cantacuzenus*, ex nobili Byzantino an. 1341. Imperator Conſtantinopolitanus, & poſtea ex Imperatore Monachus factus, *Hiſtor. Byzantinam* cum notis Pontani editam Pariſiis an. 1645. reliquit. (6.) *Nicephorus Gregoras*, ſeu potius Gregoræ filius, *Hiſtoriæ Byzant.* libros XI. ſcripſit, de qua *Lipſii Politic. lib. 1. c. 9. §. 12.* judicium extat. (7.) *Gregorius Palamas*, Epiſc. Theſſalonicenſis duos λόγους ἀποδεικτικοὺς *de Proceſſ. Spir. S.* ſcripſit ap. *Allat. de Conſ. lib. 2. c. 16. §. 4. qui* σύγχρονον ejus *Demetrium Cydonium lib. cit. c. 18. §. 2* memorat autorem libri de dogmatibus Gregorii Palamæ. (8.) *Nilus, Metropolita, Rhodius*, de Sanctis Synodis œcumenicis *Enarrationem* ſynopticam reliquit, quæ *tom. II. Biblioth. Jur. Canon. Juſtelli pag. 1155.* extat.

(9.) *Georgius Codinus*, Curopalata, librum de Officiis Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolitanæ cum notis Gretseri Parisiis anno 1625. editum reliquit. (10.) *Maximus Planudes*, Monachus Gr. de Processione Spir. S. opusculum scripsit apud *Allatium dissert. 2. de libris Eccles. Græc.* (11.) *Manuel Chrysoloras*, nobis Byzantinus, Epistolas de comparatione V. & N. Romæ Codino subjunctas scripsit: item *Quæstiones Grammaticales*. Hic post 700. annorum barbariem in Italia studium Gr. literarum excitavit.

§. 4.

Inter *Latinos* Scriptores *Duns Scotus*, Doctor *subtilis* appellatus, ordinis Minorum monachus, circa initium hujus seculi, *Theologiam Scholasticam* juxta ductum Lombardi, & Philosophiam Aristotelicam in Schola Parisiensi professus, primum de *immaculata B. Virginis conceptione* dogma defendit, & Thomæ Aquinatis ac Bonaventuræ placita ad limam revocavit. Hinc *Thomistarum & Scotistarum* nomina quæ scholas postea jurgiis impleverunt. Opera

ra Scoti, Lucas Waldingus in 2. tomos digesta Lugduni an. 1639. publicavit. confer *Natal. Alex. H. E. Sec. XIV. part. 1. p. 586.*

§. 5.

Franciscus Mayronius, gente Gallus, discipulus Scoti, Doctor *acutus*, aliis *illuminatus* dictus, *Quodlibetica*, *Formalitates* & in IV. libros Sententiarum commentarios scripsit. Opera ejus Venetiis aliquoties impressa sunt. Ipse morem in Sorbonna invexit, quo singulis diebus Veneris, æstivo tempore ab ortu solis ad occasum sine ulla requie, sine ullo pastu & potu, sine ullo præsidis auxilio, ab uno respondente contra multos opponentes disputatur, vid. *Cave Hist. lit. Append p. 15.*

§. 6.

Nicolaus de Lyra, sive *Lyranus*, Anglus vel potius Normannus, ex Judæo Christianus, Doctor *planus & utilis* appellatus, *Postilla perpetua*, seu *brevia commentaria in universa Biblia* scripsit, quæ Bibliis Glossatis Duaci an. 1617. & Antwerp. an. 1634. inserta sunt. v. *Bellarmin. de Script*

Eccl. p. 369. De hoc vulgo dicitur; *Si Lyra non lyrasset, totus mundus deliraſſet.* Vel ut Pontificii ajunt: *Si Lyra non lyraſſet, Lutherus non ſaltaſſet.* Ipſe Lutherus in *cap. II. Geneſ.* eum inter optimos Scripturæ interpretes ponit.

§. 7.

Petrus Aureolus, Gallus, Doctor *Facundus* appellatus, in Schola Pariſienſi docens in IV. libros Sententiarum, *commentarios*, *Quodlibetica*, *Breviarium Bibliorum*, & tractatum *de immaculata conceptione B. Virginis* & alia conſcripſit. Σύγχρονος ejus fuit *Johannes Baſſolis*, Scotus, Doctor *ordinatiſſimus* dictus, Duns Scoti diſcipulus, ob ingenium præceptori tanti æſtimatus, ut ipſo præſente in auditorio diceret: *En adjutorium*; In libros IV. ſententiarum etiam commentarios compilavit.

§. 8.

Durandus a S. Portiano, Gallus, Epiſcopus Meldenſis, Doctor *Reſolutiſſimus* appellatus præter commentarios in IV. lib. Sentent. librum de *Origine Jurisdictionum* reliquit, quem Bellarminus laudat: quia

eccle-

ecclesiasticam Papæ Jurisdictionem defendit.

§. 9.

Celebrior est *Guilielmus Ocham*, sive *Occam*, Anglus, Doctor *singularis & venerabilis inceptor* dictus, quem Jacobus Gaddius *de Script. non eccles. tom. 2. pag. 122.* inter *maxima & portentosa ingenia* refert. Hic primum Duns Scoti discipulus, sed postea acerrimus ejus antagonista, in Parisiensi Schola docuit, & Philippi Pulchri, Galliæ R. partes adversus Bonifacium Papam tutatus est. Interfuit conventui Minoritarum Perusii ann. 1322. habito: quo unanimi Franciscanorum suffragio definitum est: *Christum & Apostolos nil aut proprium, aut in communi possedisse*, asserere, hæreticum non esse, prout credi voluit Johannes Papa. Pro Ludovico IV. Bavaro Imp. adversus Pontificem etiam calamum strinxit, docens Imperatorem nulli, nisi DEO, in temporalibus subesse. Vox ejus ad Imperatorem fuit: *Tu me defende gladio; & ego te defendam calamo*, *Aventin. l. 7. f. 609.* Opera ejus multa Waldingus *de Scriptor.*

Ordin. Minor. pag. 155. recenſet. Ab hoc ſecta inter Scholaſticos celebris, *Occamiſtarum & Nominalium*, nomen habet. confer *Catal. Teſt. Verit. l. 18. fol. 1718.*

§. 10.

Huic ſubjungimus *Marſilium Patavinum*, Philoſophum inſignem ac Ludovici IV. Imper. conſiliarium, qui *Defenſorem Pacis*, & de *Tranſlatione Imperii* ſcripſit. Inviſus valde Pontificiis ſcriptor; quia Pontificem R. Imperatori ſubjicit, ac curiæ Romanæ faſtum & luxuriam reprehendit. Opera ejus in *tom. 2. Goldaſti de Monarch.* & etiam ſeorſim extant. v. *Flac. Catal. Teſt. Verit. l. 18. f. 1758.*

§. 11.

Johannes Wicleſus, Anglus, Philoſophus & Theologus inſignis, vitæque ſanctimonia præſtans: qui in Oxonienſi Academia Theologiam docens, an. 1360. curiæ Rom. vitia inolita falſaque Eccleſiæ dogmata oppugnavit. Quo ipſo apud bonos gratiam iniit, cleri autem invidiam incurrit. Innumera is fere Latino ac vulgari idiomate Anglicano opuſcula ſcripſiſſe dicitur. vid. *Flac. Catal.*

tal. Test. Verit. l. 17. f 1814. & Cave Hist. lit. Append. f. 50. seqq. Opera ejus cum versione Bibliorum MS. Oxoniæ in Bibliotheca asservantur. Discipulos ille multos reliquit, qui *Wiclefita* appellati, Pontificiorum hoc & sequenti ævo iras & anathemata sustinuerunt.

§. 12.

Johannes Taulerus, Germanus, ordinis Dominicani monachus, qui circa an. 1350. Coloniæ & Argentorati scriptis pietate plenis innotuit. Extant ejus conciones & alia opuscula, quæ omnia pietatem spirant, & a Luthero hoc nomine insigniter commendantur *in Epist. 107.* ad Georgium Spalatinum; it. *tom. 1. Jen. Lat.* laudantur. confer *Catal. Test. Verit. Flac. l. 18. f. 1767. seqq.*

§. 13.

Johannes Ruysbrochius, gente Belga, Doctor *divinus*, & a Dionysio Carthusiano *alter Dionysius Areopagita* appellatus est; quod circa medium hujus seculi Theologiam *mysticam* excoluit, & a sterili Scholasticorum Theologia homines ad cultum DEI interiorem, seu vitam spiritu-

ritualem & pietatem perducere laboravit. In scriptis ejus, quæ Coloniæ anno 1502. & 1609. prodierunt, stylus obscuritatis arguitur. Sed qui Scholasticorum styli illuviem cum illo contendit, forte de isto mitius sentient. v. *B. J. Thomasii Schediasm. Hist. p. 65.*

§. 14.

Thomas Bradwardinus, Anglus, Doctor *profundus* appellatus, Oxonii primum docuit: deinde Eduardo III. Regi Angliæ a confessionibus sacris fuit, *de Causa DEI, & de veritate causarum, contra Pelagium libros 3.* scripsit, Londini an. 1618. editos. Plura ejus opera *Balæus Cent. V. pag. 87.* recenset.

§. 15.

Omissis aliis, qui gregi Scholasticorum Theologorum accensentur, & *a Bellarmino, Labbeo, Genebrardo pag. 691. 700. 707. seqq. & a Natale Alex. Hist. Eccl. Sec. XIII. & XIV. part. 1. c. 5.* recensentur; duas adhuc fœminas hoc seculo celebres memorabimus. Una est *Brigitta*, gente Svecia, regio sanguine prognata, quæ ob pietatis studium, soluto matrimonio, in

quo

quo septem liberos genuerat, vitam monasticam amplexa est, & an. 1350. Romam venit, *librosque VIII. Revelationum*, ac alia opera scripsit, quæ Norimbergæ an. 1521. Romæ & Coloniæ an. 1628. ac Monachii an. 1680. impressa prostant. Altera est *Catharina Senensis*, Itala, Senis an. 1547. nata, quæ perpetuo virginitatis voto se DEO obstrinxit. Monachi illam divinis visionibus & miraculis fuisse celebrem narrant. Ideo a Pio II. Pontifice inter sanctas relata. Extant ejus *dialogi de Providentia DEI*, *Epistolæ*, *Orationes*, alii tractatus. v. *Cave H. lit. App. f. 60.* utriusque fœminæ donum suspectum videtur; quod cum alia absurda dogmata, tum quod sibi illæ invicem contradixerint, probant. Nam *Brigitta* B. Virginis Mariæ conceptionem *immaculatam*; Catharina vero *maculatam* ex revelatione statuit.

§. 16.

Inter *historicos* hujus ævi clariores apud Latinos sunt, *Franciscus Petrarcha*, Italus, Philosophus etiam insignis & Ora-

Orator: Qui de *Remediis utriusque Fortunæ lib. 2. multos dialogos*, & præter tractatus politicos ac Epistolas, *Rerum memorandarum lib. 4. & Epitomen vitarum virorum illustrium* reliquit, vid. *Jac. Philipp. Thomasinum in Petrarcha Redivivo*, Patavii an. 1650. edito. Cæteri historici Latini, ut *Suffridus*, Presbyter Misenensis; *Eberhardus*, Archi-Diaconus Ratisbonensis; *Marinus Sanudo*, cognomento *Torsellus*, Venetus; *Matthæus Mareschalcus de Pappenheim*; *Petrus de Duisburg*; *Lupoldus Germanus*, nobilis de Bebenburg; *Johannes de Bek*; *Albertus de Argentina*; *Matthæus*, Westmonasterienſis monachus, vulgo *Florilegus* dictus, partim in *Pistorii*, *Urstisii* & *Freheri* tomis de *Script. German.* partim seorsim extant excusi. Nobis ad alia properandum est, cum primum *Dantem Aligerium* Italum allegaverimus, quem *Paulus Langius* vatem & Theologum secularem vocat. Vir certe prudens fuit, qui vitia seculi notavit, & de officio Papæ & Imperatoris prudenter scripsit.

§. 17.

§. 17.

Doctrinæ purioris ſtudium jamdiu ab Eccleſia exulaverat, & ſalebroſis ſcholarum nugis locum ceſſerat. Unde *Scotiſtæ* impugnarunt *Thomiſtas*; ab utrisque *Guilielmus Occam* cum *Nominalibus* ſuis ſequacibus diſſentiebant. Et dum ſacerdotes Juris Canonici ſtudio incumberent, ut ad majores in Eccleſia dignitates adſpirarent; Monachi imprimis Mendicantes Theologiam tractarunt ac apud populum gratiam inierunt majorem, jactantes perfectiorem vitæ ſtatum. Unde Sacerdotes ſeculares inter & Fraterculos iſtos, multæ contentiones ortæ. Quanquam inter ipſos deinde Monachos, qui ſe *Spirituales* appellarunt, jurgia autore *Petro Joanne de Oliva*, Ordinis Franciſcani, exorta ſunt, quæ Pontificum bullæ promulgatæ extinguere non valuerunt.

§. 18.

In his caligentis Eccleſiæ tenebris, DEUS *Johannem Viclefum* excitavit, qui cum primum Symbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam & Decalogum ex-

expoſuiſſet; Papatum ipſum ſtrenue impugnavit, demonſtrando in Eccleſia Chriſti non requiri ſupremum Epiſcopum, qui ſe caput ferat Eccleſiarum omnium, ac dominatum in ipſos etiam Principes exerceat: Papas cum ſuis complicibus rapuiſſe claves cœlorum, & nec ipſos ingredi, nec alios permittere intrare. Transſubſtantiationem cum cultibus ſuperſtitioſis ſanctorum & reliquiarum, item Ordines monaſticos, indulgentias & ſatisfactiones Papales rejecit. Unde multis, cum ſcripta ejus in Germaniam & Bohemiam transferrentur, lux major veritatis affulſit. v. *Flacii Catal. Teſt. Verit. l. 18. & D. Kortholdi Hiſt. Eccl. Sec. XIV. c. 2.*

§. 19.

Acceſſit Theologiæ myſticæ ſtudium, quod, ut hoc ſeculo magis reſuſcitari cœpit; ita pietati excitandæ plus profuit, quam Scholaſticorum diſputatrix Theologia. Doctores ejus & inprimis *Ruysbrochius*, tres hujus ſtudii *vias* oſtenderunt, *primam* dicentes *purgativam*, quæ propria ſit incipientium, qua agitur de re-

reformatione naturæ corruptæ: *secundam*, *illaminativam*, quæ sit proficientium, de naturæ mundatæ illustratione: *tertiam*, *unitivam*, quæ sit perfectorum, de transformatione mirabili naturæ sanctificatæ, quæ unionem cum DEO pariat mysticam. Hæc Theologiam tradendi methodus, imprimis articulum de *Regeneratione & Renovatione hominis* illustravit; &, si phrases istius ab illuvie errorum Platonicorum & Enthusiastarum detergantur, styloque Scripturæ S. res eodem expressæ efferantur, majorem culturæ Christianismi, quam Scholasticorum Theologiam, usum adferre, Theologi exercitatiores jam observarunt. v. laudatum *J. Thomasii Schediasma Hist. & Dissertat. nostram de Origine Theologiæ Mysticæ.*

§. 20.

Scholastici interim, ut in pingui otio negotiosi viderentur, inter se de inanibus quæstiunculis concertarunt. *Nominales* enim, quorum Coryphæus *Occam*, cum *Realibus* in Academia Parisiensi contendebant de categoriis; an *nomina*,

an

an *res* in Prædicabilibus & Prædicamentis essent, vid. *P. Rami. lib. 1. Schol. Metaphys.* Thomistæ & Scotistæ, super Autoritate suorum patriarcharum, in Theologia, acriter litigarunt. Urbanus V. Papa Theologiam Thomæ tanquam veridicam & Catholicam Tholosatibus, ut eam sequerentur, commendavit, apud *Bzovium* A. *Chr. 1370. s. 15.* vid. *Natal. Alexandr. H. E. Sec. XIII. & XIV. part. 2. Dissert. 6.*

§. 21.

Inter Fratres Minores & Prædicatores magna contentio de *Christi & Apostolorum paupertate* fuit; illi hanc affirmarunt; hi negarunt, pingentes Christum in cruce pendentem una manu & brachio affixum, altera denarios tractantem, & bursis in cingulo suo pendentibus inserentem. Sed Papa Johannes XXII. (aliis XXI.) *hæreticum esse censendum declaravit, asserere, Christum & Apostolos nihil habuisse in proprio, nec in communi.* vide *Fascicul. Temp. pag. 84. Alvarum Pelagium lib. 1. de Planctu Eccles. c. 56. seqq. Aventin. lib. 7. fol. 613. & Hottingeri H. S.* cap.

cap. 14. pag. 737. seqq. confer etiam *Natal. Alex. Sec. XIV. part. 3. diss. 11.*

§. 22.

Modus interpretandi Scripturam S. per allegorias & tropos, etiam hoc seculo magis invaluit; cum sensum ejus literalem Homiliarii parum intelligerent. A quo errore nec *Lyranum* semper fuisse immunem, *Balæus p. 393.* animadvertit. Unde multæ absurdæ atque ineptæ locorum Scripturæ S. expositiones vel detorsiones, in sermonibus & homiliis horum temporum occurrunt. Laudandum tamen est Caroli V. R. Galliæ studium, quod s. Codicem in vernaculum linguam transferri curavit. vid. *Huetium de Interpret. l. 2. c. 12.*

§. 23.

Dissensus inter Ecclesiam Græcam & Romanam, hoc seculo non remisit; licet Pontifices R. unionem semel atque iterum cudere tentarint. Nam Johannes XXI. Papa duos hujus negotii causa Episcopos, ad Græcos ablegarat; sed Græci, teste Johanne de Mandevilla, scriptore Anglo, Johanni responderunt:

Po-

Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum. Papam enim Anti-Christum esse, hoc tempore plurimi affirmarunt apud *Aventinum l. 7. fol. 577.* Barlaamus, S. Basilii Monachus, libello περὶ τῆς ΕΠΑΠΑ δοχῆς, *c. 16.* Papæ R. primatum & usurpatam jurisdictionem universalem multis argumentis impugnat. confer *Goldasti Monarch. tom. 1.*

§. 24.

In Græca Ecclesia inter Barlaamum, & Palamam enata est gravis contentio de *lumine in monte Thabor Christo circumfuso; an illud increatum aliquid & naturale ac coæternum DEI lumen fuisset?* Barlaamus lumen illud neque ex divina essentia emanasse, nec divinam essentiam fuisse asseruit; & præterea corporeos oculos per nullam diviniorem potentiam, adeo elevari posse, ut Deitatem conspiciant: Palamas vero cum Monachis, qui *Hesychastæ* vel *Quietistæ* dicebantur, illi acriter con-

contradixit. Unde controversia illa in diversis Synodis agitata multas turbas excitavit, de qua *in Dissertat. nostra de Hesychastis vel Quietistis Græcis* egimus.

§. 25.

HÆRESES Pontificii, non una ipsi hæresi infecti, plures enumerant. *Lolhardi* primum nominantur, qui anno circiter 1315. a Lolhardo Waltero nomen indepti, teste *Trithemio in Chron. Hirsaug.* per Germaniam, Bohemiam & Austriam tradiderant; (1.) Missas esse vanitatem: (2.) Luciferum cum Dæmonibus suis cœlo injuria pulsum, tandemque beatitudini cum suis restituendum: Michaelem & Angelos omnes æternis cruciatibus deputandos; hominesque a sua secta alienos similiter damnandos: (3.) B. Virginem Mariam, si virgo permansisset post partum, non hominem, sed Angelum peperisse: (4.) Habere se XII. Apostolos jactitasse, qui totum singulis annis Imperium perlustrarent, & duos ex illis ordine & professione seniores, singulis annis Paradisum intrare, ac ligandi & solvendi potestatem ab Helia

& Enocho recipere, quam cum aliis ejusdem sectæ professoribus communicarent: (5.) Sacramentum Baptismi pro balneo nudo habuisse. Plura eorum impia dogmata *Natal. Alex. Histor. Eccl. Sec. XIII. & XIV. part. 1. p. 385. seq.* recenset. Autor sectæ hujus Walterus, Coloniæ ann. 1322. referente Trithemio, combustus fuit.

§. 26.

Inter hæreticos hujus ævi etiam *Cecchus Ausculanus*, Caroli Ducis Calabriæ Astrologus refertur; quod in tractatu de sphæra statuisset, in superioribus cœli orbibus Spiritus malignos generari, qui per incantationes sub certo stellarum positu, vel constellationibus, ad res mirabiles producendas constringi possent: Stellarum influxui item fatalem necessitatem operandi tribuebat; adeo, ut Christum in mundum, voluntate divina, se illi accommodantem venisse; ideoq; pauperem nasci & ignominiosam subire mortem necessum habuisse: Anti-Christum etiam, ob siderum in cœlo positum futurum, necessario divitem & splendidum fore.

fore. Quam ob causam ille an. 1327. Florentiæ ad rogum condemnatus fuit. vid. *Johan. Villani l. 10. c. 42. & 43.*

§. 27.

Sedente Johanne XXII. Papa, *Eckardus*, Teutonicus ordinis Prædicatorum monachus circa ann. 1329. viginti & septem errores disseminasse dicitur. Quos inter crassiores fuerunt; (1.) DEUM tam cito mundum creasse, quam cito ipse fuisset: (2.) DEUM blasphemia laudari: (3.) Hominem, qui orando singulare aliquid bonum petat, malum petere, & male, quia negationem boni & negationem DEI peteret, DEUMque sibi negari, oraret: (4.) Hominem transformari & in DEUM totaliter converti posse: (5.) Quicquid S. Scriptura de Christo diceret, id omne de quovis homine sancto vere dici; & quicquid divinæ naturæ proprium foret, id totum hominis justi proprium esse: (6.) DEUM animas amare, non opera externa: (7.) Omnem distinctionem a DEO alienam esse, neque in natura neque in personis probari, quia natura ipsa sit una, & hoc unum; & quamli-

bet personam esse unam, & id ipsum unum, quod natura: (8.) Esse aliquid in anima, quod sit increatum & increabile, & hoc esse intellectum. Has τεξαπολογίας ex Joh. XXII. Papæ literis *Odoricus Raynaldus ad ann. Chr. 1329. num. 70.* de Ekhardo refert. *Taulerus* vero in opusculo de Convivio, *& Bzovius ad ann. 1327. §. 14.* eum pietate & doctrina virum insignem fuisse scribunt.

§. 28.

Johannes de Mercuria, Monachus Cistertiensis, Parisiis an. 1347. tradidit; (1.) fieri potuisse, ut Christus diceret falsum, idque assertione creata tam vocali quam mentali affirmaret: (2.) DEUM efficaciter velle, quicquid vult; item, velle voluntate beneplaciti, ut quis peccet: (3.) neminem peccare volendo aliquid contra voluntatem DEI: (4.) peccatum magis esse bonum, quam malum. (5.) DEUM esse causam peccati, qua peccatum est & demeritorium: (6.) nullam creaturam, nullamve circumstantiam peccati gravitatem innuere: (7.) DEUM prædestinasse homines propter bonum usum

usum liberi arbitrii, quem ipsos habituros præscivit. Quos errores Parisiensis Facultas Theologica damnavit. vid. *Natal. Alex. H. E. Sec. XIII. & XIV. part. 1. pag. 405. seq.*

§. 29.

Anno sequenti *Nicolaus de Ultricuria* philosophica Theoremata Theologiæ admiscens, ibidem proposuit: (1.) Non scimus evidenter, quod aliqua causa causet efficaciter, quæ non sit DEUS: (2.) Non scimus evidenter, quod aliquis sit, vel esse possit effectus naturaliter productus: (3.) Evidenter non potest ostendi, quod res quælibet non sit æterna: (4.) Actus animæ nostræ sunt æterni: (5.) DEUS & creatura non sunt aliquid: (6.) DEUS rationali creaturæ præcipere potest, ut ipsum odio habeat, cui mandato obediens mereretur magis, quam si ipsum ex præcepto diligeret; quoniam id faceret majori conatu & contra propriam propensionem. Plures ejusdem scepticas assertiones *Nat. Alex. l. c. p. 407. seq.* recenset.

§. 30.

Similes de DEO, Christo & homine frivolas ac improbas propositiones, Parisiis, *Magister Simon*, Frater *Quido*, *Magister Ludovici* ad disputandum proposuerunt, quos *Natalis Alex. l. c. p. 411. seqq.* recitat.

§. 31.

Reghardus Bertholdus de Rorbach, Germanus, qui Herbipoli primum docuit, deinde vero ob hæresin Spiræ ann. 1359. combustus fuit, propugnare ausus est: (1.) Christum in cruce, cum se derelictum quereretur, desperasse, & B. Virgini Mariæ maledixisse, nec non terræ, quæ sanguinem suum hausisset; (2.) hominem in hac vita eam perfectionem consequi posse, ut nec jejunio, nec oratione opus sit, (3.) laicum illuminatum ita proficere posse prædicando & docendo, ut illi magis quam Evangelio aut S. doctoribus credendum sit: (4.) hominem pium, in perceptione cibi communis, tantam percipere gratiam posse, quanta in Eucharistia percipitur. vid. *Mutii Chron. l. 25. f. 283.*

§. 32.

§. 32.

Martinus Consalvus, homo fanaticus, in Hispania somniavit, se germanum Archangeli Michaelis fratrem esse, & locum, ex quo cecidit Lucifer, sibi a DEO servari; item, se primam veritatem & scalam cœli dicebat, quod singulis diebus adscenderet atque oscularetur; nec non se Anti-Christum advenientem ad singulare certamen provocaturum, & cruce Christi diademate spineo ornata eum prostraturum. Hunc deinde *Nicolaus Calaber* DEI filium in cœlis ab æterno genitum dixit, omnesque in extremo die judicii ad infernum damnatos, Consalvi hujus precibus salutem consecuturos esse, referente *Eymerico P. 2. Directorii Inquisit. qu. 11.* Jungimus huic *Virginem de Anglia* dictam, quæ Spiritum S. in redemtionem mulierum incarnatum fuisse somniavit, & mulieres baptizavit in nomine Patris, Filii & suo. Mortua Mediolanum ducta & in cinerem redacta fuit. vid. *Annal. Dominican. Colmarienf. ad ann. 1301.*

§. 33.

Bartholomæus Janovezius, Majoricanus, tempore Urbani V. Papæ, libellum publicavit, quo asserebat: (1.) Anti-Christum die Pentecostes anni 1360. venturum esse: (2.) Anti-Christi tempore omnia Ecclesiæ Sacramenta & incruentum sacrificium desitura: (3.) Christianos adultos, qui Anti-Christi charactere semel inusti forent, nunquam amplius ad fidem Christi redire posse: Pueros vero Christianorum, Judæos & Saracenos & infideles cæteros ab eodem Anti-Christo seductos, eo extincto ad Christum conversum iri.

§. 34.

M. Dionysius Soulechat, Minorita, ann. 1363. Parisiis docuit, (1.) legem amoris omnem auferre proprietatem & dominium: (2.) actualem abdicationem cordialis voluntatis & temporalis potestatis dominii ostendere & efficere statum perfectissimum: (3.) Christum abdicasse hujusmodi possessionem & jus in temporalibus, & hoc exemplum pro regula perfectionis habendum esse: (4.)

(4.) Christum in morte omnia simpliciter abdicasse. Quas de paupertate Evangelii assertiones sacra Facultas Parisiensis damnavit apud *Natal. Alexandr. l. c. p. 417. seqq.*

§. 35.

Palamitæ a Georgio Palama, Monacho primum Græco, deinde Episcopo Thessalonicensi, appellati, qui & ἡσυχασταὶ seu *Quietistæ*, a quiete animæ, quam profitebantur, nuncupati, etiam hæreticis accensentur. Illi cum Euchetis & Messalianis veteribus quædam communia habentes, insolitum & absurdum contemplandi & orandi modum frequentarunt. Nam illi oppresso ad umbilicum capite, contortis oculis suppressoque spiritu cum primum locum cordis mens reperisset, mirabilem se lucem intueri, & inexhausta affici se voluptate dixerunt. vide *Combefisium in Not. ad Manuelis Calecæ librum de Essentia & operatione adversus Palamitas, in auctar. noviss. Biblioth. Patrum, & nostram dissertat. de Hesychastis seu Quietistis Gr.* Palamas Hesychastarum defensor jactabat peculiare divinum lumen,

quo Hesychastæ in isto corporis habitu constituti perfunderentur, esse gloriam Deitatis increatam; non quidem ipsam DEI substantiam, sed operationem & gratiam & splendorem, ex divina substantia in sanctos missum, quem exemplo luminis Thaborici declarabat. vid. *L. Allat. l. 2. de consens. c. 17.*

§. 36.

Parasiti Papales, *Marsilium* de Menandrino *Patavinum*, ob librum, *Defensorem Pacis*, Ludovico Bavaro inscriptum; *Franciscum Petrarcham*, qui in Epistolis suis Romam, *matrem fornicationum & errorum* dixit; *Joh. Wiclefum*, qui Papatus pudenda maxime detexit; *Michaelem Cesenatem*, Guilielmi Occami socium, quod Rom. Ecclesiam meretricem Babylonicam vocarit; *Johannem Taulerum* (licet a Dominicanis defendatur) ob Pharisaismum Ecclesiæ Romanæ objectum, *Hæreticis* hujus seculi accensere non erubescunt. Sed rectius hos & similes doctores, *testibus veritatis Flacius* annumerat. *Catalog. l. 18.* Theologi Parisienses meliori jure

jure Johannem XXII. Papam hæresis postularunt; quod negarit, animas fidelium ante excidium orbis, cœlestem in curiam recipi, apud *Aventinum l. 7. p. 601.*

§. 37.

Multæ quidem, hoc afflictissimo Ecclesiæ statu, *Synodi* provinciales & nationales, in tomis Conciliorum & apud Bzovium leguntur convocatæ, sed quæ omnes fere vel Pontificis R. affectata jura in Cæsarem, Reges ac Principes; vel jura & privilegia cleri a vectigalibus, collectis, censuris & foro civili attinent: licet interdum aliæ causæ obtentui sumtæ fuerint, quæ res Ecclesiæ propius tangere videbantur.

§. 38.

In causa *Templariorum*, plures quidem Synodi coactæ; verum unum, quod vulgo *Oecumenicon XV.* Conciliorum Pontificiis dicitur, Viennæ Allobrogum a Clemente V. Papa ann. 1311. indictum fuit. Cujus causæ prætexebantur abolitio eorum, quæ Bonifacius IIX. adversus Philippum Pulchrum R. Galliæ decrevisset, & reformatio Ecclesiæ Cleri-

que disciplinæ, nec non Fratricellorum, Beguardorum & aliorum hæreticorum errores, qui in Clementinis memorantur *tit. de Summâ Trinitate & de hæreticis*. Enimvero præcipuam istius Concilii causam fuisse, extinctionem Ordinis Templariorum & expeditionis sacræ in Palæstinam, eum acta tum eventus Concilii docuerunt.

§. 39.

Ordo autem Templariorum, seu fratrum *Mansionis*, aut *Militiæ Templi*, a Balduino II. R. Hierosolymorum institutus, ac a Papa Honorio II. anno 1128. confirmatus fuerat; ut vel templum Hierosolymis custodiret, vel hospites & peregrinatores illuc venientes deduceret ad loca sancta secure invisenda. Hi favore Principum & aliorum largitionibus, sensim invidendas sibi per Europam opes ac potentiam acquisierant; ut illa Regibus & Principibus metuenda videretur. Odium etiam sibi ob luxuriam & alia scelera conflaverant, ut ordo eorum omnibus fere invisus esset. Itaque Philippus R. Galliæ, qui de regno Hierosolymita-

no uni ex tribus filiis suis conferendo cogitaverat, Clementi V. Papæ, & hic aliis Principibus persuasit, ut de perdendo ac delendo hoc Ordine conspirarent, spe pleni fore, ut illis extinctis opes horum amplissimæ ipsis accrescerent. Itaque ut eorum exterminium aliquo juris colore incrustaretur, nefandorum ipsi scelerum accusati (licet pauciores eorum essent convicti) in hoc Concilio, ad internecionem omnes damnantur; multis horum combustis, multis inedia, & aliis crudelissimæ mortis generibus necatis. vid. *Langii Chronic. Citiz.* ad hunc annum *Mutium Chron. l. 22.* Papyrium *Massonium Annal. l. 3. Guilielm. Tyrium de Bell. Sacr. l. 12. c. 7. Robert. Gaguin. Hist. l. 7.* & alios. In compendio historiam hanc *Frid. Spanhemius Epitom. Isag. Hist. Eccl. N. T. Sec. XIV. Sect. VIII. B. D. Kortholdus Hist. Eccl. Sec. XIV. cap. 2.* Prolixius eam *Natal. Alex. H. E. Sec. XIV. part. 3. diss. 10.* exsequitur. Simile fatum aliqui *Jesuitis* præsagiunt; quippe qui in multis iisdem non videntur dissimiles.

§. 40.

REGIMEN ECCLESIÆ Romanæ tyrannicum, hoc seculo R. Pontifices non minori, quam antea, libertate continuarunt. *Bonifacius* enim *Octavus* Papa, ferus homo, ut Nero VIII. appellari meruerit, *Gibellinos* h.e. qui Cæsaris partes tutabantur, acerrime non tantum persecutus est, coronaque imperiali ornatus aliquando exclamavit: *Ego sum Cæsar & Pontifex.* confer *Inter Extravagantes communes tit. de Majorit. & obedientia;* Sed ira in Philippum Galliæ Regem incensus, bullis promulgatis, omnia regni Francici privilegia suspendere ausus est, ipso Rege diris devoto. Qui tamen hominis insanientis ausa strenue elusit. vid. *Nat. Alex. H. E. Sec. XIII. & XIV. part. 3. diss. 9.*

§. 41.

Benedicti XI. filii bubulci, dominationem intra annum finitam, *Clemens V.* Gallus gente excepit. Qui non melior aut modestior Bonifacio; nisi quod Philippum R. Galliæ sibi conciliarit; Sede et-

etiam Papali *Avenionem* translata: ubi per 70. annos hæsit, Romæ veteris prærogativa neglecta, quæ hactenus tantopere jactata & defensa fuerat. Hic Henricum VII. Lucemburgicum Imperatorem sacramento sibi obstrinxit, ut Italiam bellis intestinis liberaret, sibique fidelis esset. Juramentum, quod exegit, *in Clement. de Jurejurando* extat. Nam liber *Clementinarum* (scilicet constitutionum) in Jure Canonico ipsum habet autorem. *Quas* successor Johannes confirmavit, & ut in gymnasiis publice docerentur, doctoribus publicis mandavit.

§. 42.

Successor ejus *Johannes XXI.* (aliis XXII.) patre sutore veteramentario vel cerdone natus, se ipsum ob dissidia Cardinalium designavit Pontificem, & Avenione contra juramenti fidem hærens, per vestigia antecessorum suorum Anti-Christiana ivit. Nam Ludovicum Bavarum Imperat. diris devovit, quod Friderico Austriaco Anti-Cæsari nollet cedere. Hic vero illi XXVI. articulos hæ-

hæreseos Simoniæ & aliorum delictorum enormium objecit. vide *Joh. G. Herwarthi Defensionem Ludovici IV. & Naucler. Generat. 45. f. 248. 251.* De ejus libidine dominandi, *Extravagantes* constitutiones & *Regestum Bullarum* testantur. Hæreticos declaravit, qui affirmarent, *Christum & Apostolos nihil habuisse proprii.* vid. *Alvarii Pelagii l. 2. de Planctu Eccl. 5. 6. seqq.* Avaritia ejus inexplebilis fuit. Hinc varii acquirendi modi excogitati, quos ex *Regulis Cancellariæ, Rotæ ordinationibus, beneficiorum taxis, Reservationibus, Provisionibus & Annatarum Juribus*, quæ ab illo profecta sunt, colligas. confer *Natal. Alex. Hist. Eccl. Sec. XV. & XVI. part. 3. dissert. IX.* Unde & tantam auri argentique vim reliquit, quantam nullus ante Pontificum. confer *Platin.* in ejus vita.

§. 43.

Benedictus XII. pistoris vel molitoris Galli filius (unde referente Spondano, is ad Cardinales; ipsos *asinum elegisse.*) ab avaritiæ crimine quidem alienior fuit, sed dominatum minui haud passus est; cum

cum anteceſſoris ſui tulmen excommunicationis in Ludovicum Bavarum Imperat. vibratum confirmaret; dignitatem imperialem ad ſe velut ad Chriſti vicarium devolutam eſſe, jactando. *Bzovius* in eo laudando, more ſuo prolixus eſt; ſed epicedium, quod ejus memoriæ ann. 1342. conſecratum fuit, aliter ſonat:

Hic ſitus eſt Nero; laicis mors, vipera Clero,
Devius a vero; cupa repleta mero.

Clemens VI. veſtigia anteceſſorum premens, Ludovicum Bavarum jam diris devotum denuo anathemate ferit; quod illi ſubjicere ſeſe detrectaret. *Jubileum*, ut largior obventionum meſſis eſſet, in quinquaginta annos reduxit; Bullam promulgando, in qua Angelis mandavit, ut morientes in itinere ad Jubileum Romanum, recta in ſinum Abrahæ deportarent. vid. *Platin. in ejus vit. & Extravagant. comm. l. 5. tit. 9. Pœnit. & Remiſſ. c. 2. unigenitus.* Palatio ejus affixa charta, in qua Leviathan, princeps tenebra-

brarum, salutat vicarium suum Papam & Cardinales servitores suos, quorum ope jam vincat Christum, quosque salutat mater eorum superbia & sorores avaritia, luxuria, apud *Albertum Argentin. p. 156.*

§. 44.

Innocentius VI. gente Gallus, dum curiam Romanam emendare, & concordiam in Italia reducere laborat, ansam præbuit schismati, quod Ecclesiam Rom. diu turbavit. *Urbanus V.* successor quidem Pontificiæ majestati decus redditurus, sedem suam Romam transtulit, ut Clericorum vitia quodammodo emendaret: at superstitiones augere non intermisit. Nam reversus Romam, capita S. Petri & Pauli reperisse dicitur, quæ loculis argenteis inclusa ad aram maximam Lateranensis Basilicæ collocavit, ut statis solennibusque diebus, populo spectanda proferrentur. vid. *Vólateran. in ejus vit. & Sabell. IX. Ennead. 9. col 82.* De aliis superstitionibus ab ipso sancitis, *Bzovius* plura narrat.

§. 45.

§. 45.

Gregorius XI. Baldi JCti discipulus, sub initium an. 1377. magna cum pompa sedem Papalem post liminio Romam, & quidem ob revelationem Catharinæ Senensi de eo factam, transtulit; cum illa jam 70. annos Avenione in Gallia fuisset. Multum ille superstitiosis duabus fœminis, Catharinæ Senensi & S. Brigittæ tribuit, quæ jactarunt divinas revelationes; *Dominum velle, ut curia Papalis Romam* reduceretur. vid. *Volaterran. lib. 22. & Sabellic. Ennead. cit.* Vrbem Avenionensem a Johanna Regina, cujus patrimonium fuerat, emit, teste *Platina in ejus vit.* Ipso anno 1378. morte sublato, *Schisma* illud diuturnum exortum, quod 50. annos duravit. Certarunt inde de Papatu, Urbanus VI. Neapolitanus, & Clemens VII. Sabaudus; hic Gallorum, ille Italorum præsidio nixus. His mortuis *Papatus triceps* factus; cum per factiones diversas, *Johannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII.* eligerentur. Duravit hoc schisma ad Concilium usque Constantiense, in quo *Martinus V.* Pa-

V. Papa constitutus fuit. vid. *Rolevinck. Fascic. Tempor. f. 86. Marium de Schism. & Theodoricum à Niem de Schism. libr. 1.* Quantæ hoc tempore Ecclesiam R. turbæ exercuerint, in compendio recitari nequit. Omnes interim Pontifices R. vicarii Christi esse voluerunt. Sed Carolus VI. R. Galliæ post irritas de schismate tollendo curas, decrevit; *se nullum ex iis, qui Romanam tunc Ecclesiam scindebant, agnoscere Papam*; addito interdicto; ne quis Romam aut Avenionem proficisceretur. Durante hoc schismate, *Bonifacius IX.* ærarium augere suum non intermisit, homo avarissimus. Nam duo *Jubilea* celebravit, unum sibi ab Urbano annum derelictum; alterum a se promulgatum; ut uno decennio bis meteret messem. *Platina* testis est, sub ejus Pontificatu, multa crimina per Simoniacam pravitatem increvisse atque indulgentias plenarias passim fuisse venales. confer *Cranz. Metropol. l. 9. cap. 10. & Heideggeri Histor. Papat. Period. V. num. 139.*

§. 46.

§. 46.

Multi hac rerum facie, cum Principes, tum doctores, abominationem desolationis in templo DEI agnovere, ingemiscentes; sed tollere malum nesciverunt: cum Pontificum & cleri mores corruptissimi, leges omnes in potestatem suam redegissent. vid. libellum de *Æratibus Ecclesiæ*, *in Catal. Test. Verit. l. 18.* exhibitum. Ut vero cura omnis emendandi *disciplinam* frustra fuit; ita pii omnes viri impares fuerunt idolomaniæ & superstitionibus inolitis, imo auctoribus factis tollendis. vid. *Flacii Catal. Test. Verit. l. 18.* *Franciscus Petrarcha* in epistola ad amicum, curiam Romanam, quam Babylonem vocat, ita depingit: *Omne bonum ibi perditur, sed primum omnium libertas, mox ex ordine quies, gaudium, spes, fides, charitas, animæ jacturæ ingentes: sed in regno avaritiæ, nihil damno adscribitur, modo pecunia salva sit. Futuræ ibi vitæ spes inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur fabulosa omnia, & resurrectio carnis, & mundi finis, & Christus ad judicium venturus inter*

ter nænias habentur. Veritas ibi dementia est, abstinentia vero rusticitas, pudicitia probrum ingens, denique peccandi licentia magnanimitas & libertas eximia, & quo pollutior, eo clarior vita, quo plus scelerum, eo plus gloriæ: bonum nomen cœno vilius, atque ultima mercium fama est. In Paralip. Ursbergens. p. 345. hæc habentur: *Ab eo tempore* (quo sedes Papæ Avenionem est translata) *defecit omnis disciplina & religio in Cardinalibus, & tres radices vitiorum superbia, avaritia, luxuria validissime dominantur.* Ipse *Bzovius ad an. 1352. s. 22.* vitia Clericorum, ex Bernhardo, his verbis notat: *Clerici aliud esse, & aliud videri volunt: habitu milites, quæstu clerici, actu neutrum exhibentes. Nec enim pugnant ut milites, nec evangelizant ut clerici, ventri suo, non Christo Domino, servientes.*

§. 47.

De superstitiosis ritibus hoc ævo vel confirmatis vel noviter introductis, adhuc volut per saturam pauca memoranda veniunt. Clemens V. Papa *festum corporis*

ris Christi, ex quorundam ficta revelatione confirmavit. vid. *Clement. III. tit. 16. de Reliq. & Ven. Sanct. c. unic. si Dominum.* Johannes XXII. ordinavit, ut sub vesperam ter campanæ pulsarentur, quo audito quisque salutationem Angelicam ter in honorem B. Virginis Mariæ recitare deberet. vid. *Polyd. Virgil. de invent. R. l. 6. cap. 12.* Clemens VI. institutum antiquum Antonianorum, quo porcus (das Dinge-Ferckel) in honorem Antonii vicatim alebatur, in posterum nutrire prohibuit. vid. *Bzovium ad ann. 1351. s. 16. Polyd. Virgil. l. 7. i[illegible]. c. 7.* Innocentius VI. *Festum clavorum & coronæ Christi lanceæque Longini*, qua Christi latus in cruce apertum, instituit, apud *Trithemium Chron. Hirsaug. & Hospin. de Fest. f. 78.* Urbanus VI. *festum visitationis B. Mariæ*, secundum formam festi corporis Christi instituit, quod Bonifacius IX. ann. 1390. confirmavit. vid. *Bellarm. l. 3. de cult. Sanct. c. 16. Rivet. Apolog. pro Sanctiss. Virg. Maria l. 2. c. 13.* Bonifacius IX. Brigittam Virginem sanctam inter Divas retulit. Unde ordo S. Brigittæ

gittæ cœpit. Bulla Canonizationis apud *Turrecrematam, in Prolog. cap. 1. ad Revelationem Brigittæ librum*, extat. Urbanus Papa Imperatori Palæologo ob Turcarum metum sollicito, misit agnos DEI ex cera confectos ceu alexicacos. Quos Græci riserunt, quod in locum vitulorum idololatricorum viderentur conflati, apud *Bzovium ad an. 1367. f. 9.* Benedictus XII. *festum de sacris stigmatibus S. Francisci*, toti ordini Franciscanorum servandum instituit, apud *Baleum p. 413.*

§. 48.

PERSECUTIONES interim in Oriente non cessarunt, invalescente magis Turcarum potentia. Osmanes enim totam Bithyniam, expugnata Prusa Bithyniorum metropoli, anno 1326. occupavit, & successor ejus Amurathes assumto primum Imperatoris titulo, arma victricia in Europam transtulit. Uterque Christianos afflixit, vel sub jugum misit. Non felicior Ecclesiæ status sub Bajazethis imperio, qui Ciliciam, partem Armeniæ, Alba-

baniæ, Slavoniæ, Bulgariæ & alias provincias, occupans, Muhammedanismum, oppressis ubique Christianis, propagavit.

§. 49.

In Occidente seu Romana Ecclesia, Waldenses, Wiclefistæ & quotquot pii in Pontificis & Cleri Romanensis vitia invehebantur, aut corruptissimos eorum mores taxabant, sub infami hæreticorum nomine, ad ignem, vel ad alia supplicia rapiebantur. Ipse Ludovicus Bavarus Imperator, apud *Aventinum libr. 7. f. m. 610.* de Johanne XXII. Papa loquens, testis est: *Nempe sanguinem*, inquit, *Christianum sitit, discordiæ, seditionum mala ubique gentium inter Christianos ferit. In Germania & Italia, literis, pollicitationibus, auro Principes, tetrarchas, episcopos, sacerdotes, monachos, cives corrumpere nititur, inducit, sollicitat, ad arma vocat. Adversus divinam providentiam, supremam cœli majestatem, unde omnis potestas existit, contra charitatem Christianam pugnat, fratres in fratres armat: præcipit, ut Christiani mutuum affectum & amorem,*

quem solum pater immortalis a nobis exigit, exuant, arma corripiant, atque in suavisceravertant, fidem frangant, pacta dissolvant, invicem fraudent, decipiant, imponant, a SS. Imperio deficiant, rebellionem, conspirationem, cades, incendia, stupra faciant. Nec licet per hunc Anti-Christum, Christianis pacem a DEO datam servare, &c. v. *Avent. l. c. pag. 611. seqq.* conf. *Hotting. H. E. Sec. XIV. p. 667. seqq.*

§. 50.

Omissis fabulis de sanctorum, apud Bzovium & Legendarios, memoratis miraculis, ad MEMORABILIA hujus ævi referri possunt, (1.) quod Bonifacius IIX. Papa Ericum VII. Daniæ Regem diris devoverit, & pro absolutione magnam pecuniæ summam postularit ap. *Joh. Is. Pontanum Rer. Dan. l. 7.* (2.) Quod Clemens V. Papa, Dandalum, Venetorum legatum, canis instar alligatum catena, sub mensa, cœnante se, jacere passus sit: (3.) Quod Monachus Senensis, Bernhardus Politianus, Henricum VII. Imperatorem, exhibita ipsi hostia venenata cum calice toxico mixto, nefa-

nefarie interfecerit. vid. *Langii Chronic. Citizenſ. Cuſpin. in vita Henrici VII. Aventin. l. 7. f. 598. & Hotting. H. E. Secul. XIV. p. 751.* (4.) Quod Henricus II. R. Angliæ, ob necem Thomæ Cantuarienſis virgis cæſus fuerit: (5.) Extinctio Templariorum *ſupra §. 45. ſeq.* annotata: (6.) Aurea Bulla a Carolo IV. Imper. an. 1356. publicata: vide *Thulemarii tract. de Aur. Bulla.* (7.) Wenceslai Imperatoris exauctoratio. (8.) Judæorum in Germania magna ſtrages, apud *Albert. Argentin. ad an. 1348. Cranz. Metropol. l. 9. c. 48. Lang. Chron. Citiz. an. 1350. & Aventin. l. 7. f. 574.* (9.) Schiſma Pontificum R. diuturnum: (10.) Studium linguæ Ebraicæ & aliarum a Clemente V. excitatum, v. *Clementin. V. tit. 1. de Magiſtris.* (11.) Novæ Academiæ in Germania, Colonienſis, Heidelbergenſis, Pragenſis, & Erffurtenſis inſtitutæ. (12.) Lithuanorum ad Chriſtianiſmum converſio, baptiſmum principe ipſorum Jagellone ſuſcipiente, apud *Cromerum Hiſt. l. 13. & Olaum M. Hiſt. Sept. l. 2. cap. 1.* (13.) Pyxidis nauticæ a

Johanne Goia, cive Amalphitano, inventio. (14.) Studium jurisprudentiæ a Bartolo de Saxo Ferrato, & Baldo de Ubaldis excitatum. vid. *Hotting. H. E. Secul. XIV. p. 722. seqq.* (15.) Pulvis pyrius a Monacho Berchtoldo de Schwarz, in generis humani perniciem hoc seculo inventus. apud *Hotting. l. c. p. 666. & 751.*

§. 51.

Sub finem historiæ hujus ævi, cum iræ divinæ, tum gratiæ certa documenta observari merentur. Illam judicia DEI produnt, quibus Orientalis & Græcæ Ecclesiæ dissidia, ac populi Cæsarumque Byzantinorum scelera, immissis Turcis ac Muhammedanis, ultus est. Mala etiam, quæ in Occidente Ecclesiam & rempublicam imprimis Germaniam inter tot dissidia, bella & schismata Pontificum Rom. afflixere, iræ divinæ indicia sunt. Humanarum mentium deliria etiam in Sectis noviter exortis animadverti merentur; cum S. Scripturæ lectio frigide tractaretur. Gratiæ autem divinæ tribuendum est; quod in hac schola-

larum & monachorum barbarie, cum pios, tum eruditos atque cordatos aliquot viros excitarit, qui Romani Anti-Christi tyrannidem impugnatum ivere fœdasque superstitiones in R. Ecclesia notarunt, Scripturæ S. autoritatem cum Wiclefistis urgentes, simulque etiam jura & autoritatem summarum potestatum, adversus Papam R. vindicantes. Unde multis in his ignorantiæ tenebris lux veritatis affulsit, quem premi semper, sed opprimi nequit.

PERIODI IV.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

CAPUT V.

De

Hist. XV. Sec.

§. 1.

SEculum, quod ordimur, *decimum quintum*, tam propter bella Christianis luctuosa, quam propter Pontificum R. schismata turbasque in Conciliis & Ecclesia excitatas, triste fuit. Nam Con-

stantinopolis a Turcis anno 1453. capta est. Pontifices R. inter se dissidentes, etiam supra concilia autoritatem suam extollere, contra Constantiensis & Basileensis Synodi decreta, machinati sunt. Accessit bellum ferale Hussiticum, quod ob *Jo. Hussum*, in Concilio Constantiensi contra datam fidem combustum, in Bohemia & Germania exarsit. Interim ad felicitatis literariæ partem referendum, quod post diuturnum literarum squalorem ac incultam tot seculorum barbariem, bonarum artium & linguarum studia, futuræ Ecclesiæ reformationis commodo, resuscitari cœpta essent.

§. 2.

Doctorum & Scriptorum ingens occurrit numerus, ex quo celebriores tantum adducemus; cum prius *Latini a Græcis*, dogmatici ab historicis fuerint distincti.

§. 3.

Inter *dogmaticos* & quidem *Latinos*, primum locum sortitur *Petrus de Alliaco*, Compendiensis Gallus, primum Cancellarius Parisiensis, deinde Episcopus Ca-

Cameracensis, ac tandem Cardinalis a. 1411 factus. Qui Concilio Constantiensi interfuit, Ecclesiæque reformationem necessariam esse judicavit; etsi choragus fere tragicæ istius scenæ, in quam Hussus & Hieronymus Pragensis producti sunt. Præter commentarios in quatuor libr. Sententiarum, varios tractatus scripsit, anno 1634. Duaci editos. vid. *Labbei tom. 2. p. 180.* Ob autoritatem, qua polluit, *Aquila Franciæ & aberrantium a veritate malleus indefessus* appellatus fuit. conf. *Flac. Cat. l. 29. f. 1796.*

§. 4.

Hujus discipulus fuit *Johannes Charlierius*, a pago vel vico Gersonii, agri Rhemensis, *Gersonis* seu *de Gerson, Doctor Christianissimus* appellatus, ob eruditionem & singularem prudentiam *Cancellarius* Parisiensis electus: qui postea anno 1414. Regis Gallorum jussu, Concilio Constantiensi interfuit. In quo reformationem Ecclesiæ suasit; cumque Pontifices illi obsisterent, commentarium *de Auferibilitate Papæ ac Ecclesia* conscripsit. Cum Lutetiam deserere cogere-

tur, Lugduni libris scribendis, & *parvulis catechizandis* tempus impendit. Quum mortem sibi imminere persentisceret, adductis in Ecclesiam parvulis suis discipulis, DEUM pro se orare quotidie, & orando exclamare jussit: *DEUS meus, creator meus, miserere pauperrimi famuli tui Joannis Gersonis.* Vitam subita inter orandum morte, an. 1429. finiit. Verba, quæ sæpe inter concionandum usurpavit: *Pœnitemini & credite Evangelio,* ejus epitaphio inscripta fuerunt. Opera ipsius sæpius impressa, 4. tomis a. 1636. edita prostant. vid. *Cave Hist. Lit. Append. fol. 79. seqq. & Flac. Cat. Test. f. 1804.*

§. 5.

Johannes Capriolus, Tholosanus ex oppido Ratinensi, doctrinæ Thomisticæ acerrimus defensor, juxta Trithemium, an. 1415. floruit commentarios in IV. libros Sententiarum conscripsit, quibus Johannis Scoti, Petri Aureoli & Nominalium, contra Thomæ placita, in medium allata argumenta refellit. Hinc & *Principis Thomistarum* nomen promeruit. Libri ejus Venetiis 1514 prodierunt.

§. 6.

§. 6.

Franciscus Zabarella, an. 1447. Constantiæ obiit, legatus a Pontifice ad Sigismundum Imperatorem missus. Antequam fieret Cardinalis, in Gymnasio Florentino, Jus Canonicum docuit, & commentarios in Decreta & Concilia compilavit. vid, *Thomasini Illustr. Viror. Elog. p. 9.*

§. 7.

Johannes Hussus, Bohemus, a vico natali sic cognominatus, floruit circa initium hujus seculi, & Pragæ, ubi concionatorem simul egit cum Hieronymo Pragensi Papismum strenue oppugnavit, vir ipsis fatentibus adversariis, doctrina illustris & pietate insignis. Opp. ejus Norimbergæ 2. tom. a Matthia Flacio edita sunt. Ipse vero Constantiæ 1415. martyrio, contra datam fidem affectus obiit. vid. *Pantaleonem de viris illustr. Germaniæ part. II. p. 379. seqq.* Plura de eo memorandi, infra redibit occasio. confer. *Flac. Catal. l. 19.*

§. 8.

Henricus Kalteisen, Germanus patria Confluentius, Fidei apud Colonienses

inquisitor, & tandem Nydrosiensis & Cæsarienſis Archi-Episcopus, qui in Concilio Basileensi per tres dies, *de Libera Prædicatione verbi DEI*, contra Bohemos & Hussitas peroravit, vid. *Concil. tom. XII. p. 1249. & Bzov. ad an. 1433. §. 254.*

§. 9.

Nicolaus de Cusa, seu *Cusanus*, a vico Cusæ ad Mosellam, ubi natus, sic appellatus, in Concilio Basileensi autoritatem Papæ defendit, vir variæ eruditionis magis, quam constantiæ laude celebris; scripsit 3. libros ad Julianum Cæsarinum Cardinalem, *de Docta Ignorantia*, & 3. libros *de concordia Catholica*, qua Papam Concilio inferiorem esse demonstravit; item tres *de Cribratione Alcorani*, & alia, quæ tribus tomis comprehensa Basileæ 1564. impressa sunt.

§. 10.

Laurentius Justinianus, *Venetus*, a. 1431. clarus, Venetorum Episcopus primus ibi Patriarcha factus an. 1450. multa, quæ ad Theologiam mysticam pertinent, scripsit, ut *Lignum vitæ*; *de casto connubio verbi*

bi & animæ; de interiori conflictu: de contemtu mundi; de spirituali animæ interitu, de ejusdem spirituali resurrectione; de gradibus perfectionis &c. Opera ejus Lugduni 1568. excusa sunt. Huic subjungimus *Laurentium Vallam*, Florentinum, virum eleganti eruditione politum; sed qui omnibus minus latine loquentibus dicam scripsit, & ineptos sui ævi Theologos perstrinxit, ac ideo ad rogum quæsitus fuit. Laudat eum *Erasmus lib. 7. Epist. 3.* vid. *Cave Hist. Lit. Append. f. 121. seqq. & Flac. Catal. l. 19. f. 1894.*

§. 11.

Johannes Capistranus, a Capistrano oppido Brutiorum sic dictus, concionator ferventissimus per oppida circumforanei instar agyrtæ oberrans, in triviis conciones ad plebem habuit. Contra Fratricellos, Husitas & Adamitas inquisitor factus, *de Electione Papæ, de Dignitate Ecclesiæ*, contra Husitas, *de Auctoritate Papæ & concilii, de Matrimonio, de Excommunicatione*, *Speculum Conscientiæ*, & alia scripsit, quæ *Waddingus* in Bibliotheca

scriptorum ordinis Minorum, & *Bellarmin. libr. de Script. Eccl. p. 286. seqq.* recensent.

§. 12.

Alphonsus Tostatus, gente Hispanus, Episcopus Abulensis, circa medium hujus seculi clarus, commentaria copiosissima in Pentateuchum & alios libros sacros, item quæstiones, ut loquuntur, innumerabiles brevi vitæ tempore conscripsit. Obiit, cum 40. annos tantum vixisset: ideo hoc elogio ornatus: *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.* Bellarminus tamen monet, *Defensorium trium conclusionum*, quod reliquit, esse caute legendum; quia potestati Pontificis derogare videtur. Opp. ejus omnia 17. tomis comprehensa Venetiis, 596. prodierunt.

§. 13.

Gabriel Biel, Helvetius, aut Spirensis, in Academia Tubingensi an. 1480. Theologiam professus est, & in IV. libros Sententiarum commentarios, Expositionem Canonis Missæ, Sermones de tempore, Defensorium obedientiæ Apostolicæ con-

conscripsit. conf. *Theoph. Raynaud. de Bon. & Mal. libris p 139.* De generatione Filii DEI & processione Spir. S. doctam ignorantiam professus est: *Quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus.*

§. 14.

Johannes de Turrecremata, Hispanus, Theologus & JCtus celebris circa medium hujus ævi, scripsit IV. libros de Ecclesia, commentarios in Decretum Gratiani, in Psalterium, in Evangelia Dominicalia, de sanctis, & alia opuscula a Bellarmino recensita. confer *Labbeum tom. 1. p. 615.*

§. 15.

Dionysius Carthusianus, Belga, vir doctrina & sanctitate insignis, circa medium hujus ævi floruit: qui non tantum in omnes libros Scripturæ S. sed & 4. libros Sententiarum commentarios conscripsit; item libellum de IV. Novissimis, quem Bellarminus caute legendum censet, propter doctrinam de statu animarum in purgatorio degentium. Commentarii in S. Biblia Coloniæ 1533. septem voluminibus excusa sunt.

§. 16.

Hieronymus Savanarola, Ferrariensis Italus nobili genere ortus, vir sanctimonia vitæ & doctrina illustris, in luxum Cleri Romani invectus, dixit, *in Ecclesia a planta pedis usque ad verticem capitis nihil sani esse, & abominationem desolationis stare in loco sancto:* ideo Principes Christianos excitavit literis, ut labanti Ecclesiæ succurrerent. Sed eo odium Alexandri VI. Papæ incurrit, qui ipsum anathemate percussit, & Florentinum Magistratum permovit, ut is cum duobus sociis combureretur. Vitam ejus Picus Mirandula descripsit. confer *Bzovium* ad an. 1497. Triumphum crucis, sive de Fidei Christianæ veritate; item de vitæ Christianæ simplicitate, *Epistolas* & alia Venetiis superiori seculo typis excusa scripsit. vid. *Cave Hist. Lit. Append. f. 162. seqq. & Flac. Catal. l. 19. p. 1914.*

§. 17.

Thomas de Kempis, sive a Campis, modico in diœcesi Colonienſi oppido ad Rhenum, ipsius patria cognominatus. Alias

lias a familia nomen *Hemerichen*, seu *Malleolus* habuit. Tanta pietate insignis fuit, ut multi ex remotis locis, ejus videndi cupiditate accensi, in diœcesin Ultrajectinam, ubi vixit, venirent. Obiit an. Chr. 1471. Multa opuscula pietatem spirantia reliquit, quæ conjunctim Duaci 1635. in 8. & Antwerpiæ 1607. in 4. edita sunt. Inter illa eminet libellus *de Imitatione Christi*. De quo controverti solet, an ejusdem sit fœtus? vid. *Theoph. Raynaud. de B. & Mal. libr. part. 1. Erot. 10. num. 230. Vincent. Placcium de Pseudonymis. pag. 199.* Constantinus Cajetanus Monachus, Johannes Launojus, illum *Johanni Gerſen*, Benedictini Ordinis Abbati tribuunt; contra Heribertus Rosweidus, Fronto, Gabriel Naudæus, Theophilus Raynaudus Thomæ a Kempis vindicant,

§. 18.

Johannes Picus, Mirandulæ Comes, Concordiæ Princeps, vir ingenio & doctrina pro ætate maximus, & ideo *Phœnix* dictus, claruit an. 1484. Multa tum philosophica tum theologica scripsit, quæ

quæ a Bellarmino recensentur. Opera ejus Basileæ 1533. it. 1573. & 1601. prodierunt. Obiit 1494. ætatis suæ 30. Epitaphium tumulo ejus inscriptum ita habet:

Johannes jacet hic Mirandula; cætera norunt
Et Tagus & Ganges, forsan & Antipodes.

§. 19.

Marsilius Ficinus, Florentiæ natus, σύγχρονος Mirandulani, in Philosophia Platonica & Theologia versatissimus, scripsit de Religione Christiana, Theologia Platonica, de animarum immortalitate, de æterna felicitate, commentarios in Epistol. Paulinas conciones de V. panibus Lucæ, de duobus discipulis in Emaus, de Stella Magorum &c. Opera ejus Basileæ 1561. & 2. tomis Parisiis 1641. excusa sunt. Hic statim post obitum Michaeli Mercato, Miniatensi se visendum, ut vivus promiserat, obtulit, quæque ante de animarum immortalitate disseruerat, expertum jam se esse, confirmavit. Quod ex proborum & eruditissimorum testium fide *Baronius ad an. 1411. prope finem narrat.*

§. 20.

§. 20.

Antonius Florentinus, primum Monachus, deinde Archiepiscopus Neapolitanus ab Eugenio Papa invitus renunciatus, sanctitatis studio circa an. 1459. celebris, *Summam Theologicam* in IV. partes divisam, & *Summam Historialem* in tres partes divisam multisque fabulis refertam scripsit. Extat etiam *Summa ejus Confessionalis*, Parisiis 1516. edita. conf. *Mich. Pocciancii Catal. Scriptor. Florentin. p. 13.*

§. 21.

Angelus de Clavasio, Liguriæ oppido oriundus, vir pius, *summam CASUUM Conscientiæ*, quæ ab autoris nomine *Angelica* nuncupata est, reliquit. Venetiis illa, Lugduni & Argentinæ typis exscripta prostat. Ipse an. 1495. obiit.

§. 22.

Henricus de Hassia, Germanus, Ordinis Carthusiani professor, *Regulas ad discernendum peccatum mortale a veniali*, commentarios in Genesin & Exodum, in Proverbia & Apocalypsin, item in libros Sententiarum, nec non *Speculum Animæ*, com-

composuit. Obiit anno 1428. Laudat ipsum *Trithemius & Sixtus Senensis in Bibliotheca sua.* confer *Bellarm. de Script. Eccles. p. 381.*

§. 23.

Paulus Carthagena a S. Maria, *Burgensis*, a patria in Hispania dictus, ex Judæo Christianus & Episcopus Burgensis factus an. 1415. claruit, *Additiones ad Lyram*, & *Scrutinium scripturarum* conscripsit, quæ Lugduni 1590. editæ prostant. Huic jungimus σύγχρονον *Nicolaum de Clemangis*, Magistrum Parisiensem, *Doctorem Theologum* appellatum, qui librum de corrupto Ecclesiæ statu, Deplorationem calamitatis Ecclesiasticæ per schisma nefandum: item de Concilio generali, de præsulibus Simoniacis, quod tam corpore e Babylone sit fugiendum, quam mente, epistolas & librum de studio Theologiæ conscripsit. Opera ejus omnia cum Analectis & Glossario Latino-Barbaro Martini Lydii Lugd. Batav. 1613. in 4. prodierunt. Ipse obiit ante ann. 1440. cujus sepulchrum hoc elogio ornatum: *Qui Lampas fuit Ecclesiæ,*

sie, sub lampade jacet, vid. *Flac. Catal. l. 19. f. 1874.*

§. 24.

Augustinus de Roma, Episcopus Nazarenus, circa ann. 1440. floruit, & inter alia *de Sacramento divinitatis JESU Christi & Ecclesiæ; de Christo capite & ejus inclyto principatu; de charitate Christi circa electos, & de ejus infinito amore* scripsit. Quæ tria opuscula in indice Romano librorum prohibitorum sunt prohibita, donec expurgentur. vid. *Bellarm. de Script. Eccl. p. 284.*

§. 25.

Bessario, Trapezuntius, Græcus ad Latinos transiens & Cardinalis factus, multa scripsit tam Latina quam Græca opuscula, quæ Bellarminus *lib. cit. pag. 292. & Leo Allatius de Consensu l. 3. cap. 3.* recitat. Obiit an. 1472. Homo versipellis & patriæ & Ecclesiæ proditor appellatus est. Huic jungimus *Ambrosium Camaldulensem*, Florentinum Abbatem, virum prudentem & qui Latine ac Græce doctus fuit, ac Papæ partes in Concilio Basileensi tutatus est: Tracta-

ctatum de Spiritu S. Orationes ac Epistolas varias scripsit. Vitam ejus *Augustinus Florentinus*, Historiar. Camaldulensium lib. 3. descripsit.

§. 26.

Meffrethus, *Presbyter* Misnensis, circa an. 1443. clarus, conciones æstivales & hyemales, sub nomine, *Hortuli Regina*, reliquit, quæ Monachii 1612. & 1615. editæ sunt. Cui jungimus *M. Wesselium Hermanni*, *cognomento Gansfortium*, theologum Groeningensem, virum qui propter doctrinam & pietatem, *Lux Mundi*, dictus, claruit anno 1476. Tractatus ejus de potestate Papæ & Ecclesiæ, apud *Goldastum tom. 1.* extat. Opera alia, quibus Papatum tangit, Basileæ 1523. impressa sunt. In Sermonibus de conceptu B. Virginis, eam a labe originali immunem fuisse, non ausus est docere.

§. 27.

Hermolaus Barbarus, ex patricio Veneto Patriarcha Aquilensis an. 1480. factus, non tantum philologica opuscula, sed conciones sacras conscripsit. vide

Sim-

Simlerum p. 288. Huic jungimus *Thomam Netterum*, vulgo *Waldensem* dictum, Anglum, qui circa ann. 1430. *Doctrinale fidei antiquæ* tribus tomis distinctum compilavit, quod Venetiis 1571. prodiit: *& Jacobum Perezium*, Hispanum, qui commentarios in Ps. in Canticum Salomonis & alia scripsit: de quibus vide *Joseph. Pamphilum Chron. Ord. Eremit. S. Augustin. p. 96.* Addendus est *Raymundus de Sabundo*, Hispanus, Gymnasii Tholosani professor, medicus & philosophus celebris, circa annum Chr. 1430. Theologiam Naturalem, quæ Lugduni 1540. edita est, *& Violam animæ*, quæ etiam Theologiæ naturalis partem complectitur, reliquit. Prodiit Coloniæ 1501. Plures addere compendii ratio non patitur.

§. 28.

Inter *Historicos Latinos* hujus seculi clariores sunt, (1.) *Flavius Blondus*, patria Forolivienſis, Secretarius Eugenii IV. Papæ, historiam Romanam ab inclinatione Imperii usque ad sua tempora, h. e. ab anno Christi 407. usque ad annum 1400. scri-

scripsit, ubi de Roma triumphante, Roma instaurata, Italia illustrata agit. (2.) *Johannes Froissardus*, Valentianis ad Scaldin in Hannonia natus, res in Galliis præsertim Belgioque gestas *Chronico* complexus est; quod ab anno 1326. ad ann. 1399. perduxit. (3.) *Theodoricus de Niem*, Germanus, Clericus Lucensis, vulgo Episcopus Verdensis dictus, quod Spondanus ad an. 1410. n. 3. negat, vir cordatus, historiam annorum 38. libris quatuor complexus, quo tempore *Schisma* inter Papas & Antipapas fuit. Prodiit illa Basileæ an. 1560. Ipse Concilii Constantiensis tempore an. 1416. obiit. *Flac. Catal. l. 29.* (4.) *Poggius Brandolinus*, vel *Bracciolinus*, Florentinus, *Historiam Florentinam* scripsit, in qua hoc ipsi vitio datur, quod pleraque omiserit, quæ ad civiles discordias pertinerent, patriæ nimis favendo; Quod Artius Syncerus hoc epigrammate expressit:

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem:
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

§. 29.

§. 29.

(5.) *Wernerus Rolvink* seu *Rollwink de Laer*, Westphalus, Carthusianus, *Fasciculum Temporum* ab orbe condito ad suam usque ætatem h. e. ad ann. 1470. collegit, quem Johannes Linturnus ad ann. 1514. perduxit. vid. *Voss. libr. 3. de Hist. Latin.* (6.) *Baptista Platina*, patria Cremonensis, Apostolicus Abbreviator, quem Trithemius commendat in Catalogo Script. Eccl. Scripsit *Vitas Pontificum R.* quas Onuphrius Panvinius continuavit. Ipse Romæ, anno 1481. peste sublatus est. conf. *Flac. Cat. l. 19. f. 1904.* (7.) *Æneas Sylvius*, Piccolominæus, qui deinde Pontifex factus Pius II. vocatus est, libros duos de Gestis Concilii Basileensis, Historiam Bohemicam, Epistolas & Cosmographiam sive librum Historiarum de Mundo universo scripsit. Opera ejus Basileæ 1571. prodierunt. Historiam Friderici III. Imperat. ab eo scriptam B. Bœclerus edidit. Observant in illo, quod minus constans fuerit: *Nam quod Æneas Sylvius probavit, Pius damnavit.* vid. *Flac. Catal. lib. 19.*

fol.

fol. 1891. (8.) *Gobelinus Persona*, Decanus Paderbornensis, *Cosmodromium*, seu chronico nuniversale scripsit, quod ann. 1599. Francofurti impressum fuit. Nuper illud cum aliis scriptoribus Germanicis Clariss. *Meibomius* Helmstadii publicavit, vid. *tom. 1. Script. German.*

§. 30.

(9.) *Petrus de Natalibus*, Episcopus Equilinus, circa an. 1470. clarus, *Historiam Sanctorum* compilavit, quæ Argentorati 1502. & Lugd. 1542. excusa prostat. (10.) *Jacobus Wimphelingus*, Sletstadiensis, Ecclesiæ Spirensis Presbyter an. 1494. celebris, *Epitomen Imperatorum & Rerum in Germania gestarum*, *librum de vita & moribus Episcoporum Argentinensium*, *Soliloquium de pace Christianorum*, & alia opuscula, quæ *Simlerus pag. 316.* recenset, conscripsit. (11.) *Antonius Bonfinius*, Asculanus, hortatu Matthiæ Corvini, Regis Hungariæ, commentarios rerum Hungaric. reliquit, qui Hanoviæ 1606. excusi sunt. (12.) *Joannes Annius Viterbiensis*, præter commentarios in Psalm. & Apocalypsin, 27. li-

libros Antiquitatum multis fabulis refertarum edidit, de quibus *Volaterrani judicium lib. 14. Anthropologiæ & Ludovici Vivis lib. V.* de tradendis disciplinis, nec non Melchioris Cani *l. X. Loc. Comm.* legi potest. (13.) *Marc. Ant. Sabellicus*, Italus, fabri ferrarii filius, claruit ann. 1490. Historiarum ab O. condito, Enneades XI. & 3. libros Exemplorum, Aquileiæ Antiquitates & alia scripsit, quæ in eruditorum manibus sunt. (14.) *Robertus Gaguinus*, natione Belga, Jur. Can. Doctor, vir eruditus & eloquens, immaculatæ conceptionis Deiparæ virginis contra F. Vincent. de Castro Novo defensor accerrimus, Annales rerum Gallicarum lib. XII. complexus est, quos Hubertus Vellejus continuavit: Prodierunt Francofurti 1580. (15.) *Johannes Nauclerus*, Nobilis Suevus, Cancellarius Tubingensis & ejusdem Ecclesiæ præpositus, circa exitum hujus seculi clarus res memorabiles a M. C. usque ad ann. 1500. complexus est Chronico, quod in duo volumina distinxit, in *primo* 63. Generationes ab Adamo ad Christum

usque; *altero* Generationes 50. h. e. res usque ad suam ætatem persecutus est, quod Coloniæ 1563. impressum fuit. (16.) *Johannes Antonius Campanus*, quem mater rustica opere fessa, in agro sub lauro peperit, primum ovibus pascendis a patre destinatus, postea sacerdotis famulus factus, literis operam ita diligenter navavit, ut Scholæ Perusinæ præficeretur: tandem Episcopus Aretinus factus, orationem in conventu Ratisbonensi habuit luculentam, qua bellum contra Turcas suasit. Præterea scripsit vitam Pii II. & libros 6. de Gestis Andreæ Brachii Ducis Perusini. vid. *Volaterranum libr. XXI. Jovium in Elogiis & Lilium Gyraldum* Dialog. 1. de Poetis sui temporis.

§. 13.

Ex Græcis scriptoribus clari sunt (1.) *Simeon* Archiepiscopus Thessalonicensis, qui scripsit commentarium de divino templo Ingolstadii 1603. impressum, item Dialog. de pœnitentia, quem Morinus edidit. (2.) *Josephus Bryennius*, Constantinopolitanus Monachus, IIX. orationes contra Latinos περὶ τῆς ὑπερθέσ τριάδ☉. vid.

vid. *L. Allatium de Consensu l. 2. c. 18. §. 18.* (3.) *Macarius* cogn. Macres, opus de Processione Spiritus S. adversus Latinos scripsit. vid. *L. Allatium de Consensu l. 2. cap. 18. §. 11.* (4.) *Johannes Cananus*, Narrationem de bello Constantinopolitano cum Turcis, quæ cum Georgio Acropolita Parisiis 1651. prodiit. (5.) *Georgius Phranza*, Protovestiarius, Chronicon de rebus Byzantinis & Peloponnesiacis scripsit, quod Jacobus Pontanus cum notis, & Theophylacti Simocattæ Historia edidit Ingolstadii 1604. (6.) *Demetrius Chrysoloras* scripsit adversus Latinos. vid. *L. Allatium de Consensu l. 2. c. 18. §. 12. qui & c. loc. §. 15.* Macarium Metropolitanum Ancyranum allegat. (7.) *Marcus Eugenius*, Archiepisc. Ephesius de Synodo Florentina libellum scripsit, qui in Concil. tom. XII. extat. (8.) *Johannes Eugenius*, nomophylax, qui Concilio Florentino interfuit, & Anthirrheticon, adversus Synodum dictam scripsit, quod *L. Allatius libro de Purgat. p. 61. 220. 241.* allegat. (9.) *Georgius Gemisthus Plethо*, Constantinopolitanus Philosophus in-

guis, quo post Platonem & Aristotelem σοφώτερον ἢ ἐφυσεν ἡ ἑλλας. vid. *L. Allat. de Cens. l. 3. c. 3. §. 6.* (10.) *Georgius Trapezuntius*, ortu Cretensis, multa e Græcis transtulit & scripsit. vid. *Allatium de Consens. l. 3. c. 3. §. 2. & Boissardum Icon. illustr. c. 1. p. 134.* (11.) *Sylvester Sguropulus*, magnus Ecclesiarcha, Historiam Concilii Florentini, cui interfuit, descripsit, quæ Hagæ 1660. prodiit cum notis Rob. Creygthonii. (10.) *Johannes Argyropulus*, Constantinopolitanus, qui post captam Constantinopolin, in Italiam transiit, ac Florentiæ & Romæ philosophiam & bonas literas docuit. Scripta ejus *Allatius tom. 1.* Græcor. orthod. recenset. (13.) *Hilario*, Monachus Græcus, contra Græcos pro Latinis, *Orationem de pane Græcorum mystico & Latinorum fermentato* Græce scripsit, quam *Meursius* Lugd. Batav. 1619. edidit, (14.) *Ducas*, nobilis Byzantinus, Michaelis Ducæ Imperatoris nepos, historiam Byzantinam de postremis imperii Constantinopol. rebus reliquit, quam Bullialdus edidit Parisiis 1649. (15.) Geor-

Georgius Scholarius, Gennadius alias dictus, primus post captam Constantinopolin patriarcha, scripsit Exhortationem & orationes 3. ad Synodum Florentinam, cui interfuit, quæ tom. XIII. Concil. habentur. Deinde & confessionem Fidei, Mahommeti oblatam reliquit. v. *M. Crusii Turco-Græciam l. 2. & L. Allatium l. 3. c. 5. & 6.*

§. 32.

DOCTRINA miris modis fœdata, in scholis per inanes quæstiones metaphysicas magis, quam Biblicas tractabatur. Et cum S. Maria Deipara pro Diva passim adoraretur, etiam *de conceptione* ejus Franciscanos inter ac Dominicanos acre certamen exortum est. Quod *Baptista Mantuanus XII. Fastor. libro* graphice perstringit:

Pullulat hac radice gravis discordia rixæ;
Sunt etenim qui conceptus contagia in istos
Lapsa velint, magnamque putent traxisse parentem

Vomitis antiqui vitium, cui fecit origo
Nomina. Sunt alii, quibus hæc absurda
videntur.
Sicque duæ veniunt ista in certamina so-
ctæ;
Nonnunquam magno implentes subsellia
risu.
Æquanimes autem volumus si vera fate-
ri,
Vanus uterque labor, pietas temeraria,
præceps
Religio, levitas velata scientiæ amictu.
Nec natura potest illuc extendere visum:
Nec DEUS hoc docuit, nec re dependet ab
ista
Nostra Salus. Quæ nos igitur dementia
torquet,
Ut studeamus in his consumere litibus an-
nos.

§. 33.

Jacobus de Quitrode, Carthusianus, qui an. 1440. floruit, *de Erroribus modernorum Christianorum* agens, vanitatem cultus tum sacri regnantis notavit: Propter idololatriam, inquit, ut peregrinatio-

tiones, concursum ad statuas, conficta avaritiæ causa miracula, & ejusmodi manifestas vanitates & impietates, derideri ab infidelibus nostram religionem, ac a Judæis multis; nostros etiam in fide languefieri, quod Christianis & præsertim imperitioribus proponunt illas manifestarias falsitates, erroresque, quibus a sacerdotibus, quæstus gratia, ludificentur, indeque eos & reliquæ nostræ religionis vanitatem probare conari. vid. *Catalog. Test. Verit. l. 19. f. 1905. seqq.*

§. 34.

Huc referas controversiam de *Sanguine Christi*, inter Monachos enatam. Jacobus enim Marchianus, ordinis Minorum professor Brixiensis a. 1463. pro concione festo Paschatis dixerat, *pretiosum Christi sanguinem in triduo passionis, dum jacuit in terra sparsus, indignum fuisse latriæ cultu, quod fusus & a corpore Dominico separatus, hypostaticam unionem protinus amisisset.* Quod cum ordinis Prædicatorum monachi resciviſſent, illi hæresis dicam scripsere. Unde novæ inter

fraterculos istos contentiones inanes ortæ. vid. *Bzovium ad a. Chr. 1463. s. 1.*

§. 35.

Huic nova an. 1483. successit controversia de stigmatibus S. Catharinæ Senensis, & S. Francisci, quam *Bzovius ad an. cit. s. 20.* gravissimam dicit. *Hoc anno*, inquit, *Sixtus Pontifex, duas gravissimas controversias inter Regulares alios & Minoritas componere coactus est. Una erat de Stigmatibus S. Catharinæ Senensis D. Dominici institutum professæ. Jactabant Minoritæ, peculiare id S. Francisco uni & soli fuisse, ut stigmata Dominicæ passionis mirando quodam modo expressa circumtulisset.* Prævaluerunt illi in principio apud Pontificem Minoritam, ut propositis pœnis & censuris vetuerit, imagines ejus Sanctæ cum Stigmatibus pingi aut fingi; aut in publicum exponi; & si prostarent, stigmata deleri, abradi & amoveri. Unde ingens ubique in Dominicanos persecutio, cum fidelium scandalo conjuncta tamdiu, donec ille anathemata sustulisset, & a persecutione Minoritas cohibuisset.

§. 36.

§. 36.

Majoris momenti controversia fuit *Hussitica*, quæ ipsam Papatus acropolin petebat. Cujus historia cum prolixa sit, eam hic in compendium contraham. *Johannes Hussus*, a villa *Hus*, quod anserem significat, cognominatus, Professor Academiæ Pragensis & in sacello Academico Bethlehem dicto Ecclesiastes, vir eruditus & vitæ inculpatæ, sub initium hujus seculi, a duobus Anglis Theologiæ Baccalaureis Pragam venientibus, Joh. Wiclefi libros *de Realibus Universalibus* acceperat. Hos ipse cum discipulo suo genuino M. Hieronymo de Praga evolvens, magis magisque in doctrina Wiclefi, quæ in multis Waldensium placitis congruebat, confirmatus fuit; Papæ regnum sacrum esse Antichristianum, a quo Cleri & Ecclesiæ corruptio in omnes dimanarit. Huic alii etiam, occasione subtracti in S. Eucharistia calicis adstipulabantur. Igitur pro isto, zelo incensus, Papatum publice impugnare aggressus est. Cui novam ansam ipse Papa Johannes XXIII. dederat; cum Bul-

las ad expeditionem cruciatam adversus Ladislaum R. Neapolitanum tum hostem suum promulgasset. Has ille ann. 1412. publice proposita disputatione, impugnavit, cujus argumentum præcipuum fuit: *utrum secundum legem JESU Christi, liceat & expediat, pro honore DEI & salute populi Christiani, & pro commodo regni, Bullas Papæ de erectione crucis, contra Ladislaum Regem Neapolis & complices ejus, Christi fidelibus approbare?* Unde velut signo certaminis dato, magni animorum motus Pragæ & in Bohemia excitati. *Hussus* vero cum sociis bonitati causæ confisus, errores & abusus in Ecclesia Romana inolitos ac dominantes, cum disputando tum concionando strenue impugnare perrexit, fœdamque Ecclesiæ faciem, quem Cleri inprimis vitio induisset, manifestavit, attestantibus Hussi libris Norimbergæ conjunctim 2. tom. editis. Lis illa, cum Husso 45. articuli Papali doctrinæ repugnantes, ab adversariis objecti essent, ad Alexandrum V. Papam devoluta fuit. Unde is ad causam dicendam, Hussum evocavit Ro-

Romam, qui eo venire recusavit. Wenceslaus tamen R. Bohemiæ, rogatu Sophiæ conjugis suæ, cui Hussus a S. Confessionibus erat, legatos misit, qui absentiam ejusdem apud Pontificem excusarent. Sigismundus interim Fratrem Wenceslaum, cum Papa ad opprimendos Husitas, minis etiam additis cohortabatur. Isto autem connivente & jocante: *Hunc anserem aurea sibi ova ponere*; Indies aucto Hussitarum numero, Papæque & Cleri auctoritate vilescente, Sigismundus Imperator an. 1414. Constantiæ Concilium universale indixit. In quo, cum Hussus salvo, ut vocant, conductu instructus, ad defendendam veritatem comparuisset; contra datam fidem, & quidem inauditus ad rogum cum Hieronymo Pragensi condemnatus & combustus fuit. Historiam hanc *Æneas Sylvius in Hist. Bohem. c. 24. Dubravius l. 23.* prolixius describunt. *Johannes Cochlæus* vero & *Varillasius* Gallus, eandem impudenter corruperunt. His paulo melior est *Natal. Alex.* qui *H. E. Sec. XV. & XVI. part. c. 2.* falsis multa etiam vera admiscet.

§. 37.

Combustis autem his duobus veritatis divinæ testibus, ex eorum discipulis aliqui *Calixtini* appellati, (quorum Rokyzanus caput) articulum de necessaria communione sub utraque propugnarunt; aliqui *Thaborita*, ab oppido Thabor dicti, Procopio duce, repurgationem Ecclesiæ necessariam urserunt: *Orphani* aliqui ob mortem ducis sui appellati, ore Udalrici Presbyteri, liberam prædicationem verbi DEI requisiverunt. His accesserunt *Picardi*, originem juxta nonnullos e Gallia trahentes, qui a Thaboritis dissentiebant, licet Papatum infestarent. Ita his in partes scissis, multis inter se cædibus grassati sunt, testantibus belli Husitici scriptoribus.

§. 38.

Papæi interim inter se certarunt de ardua quæstione; *an Papa supra Concilium; an vero illi subjectus esse debeat?* Posterius Concilium Basileense affirmaverat; prius Papa ejusque parasiti omnes contenderunt. Papam nimirum esse supra concilium Generale; nec a sententia Pontificis

ad

ad futurum concilium appellari posse; etiam in iis, quæ ad fidem pertinerent, Motus tamen in Bohemia majores adhuc concitavit decretum Concilii Constantiensis *Sess. XIII. Jun. 15. an. 1415.* de communione sub una factum: *Quod licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum: item, licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie; -- TAMEN HOC NON OBSTANTE, sacrorum canonum auctoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat*, scilicet *communionem sub una.* Sacrilegii hujus prætextus vanissimi fuerunt quæsiti, periculum effusionis, prohibitio intinctionis, exempla communionis infirmorum & infantum, & hæresis eorum, qui alteram sine altera speciem non valere sentirent, quales Bohemi. vid. *Mabillonii comment. in Ordinem Roman. cap. 9.* Puduit Concilium Basileense Sess. XXX. ejus decreti. Hinc caute decretum, permissa sic utraque: *sive sub una specie*

cie: sive sub duplici quis communicet, secundum ordinem & observantiam Ecclesiæ, proficere digne communicantibus ad salutem. vid. *Spanhemii Epitom. Isagog. Histor. Eccles. N. T. Secul. XV. num. IV.* Bohemi autem cum restitutionem ablati calicis in S. Eucharistia urgerent, institutionem Christi moremque veteris Ecclesiæ allegantes; Johannes de Ragusio asserere veritus non est, Ecclesiam habere jus ac potestatem, dogmata & decreta divina mutandi, ad usum εὐταξίας.

§. 39.

HÆRETICORUM censu, hoc ævo, ut ante, omnes habiti, qui cum meretrice Babylonica communionem aversabantur, aut Papam R. pro Anti-Christo agnoscentes, vel Suprematum ejus, aut impura dogmata ac Cleri vitia impugnatum ivere. Ut *Wicleffitæ*, *Hussitæ* & similes mox nominandi.

§. 40.

Tales sunt *Thaboritæ* nomen ab oppido Thabor, quod eorum dux Zisca mœnibus cinxerat, habentes: qui Jo. Hussi do-

doctrinam adversus Papæos acriter defenderunt. Si tamen verum est, quod *Dubravius l. 26.* de iis commemoret, ab omnibus erroribus non fuerunt immunes, conf. *Æn. Sylvii Epist. 130.* His apud scriptores Bohemicos junguntur *Calixtini*, quibus nomen a defensione *calicis* in S. Eucharistia inditum. Calicem illi in parietibus, in vexillis, in templis pingebant. Unde Poetæ in istos lusus notus est Satyricus:

Tot pingit calices Bojemorum terra per urbes,
Ut credas Bacchi Numina sola coli.

Orebitæ, itidem Hussitæ, a monte quodam *Oreb*, quo congregari solebant, dicti, qui in sacrificulos crudeles extiterunt. Dux eorum Brodericus, presbyter Strasmicensis fuit. vid. *Dubrav. l. 23.*

§. 41.

Adamitæ anno circiter 1420. in Bohemia innotuere. Quorum autor Pickardus quidam, ex Gallia Belgica per Germaniam in Bohemiam penetrans, fuit. Qui assumto nomine *Adami* se DEI filium

um mentitus est, atque asseclas suos *Adamitas* dici voluit. Hi in Insula quadam Danubii ut Protoplastorum statum scilicet exprimerent, nudi incedebant, connubia promiscua permittentes. Quos Ziska Hussitarum dux omnes delevit, duobus tantum in memoriam stolidissimæ sectæ reservatis. vid. *Æn. Sylvii Hist. Bohem. c. 41. 42. & Natal. Alex. Histor. Eccl. Sec. XV. & XVI. part. 1. p. 405.* Hos etiam *Piccardos* ab autoris patria appellatos fuisse constat, confer *Dubravii l. 26.* Quibus adjunguntur a Pontificiis duo innocentes piique viri, *Petrus Dresdensis & Jacobus Misnensis*, qui Hussi doctrinam sectati, Papatum impugnarunt, ac autores vulgo cantionum ecclesiasticarum, *Puer natus in Bethlehem: & In dulci jubilo &c.* habentur. confer *Flac. Cat. Test. Verit. l. 29. f. 1836.*

§. 42.

Guilielmus de Hildernissen, Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo Sacerdos, & *Ægidius Cintoris*, Belga, sectam, quæ *Hominum Intelligentiæ* dicta fuit, circa initium hujus seculi condiderunt. Nam Ægi-

gidius ille asserebat, (1.) se esse Salvatorem hominum, qui per se ipsum visuri essent Christum, sicut per Christum, Patrem: (2.) Diabolum omnesque homines tandem salvandos esse: (3.) Omnes actus nefarios & actum carnalis copulæ, delectationem Paradisi vocavit: (4.) Tempus veteris legis, tempus fuisse *Patris*; tempus novæ legis, *Filii*; & tempus proximum *Spiritus S.* esse. Guilielmus addebat, exteriorem hominem non maculare interiorem: DEUM esse ubique, in lapidibus, in membris hominis, sicut in Sacramento Altaris: Resurrectionem amplius non sperandam esse, quod jam facta sit in Christo, cujus membra sumus, cum caput sine membris non resurrexerit. Hos aliosque errores vero postea an. 1412. coram Petro de Alliaco Episcopo Cameracensi revocavit & ejuravit, vid. *Natal. Alex. H. E. Sec. XV. part. 1. p. 403. seqq.*

§. 43.

Augustinus de Roma, Archiepisc. Nazarenus, ex ordine Ffr. Eremitarum, in libro *de Christo & Ecclesia*, has propositiones

tiones heterodoxas attulerat: (1.) Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus, quotidie peccavit; id vero non de persona Christi, sed de membris ejus mysticis intelligi voluit: (2.) Non omnes fideles justificatos esse membra Christi, sed solos electos finaliter in perpetuum cum Christo regnaturos esse: (3.) Humanam naturam in Christo esse Christum, & eandem personam Christi; (4.) Naturam humanam assumtam a Verbo, ex unione personali esse veraciter DEUM naturalem & proprium. Quos errores Synodus Basileensis *Sess. XXII.* damnavit. vid. *Nat. Alex. Sec. XV. part. I. p. I. p. 425.*

§. 44.

Joh. Gerson, *ex Johannis Parvi*, Nortmanni Theologi Parisiensis libello, cui titulus *Justificatio Ducis Burgundiæ*, errores varios excerpsit, quos inter præcipuus fuit monarchomachicus; quod subdito cuique liceat, Regem in tyrannum degenerantem interficere. vid. *Gerson. tom. I. opp. f. 409.*

§. 45.

§. 45.

Petrus de Osma, sive *Oxomensis*, Theologus Salmanticensis, confessionem Sacramentalem publicè rejecit, quod a Christo non fuisset instituta. Deinde peccata mortalia una cordis contritione, pravas cogitationes sola displicentia deleri, docuit. Quem Alfonsus Carillius Archiep. Toletanus, hac de causa aliis Theologis Compluti convocatis, anno 1479. damnavit, tradente *Bannesio in commentar. in II. 2da tom. Aquinat. quæst. 1. art. 10.*

§. 46.

Crassiores fuerunt errores *Hermanni Ruissvick*, Batavi: qui ann. 1499. Hagæ Epicureismum seminavit: quod anima hominis simul cum corpore intereat; quod materia, ex qua elementa facta sunt, DEO fuisset coæterna: quod Christus fuisset (absit blasphemia dicto) simplex homo & seductor aliorum; quod gesta Christi humano generi & rectæ rationi fuerint contraria; quod Scriptura S. contineat figmenta. Ob hæc & similia nefanda placita, ad rogum damnatus fuit,

fuit, memorante *Prateol. l. 8.* vid. *Nat. Alex. Sec. XV. part. 1. p. 430.*

§. 47.

Trithem. *in Chron. Spanheim.* Sectam in Bohemia circa exitum hujus seculi enatam memorat, quæ *Fossariorum* (der Grubenheimer) ideo appellata fuit, quod in fossis & speluncis noctu convenirent, & vaga libidine, brutorum instar uterentur, ministros Ecclesiæ contemnerent, Sacramenta irriderent, aliaque nefanda patrarent. His junguntur *Fratres Bohemi*, qui disciplina Hussitica imbuti, a Rege Bodebrazio an. 1458. precibus impetrarunt, ut in ditione Liticensi, in montanis Silesiæ proximis, liceret ipsis, abdicatis superstitionibus, sacra sua obire. In hoc secessu, ad formam simplicitatis Apostolicæ degere volentes, se invicem *Fratres & Sorores*, insuper habita, dignitate titulorum, compellarunt. Ideo multæ de iis calumniæ sparsæ sunt. Historiam eorum *Camerarius* peculiari libello descripsit.

§. 48.

CONCILIA & SYNODI hoc ævo plu-

plures convocatæ fuerunt. Inter quas *œcumenicis* annumerantur *Pisana*, *Constantiensis*, *Senensis* & *Basileensis*.

§. 49.

Pisana a. 1409. ad tollendum schisma, inter Anti-Papas ortum, ex consensu utriusque factionis Cardinalium celebrabatur. Nam tres simul Pontifices in illo schismate inaugurali fuerant, *Johannes XXIII. Benedictus XIII. & Gregorius XII.* nec, Bellarmino *l. IV. de Pontif. R. c.* 14. fatente, facile judicari poterat, quis *eorum verus ac legitimus esset Pontifex*; cum non deessent singulis doctissimi Patroni. In Synodo tamen hac contra Gregorium & Benedictum tanquam Pontificatu indignos, & notorios schismaticos sententia lata fuit apud *Theod. Niemium l. 3. de schismat. c. 44. p. 229.* In Sessione XVI. (al. 17.) communi consensu decretum, eum, qui Rom. Pontifex eligeretur, non prius Synodum dissolvere debere, quam sufficiens facta sit reformatio universalis Ecclesiæ, statusque ejus tam *in capite*, quam *in membris*. Acta hujus Synodi *Edmundus Richerius Hist. Con-*

Concil. General. l. c. 2. recenset. De autoritate ejus dubia, Bellarminus *l. 1. de Concil. & Eccl. c. 8.* disputat. conf. *Natal. Alex. H. E. Sec. XV. part. 2. diss.*

§. 50.

Constantiensis Synodus in historia celebrior est, quæ a Sigismundo Imperatore & Johanne XXIII. an. 1413. indicta ac sequenti an. 1414. præsente etiam Sigismundo inchoata fuit. Hujus convocationis causas duas præcipuas fuisse, ex actis illius adparet; *una* Joh. Hussi doctrinam, *altera* schisma Pontificum R. attinebat. In *Sess. 4. & 5.* decernitur, Pontificem Concilio subesse debere. In *Sess. 10. 11. & 12.* Johannes XXIII. Papa deponitur. In *Sess. 13.* lex, de non præbenda laicis communione sub utraque, lata est. In *Sess. 15.* Johannes Hussus non auditur contra fidem ipsi publice datam, & hæreticus ad rogum damnatur; cum ante *Sess. 8.* Wiclefus pro hæretico fuisset declaratus. In *Sess. 19.* decernitur hæreticis non esse servandam fidem. In *Sess. 21.* Hieronymus Pragensis cum Husso fato ad ignem

ignem damnatur. In *Sess. 39.* decretum de reformanda Ecclesia, & curia Romana *in capite & membris* editum fuit. In *Sess. 45.* & ultima, a. 1418. habita, Martinus V. Papa noviter electus omnia & singula decreta fidem concernentia adprobavit, eoque finem Synodo imposuit. In qua præter ducentos & septem Episcopos, Cardinales 29. & Patriarchas IV. adfuere 450. mulieres publicæ, barbitonsores 600. joculatores, Fistulatores & coci 320. Bonorum autem virorum (pergit *Gesnerus ex Paralipom. Chron. Ursbergens.* loqui) numerum exprimere nullus potest, non ob frequentiam, sed quod ob raritatem innumerabiles fuerint, confer *Natal. Alex. H. E. Sec. XV. part. 2. diss. 3. & 4.* & in qua decreta *Sess. IV. & V.* contra Bellarminum inprimis defendit.

§. 51.

Martinus V. Papa juxta decretum concilii Constantiensis, *Papiæ* primum in Italia ann. 1423. Synodum inchoat; quam ob ingruentem pestem, mox *Senas* transtulit. In qua de necessaria Eccleſiæ Ca-

Catholicæ reformatione, & Græcæ ac Latinæ Ecclesiæ unione parvo cum fructu actum est. Nam postquam sacrum in Hussitas & Wiclefistas bellum continuandum Papa decrevisset, Ecclesiæ emendatione in aliud concilium rejecta Synodum dissolvit, vid. *Nat. Alex. H. E. Sec. XV. p. 3. diss. 8.*

§. 52.

Majoris famæ est *Concilium Basileense* œcumenicum, quod ex decreto Synodi Constantiensis *Sess. 39.* Sigismundus Imperator cum Martino V. Papa, an. 1431. convocavit, & Eugenius IV. Martini Successor primum adprobavit; licet postea cum de curiæ Romanæ emendatione ac autoritate sua agi cœptum esset, Juliannm Cæsarinum Cardinalem, legatum suum avocaret. Sex enim capita in *Sess. 1.* deliberationis præscribebantur: (*1.*) *De hæresibus exstirpandis*; (*2.*) *De unione cum Ecclesia Catholica omni populo Christianam fidem profitente*: (*3.*) *De docenda singulos Christiana & catholica veritate*: (*4.*) *De bellis inter Principes exortis Christianos sedandis*; (*5.*) *De Ecclesia in capite & in membris reformandis*

manda: (6.) *De veteri disciplina ecclesiastica, omni studio reducenda.* Episcopi ac oratores præsentes secundum nationes, in quatuor conventus distincti, *Italicum* puta, *Gallicanum*, *Germanicum* & *Hispanicum*, quos *Sacras Deputationes* dixere, iisque nomina a negotiis demandatis indiderunt; ut *Fidei*, *Pacis*, *Reformationis* & *Communium*. Ex his quatuor conventibus duodecim viri deputati, terni ex singulis, & doctrina & rerum peritia clariores, quorum magistratus menstruus erat. Finito quovis mense, quatuor ex antiquis remanebant, qui octo recens adlectos dirigerent. Hi ter in hebdomade convenientes, res ante discussas vel rejecerunt vel ad quempiam ex convenientibus remiserunt. Præses duodecimvirorum, cum majoris momenti res incideret, extra ordinem quatuor conventus convocare poterat, & quod demum adprobatum erat in congregatione generali, id in formam decreti redactum, in publica universi Concilii Sessione, solenni ritu promulgabatur. In *Sess.* 2. Synodi Constantiensis Sessionis

4. & 5. decretum, de immediata Ecclesiæ & Concilii auctoritate supra Papam, ceu fundamentum rerum tractandarum assumtum fuit. Ideo Papa Eugenius IV. Synodum hanc dissolvere molitus est, bullis publice promulgatis. Verum cum a patribus congregatis & ipso Sigismundo Imperatore semel iterumque graviter moneretur, tandem *Sess. 16.* anno 1434. bullas suas de dissolutione Concilii publicatas revocavit, ac *IV. & V. Sessionis* decretum Synodi Constantiensis admisit. Inde de capitibus supra propositis actum est. In *Sess. 30.* decretum ex Synodo Constant. de communione laicorum sub una specie panis, approbatum: In *Sess. 36.* anno 1439. declaratum fuit, S. Mariam Deiparam *immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa.* Unde & renovatum festum conceptionis Mariæ in honorem S. Deiparæ quotannis celebrandum. In *Sess. 39.* Eugenio deposito, Amadæus Sabaudiæ dux, Felix V. appellatus, in Pontificem electus, approbatus fuit. In *Sess. 45.* & ultima, anno 1442. habita decernebatur, ut triennio cla-

elapso, Lugduni in Gallia Synodus convocaretur. v. *Natal. Alex. H. E. Sec. XV. part. 3. dissert. 8. artic. 2. seqq.* *In dissert. seq. 9.* de controversia super *Annatis* orta disserit.

§. 53.

Anno 1438. Synodus Ferrariæ sub Eugenio IV. inchoabatur, quæ ob pestem ingruentem, *Florentiam* translata fuit. Causa ejus prætendebatur reductio Græcorum ad Ecclesiam Latinam. Ideo & Joh. Palæologus Imperator Constantinopolitanus, & Josephus Patriarcha cum multis Episcopis eo venere. In *Sess. 1.* disceptabatur, *an sit purgatorium?* quod Græci negarunt. Deinde de processione Spiritus S. a Patre *Filioque* disputabatur. Græci tandem præsentes in unionem consenserunt: de qua multa *Leo Allatius de perp. Conf. Eccl. Or. & Occ. l. 3. c. 1. & 2.* memorat. Formula unionis a Juliano Cardinale Latine, a Bessarione vero, Niceæ Archiepiscopo & postea Cardinale, Græce prælecta atque ab utriusque Ecclesiæ Episcopis præsentibus, excepto Marco Ephesio, qui unionis pa-

cta improbavit, subscripta fuit. Vide *Historiam veram unionis non veræ* Sylvestri Sguropuli, quam Carolus Creygthon Hagæ-Comitis an. 1660. publicavit. Græci enim domum reversi & a suis male excepti, unionis pacta irrita pronunciarunt. Georgius Scholarius etiam sub finem *libr. de Proceff. Spir.* S. se post illam unionem, magis ab unione, quam antea dissensisse scribit. v. *Nat. Alex. H. E. Sec. XV. part. 3. diss. 10. & Heidegg. Hist. Papat. Period. V. §. 141.*

§. 54.

Rex Galliæ Carolus VII. cum Synodus Basileensis decreta pro reformatione Ecclesiæ in Capite & membris, & alia ad ipsum an. 1438. misisset, Avarici Biturigum Synodum indixit, in qua *Sanctio*, quam vocant, *Pragmatica* cusa est. Cujus duo præcipua capita sunt: *Unum*, quod R. Pontifex quoque decennio, Synodum generalem loco, quem volet, posthac congreget; Si autem negligens sit, Patribus id Juris competeret: *Alterum*, Basileensis Concilii auctoritas, & ipsius decretorum constantia

tia perpetua esto: quæ nemo unquam, nec ipse R. Pontifex tollere, infirmare aut transferre præsumito &c. Sanctionem hanc XXIII. titulis constantem, *Cosma Guimierus* cum notis illustravit; historiam vero ejus *Pinsonius*, advocatus Parisiensis descripsit. Papa Eugenius & Pius II. quidem illam abrogare moliti sunt; sed Rex illorum molitionibus acriter restitit. Tandem Ludovicus XI. R. Galliæ sibi persuadere passus est, ut repugnante licet Senatu, & Academia Parisiensi, in abrogationem ejus consentiret. v. *Richerii Hist. Concil. General. l. IV. part. 1. c. 1. & Nat. Alex. H. E. Sec. XV. part. 3. dissert. 10.*

§. 55.

Toleti in Hispania an. 1472. Synodus propter morum cleri reformationem habita fuit, qua inter alia constitutum est: *ne, non scienti loqui Latinaliter parochialis Ecclesia*, aut *canonicatus* aut *dignitas* alia *ecclesiastica* conferretur: deinde quod clerici non debeant ludere taxillis; & quod decedentes in duello, sepultura ecclesiastica carere debeant.

§. 56.

REGIMEN ECCLESIÆ sub initium hujus ævi propter ipsos Pontifices turbidum fuit. Nam a. 1409. in Concilio Pisano *Alexandro V.* electo, Ecclesia Romana *triceps* facta est; cum Gregorius XII. & Benedictus XIII. abdicato sibi invicem loco cedere nollent. vid. *Heideggeri Hist. Papat. Period. V. §. 139. Johannes XXIII.* Balthasar Cossa ante dictus, post obitum Martini seipsum elegit: *Date mihi*, inquit, *Petri chlamydem, & ego dabo Pontifici futuro.* Oblata illa, eam suis humeris injiciens, dixit: *Papa sum ego & non alius.* Qui cum criminum infandorum reus esset, in Concilio Constantiensi sede remotus, custodiæ traditus fuit; (v. *Sess. IX. & XII. Concil. Const. & Platin.*) *Martinus V.* exauctoratis simul tribus Papis, illi surrogatus est. Qui etsi paulo videretur melior; in Wicletitas, Bohemos & Hussitas tamen sæviit; cum ante vivicomburium Joh. Hussi & Hieronymi Pragensis adprobasset. In Concilio Basileensi Eugenius IV. *Sess. XXXIV.* Pontifex declaratur *pacis & uni-*

tatis

tatis Ecclesiæ DEI perturbator notorius, universalis Ecclesia scandalizator, Simoniacus, perjurus, schismaticus, a fide devius, imo pertinax hæreticus. Hic Hungariæ R. Ladislao autor fuit, ut pacem cum Turcis factam violaret. Unde luctuosa Christianis ad Varnam clades satis decantata illata fuit, quam Poeta ingenioso epigrammate expressit;

Romulidæ Cannas; ego Varnam clades notabo?
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

confer *Chalcocond. l. 6. & 7. & Bzov. ann. 1444. f. 96.* Thomam Rhedonium Carmelitam, pium certe virum flammis tradidit, quod in concionibus dicere solitus esset: Romæ magnas abominationes fieri, & ideo Ecclesiam reformatione indigere. v. *Baptist. Mant. de Vit. Beat. cap. ult.* Eugenium excepit *Felix V.* dux Sabaudiæ primus, Basileensis Concilii

autoritate electus Pontifex, qui pertæsus mox confessionis istius terræ, a Nicolao V. sibi persuaderi passus est, ut sese Papatu abdicaret. Hinc *Nicolaus V.* Papa factus, qui literas & literatos quidem fovit; sed tamen vitia in eo graviora notavit *Volaterranus l. 22. p. 517.* Quum post ejus excessum *Calixtus III.* an. 1455. electus esset Pontifex, *Dominicus Capranicus* dixit: *Quam fatue fatni fatuum creavere*, teste *Jac. Spigelio Scholiis ab Æneæ Sylvii comment. p. 271.* Per totam Europam Prædicatores cruciatos dimisit, qui ad bellum adversus Turcas, populum excitarent. Ipse autem ambitione turgidus, pro Petro Borgia sororis filio regnum Siciliæ ambivit, *Annatas* prætextu belli Turcici ab Episcopis exegit. Quæ causa inter alia Germaniæ Principes movit, ut conventu Rhenano instituto, *Gravamina Nationis suæ*, contra sedem Romanam conciperent, de quibus *Æneas Sylvius in Epistolis* memorat. In *Epistol. 383.* ad Cancellarium Moguntin. Martin. Mayerum scribit: *Fatemur aliquando in Romana curia, quam regunt homines, ali-*

aliqua fieri, quæ digna essent emendatione; nec dubitamus ipsos Rom. Urbis Præsules etiam, in quantum homines, falli, errare, labi ac decipi posse, Romæ 10. Aug. a. 1457. Sed postquam ex Ænea Sylvio, præter expectationem factus esset Papa *Pius II.* (factum id vero an. 1458.) aliter sensit. Nam ante Pontificatum adeptum, pro Concilio Basileensi; Papa vero constitutus adversus illud sensit, decretum promulgans, quod appellantes a R. Præsule, ad futurum Concilium, tanquam hæresis fautores & læsæ majestatis rei sint plectendi, teste *Jo. Gobellino in comment. Pii II.* Cætera tamen melior fuit antecessoribus suis. Optavit etiam Sacerdotum conjugia restitui. v. *Platin. in ejus Vit. & Sabellic. Ennead. VI, 10.* Successor hujus *Paulus II.* ingenio bardus, avarus & superbus, literarumque bonarum contemtor, Platinæ aliquando dixit: *Ita nos ad judices revocas, acsi nescires, omnia jura in scrinio pectoris nostri collocata esse? Sic fiat sententia, loco cedant omnes, eant, quo velint, nihil moror. Pontifex sum, mihique licet aliorum acta pro animi arbitrio &*

rescindere & approbare. vid. *Platin. in ejus vit.* Die inter crapulas consumta, lapsu repentino apoplectico extinctus fuit. *Sixtus V.* patre piscatore genitus, literatos fovit. Festa *Conceptionis & Præsentationis* Mariæ, Annæ, Josephi & Francisci instituit, ac Jubilæum ex quinquasimo, ad annum XXV. contraxit, ut largiores indulgentiarum proventus essent. Aliquando thesauro suo, familiari Francisco Aragonio ostenso, dixit, *Petrum & Paulum his ornamentis caruisse:* ubi pari libertate Aragonius reposuit: *Nec tu quidem Pontifex, Petri successor, claudicanti dicere poteris: Surge & ambula.* v. *Egnatii l. 6. Exempl. p. 203.* conf. *Heidegg. Hist. Pap. Per. V. §. 146.* Post ejus obitum an. 1484. *Innocentius VIII.* Genuensis Pontifex factus, liberos nothos suos palam jactavit, ac divitiis honoribusque ornavit. Unde Marullus:

Octo nocens pueros genuit, totidemque puellas,
Hunc merito poterit dicere Roma PATREM.

conf.

conf. *Volaterr. l. 22. & Panvinium. App. ad Platin. pag. 327. seqq.* Hic Norwegis, propter vini inopiam, permisit, ut sub panis tantum specie Eucharistiam celebrarent. v. *Volater. l. 7. Geograph. p. 159.* Multo sceleratior ejus successor *Alexander XVI.* quem *Guicciardinus l. 1.* a turpissimis moribus describit, & *Machiavellus de Princip. c. 18.* hominum deceptorem vocat. Spurium suum Cæsarem Borgiam, & notham suam Lucretiam, divitiis & honoribus auxit, ejusque turpi consuetudine usus est. Unde *Sannazarius* epitaphium illic fecit:

Hic jacet in tumulo Lucretia, nomine, sed re
Thais; Pontificis filia, sponsa, nurus.

v. *Volaterran. l. 22.* Hic Hieronymum Savonarolam ad rogum damnavit, quod curiam Romanam & clerum, pro concione libere taxasset. v. *Cominæi in hist. Caroli VIII. l. 5. & J. Fr. Pici Mirandulani apolog.* pro innocentia Savonarolæ.

§. 57.

Disciplinam ævi hujus corruptissimam arguunt Conciliorum consultatio-

nes pro reformanda Ecclesia, cum in capite, tum ejus membris necessaria. *Rolvinckius in Fascic. Temp. pag. 87.* clarius corruptionem hanc describit: *Conscientia pura*, inquit, secundum DEI timorem olim in Prælatis vigens Ecclesiam Christi laudabiliter, more, vita & exemplo erexit & pervexit. Dehinc successu temporis cum jam Ecclesia in temporalibus abundare cœpisset, oblita quodammodo de *conscientia*; *scientia*, quæ inflare solet, multos in Ecclesia fecit, qui S. Scripturam, diversis versutiis palliantes, justitias Domini rectas, quæ cor lætificare consueverunt, propter delicias carnis falsificare non timebant: Multas hæreses seminabant & plura beneficia pinguia, per Papam dispensando cumulabant. Veruntamen aliqui, licet pauci, *con*, cum *scientia* retinentes, conscientia pura & scientia s. illuminati, multos ad justitiam erudiunt, qui jam quasi splendor firmamenti in æterna felicitate rutilare creduntur. Sed heu! nefandis his temporibus *con*, cum *sci*, de conscientia abrasis, solum *entia*, sponsam

Chri-

Christi gubernare videmus; personas videlicet conscientia scientiaque carentes, & velut *entia* insensibilia, nec Deum nec sanctos ejus verentes, beneficia super beneficia sibi usurpare. *Æneas Sylvius Epist. 104.* ad Casparum Schlickium scribit: *Omnes hanc fidem habemus, quam nostri Principes, qui si colerent idola, & nos etiam coleremus, & non solum Papam, sed Christum etiam negaremus, seculari potestate urgente; quia refrixit charitas, & omnis interiit fides.* Culpa hæc tamen, a cordatis istius ævi Theologis, in ipsum clerum conjicitur. Nam *Jo. Syringius* cum *Jo. Keisersbergio* Argentinensium doctore fervido & pio, sæpius dixit: Der Pfaffen Thun wäre nicht recht / sie müsten fallen: Et *Tilemannus Spangenberg*: Sie sollen seyn Seelsorger / so seynd sie Leib- und Seel-Würger. v. *Flac. Catalog. Test. Ver. l. 19. f. 1921.* Dionysius Carthusianus *in Expos. cap. 1. Daniel sub fin. p. 701.* exclamat: *Heu! heu aliquantum lapsum venit hodierna die Ecclesia propter reprobam vitam clericorum.* Unde hoc seculo toties reforma-

tio in capite & membris Ecclesiæ postulata, sed non obtenta fuit. conf. *Heideggeri Hist. Papat. Period. V. §. 147. Flac. Catal. Test. Verit. l. 19.* & ipsum *Bzovium ad an. 1492. f. 20.*

§. 58.

PERSECUTIONES R. Antichristi inprimis Jo. Hussus, Hieronymus Pragensis, & horum asseclæ, sub hujus ævi initium senserunt. Sed cum illi vivicomburio fuissent sublati, Hussitæ duce Ziska, vicissim in Papicolas bello longe lateque grassati sunt; injurias sanctis illis martyribus illatas ulturi. v. *Æn. Sylvii Hist. Bohem. c. 47. Aventin. l. 7. f. 652. & Theobaldum de Bell. Hussit.* Cæterum in laudatis martyribus constantiam, in morte demonstratam, peculiari epistola luculenter *Leonhardus Aretinus descripsit.* Et *Æn. Sylvius Hist. Bohem. cap. 26.* de eadem testatur: *Pertulerunt ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma & fra-*

fragor ignis intercipere potuit. Nemo philosophorum, tam forti animo mortem pertulisse traditur, quam isti incendium. Memorabilia etiam sunt duorum laudatorum martyrum vaticinia: quorum ille in mediis flammis ann. 1415. die 6. Jul. Constantiæ, *hodie*, inquit, *Hussum* (anserem Boemiis notat) *crematis: post centum annos cygnus veniet, quem comburere non poteritis:* Hic an. 1416. d. 30. Maj. contenta voce professus est: Carnifices suos post centum annos sibi responsuros esse. Ita ex Stumpfii Chronico Abr. *Scultetus Annal. Evangel. Decad. I. p. 6.* Unde Bohemi desiderio Hussi, numismata cuderunt, inscriptione postremorum ejus verborum signata: *Post centum annos, respondebitis DEO & mihi.* Et his exactis, adparuisse Lutherum, testis est *Petrus Matthæus*, Scriptor Pontificius non incelebris.

§. 59.

Hieronymi Savonarolæ, viri doctrina & pietate insignis, martyrium supra memoravimus. Is scelera Papæ & curiæ R. procerumque Florentinorum im-

impietatem publice taxaverat. Hinc odium illorum incurrit, ut obtentum magiæ, hæresis & proditionis, tormentis non tantum subjiceretur, sed & ad rogum a. 1498. damnaretur. Innocentiam ejus Jo. Picus Mirandulanus peculiari libro adversus Pontificem demonstravit. Viri autem pietatem & constantiam *Philippus Cominæus* testis αὐτόπτης *commentar. l. 8. c. 2.* laudat. confer *Wolfii Memorabil. tom. 1. f. 927.*

§. 60.

Non mitiora fata Christianorum, sub Turcico imperio fuerunt; Constantinopoli anno 1452. (aliis 1453,) expugnata. *Bzovius ad an. 1453.* Isidori Cardinalis Rutheni θρηνωδίαν περὶ τῆς ἁλώσεως plane gravem excitat. *Æneas* etiam *Sylvius Epist. 131. 155. & 162.* calamitatem Græcorum horrendam, quam post captam Constantinopolin passim sustinuerunt, describit. confer *Chalcocondyl. l. 8. Leunclav. l. 15. & Besoldi Histor. Constantinopolitan. pag. 779. seqq.*

§. 61.

§. 61.

MEMORABILIA omnia hujus seculi compendium non capit. Potiora ergo paucis tantum verbis attingemus: Qualia sunt (1.) Pontificum R. inter se schismata ac ambitiosa tyrannis: (2.) Concilii Basileensis decretum solenne, *Papam R. infra Concilium esse*: (3.) Unio Græcæ Ecclesiæ cum Latina seu Romana frustra tentata: (4.) Clades Christianis ob perfidiam, in pugna Varnensi, a Turcis illata: (5.) Constantinopolis expugnatio Imperio orientali & Christianis fatalis: (6.) Imperii Trapezuntini (a Trapezunto Cappadociæ urbe sic appellati) a Muhammede an. 1460. facta eversio: (7.) Literarum meliorum cultura, post Constantinopolin captam, a Græcis exulibus in Italia restaurata: (8.) Maurorum & Judæorum in Hispania durissima sors, a R. Ferdinando Catholico *Inquisitionis*, quod dicunt, barbaro *officio* instituto; quo a. 1492. centum & viginti duo mille familiæ in exilium ejectæ sunt: (9.) *America* per Christophorum Columbum, Ferdinandi Catholici & Isabellæ auspiciis an-

an. 1492. detecta: (10.) Typographia per Johannem Guttenbergium & Joh. Fauſt. civem Moguntinum an. Chr. circiter 1440. rei literariæ bono, inventa, a. 1450. Latina Biblia primum impreſſa ſunt: (11.) Multæ rerum converſiones in politia memorabiles, quæ in hiſtoria civili paſſim annotatæ leguntur.

§. 62.

Summatim dicendo, in hujus ævi hiſtoria ſcena panditur, in qua tum R. Anti-Chriſti, ejusque complicum ambitio & ſcelera, tum qui ab Eccleſia Romana diſſenſere, perſecutiones & diriſſima vivicomburii ſupplicia contemplari datur. Nam veritatem cœleſtem profiteri, aut contra Papatus crimina vel hiſcere, vel vitæ probitatem in clero requirere, crimen morte piandum erat. Equidem in ipſo regno Anti-Chriſtiano non defuerunt, qui vecordiam & ſuperbiam Pontificum R. coercere molirentur, Conciliorum autoritatem ſuper ipſos extollendo. Verum ut fixum ratumque maneret, imperium Papale ἀνυπεύθυνον eſſe; illi pertinacem ambitionem induere pro cauſa, regnumque

que sacrum tyrannicum, artibus variis & sectionibus munire non cessarunt, imperium in mentem, partem hominis nobilissimam, quæ sola mancipio non datur, ac servire nescit, affectantes. Quid? O sacrilegium! Christi sanctissimum in Eucharistia institutum, sanctione illi adversa de *communione* quam *sub una* vocant, mutilare non dubitarunt. Etsi bellum Hussiticum divinæ ultionis exemplum satis luculentum, quod multo Bohemorum & Germanorum sanguine constitit, eos monere debuisset; quantum scelus sit, usu sanguinis Christi laicos privare, & innocentes afficere martyrio. Majus iræ divinæ documentum, expugnatio Constantinopolis, qua tot Christianorum millia jugo Turcico submissa stertentibus velut Christianorum principibus præbuit, qui otiosi tantam rei Christianæ jacturam spectarunt. Ita fatalis torpor homines, quando DEUS peccata eorum punit, occupare solet. Christo tamen in hac temporum calamitate, & vitiorum colluvie, sanctum remansit semen, quod furor hostium exstirpare haut valuit.

PERIO-

PERIODI V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

Quæ est Ecclesiæ Repurgatæ aut Reformatæ,

CAPUT I.

De

Hist. XVI. Sec.

Ingressus.

AGgredimur seculum, quo, si Ecclesiam respicis, nullum aliud inde ab ævo Apostolico, magis insigne fuit. Tanta enim rerum Christianarum conversio facta est, quanta post Apostolorum tempora in Ecclesia haut contigit. Regnum tenebrarum sub Papatu hactenus invaluerat, & qui adversus illud aut Romani Vejovis tyrannidem hiscere ausi erant, aut ad rogum damnati, aut, si Principes, excommunicationis fulmine prostrati fuerunt; unde ubique gentium querimoniæ de corruptelis R. Ecclesiæ ac Pontificis tyrannide auditæ. Sed qui malum reprimere posset, nemo invento erat Donec DEUS Ecclesiæ misertus, contra hominum

num opinionem, *Martinum Lutherum*, virum invicti & plane divini animi excitaret: ut, quod ante toto piorum votis ac postulationibus expetitum fuerat, propitio perficeret fato. Divinum hoc opus *Reformationis* est. Quod cum a multis, tum ab illustri Seckendorfio, patrono meo, dum viveret, optimo, justis commentariis descriptum fuit. Ex illis ergo pro instituti mei ratione, potiora hic tantum annotabo, novo ob rerum copiam narrationis ordine usurus: Hoc est, universam hujus seculi historiam secundum temporum certa intervalla, in *Sectiones novas sex*, dispescam, ut discentium memoriæ quodammodo consulatur.

PERIODI V.

Sectio I.

§. 1.

In *prima Sectione*, statum Ecclesiæ, qualis ab initio hujus ævi, usque ad an. XVII. quo Lutherus Reformationis opus aggressus est, paucis delineabo.

§. 2.

Ac quod Scriptores primum attinet,

net, qui hoc tempore claruerunt, omnes recenſere, aut eorum etiam opera annotare, compendii noſtri ratio non permittit. Igitur præcipuos ſaltem nominaſſe ſufficiat. Hos inter clariores ſunt, *Johannes Reuchlinus* ſive *Capnio*, patria Phorzenſis, gente Germanus; *Johannes Trithemius*, Germanus, primum Spanheimenſis, deinde Herbipolenſis Abbas: *Albertus Cranzius*, Hamburgenſis canonicus: *Johannes Ludovicus Vives*, Hiſpanus: *Baptiſta Mantuanus*, Italus, monachus eruditus: *Johannes Aventinus*, Bojus ſeu Bavarus: *Jacobus Clichtoveus*, Neoportunenſis; *Guil. Budæus*, Galliæ literatæ decus: *Deſiderius Eraſmus Roterodamus*, princeps eruditorum hujus ſeculi: *Petrus Galatinus*, ex Judæo Chriſtianus in Hiſpania factus: *Franciſcus Ximenius*, Ciſnerenſis Hiſpanus: *Thomas de Vio*, a patria Cajetanus appellatus: *Thomas Morus*, Angliæ Cancellarius; *Martinus Lutherus*, Islebienſis Saxo: *Petrus Moſellanus*, *Beatus Rhenanus*, *Jacocus Wimphelingus*, *Longolius*, *Simon Grynæus*, *Jo. Langius*, Weſtphalus: *Bilibaldus Pirckheimerus*, Germanus,

nus, & alii. confer *Chytræum Chron. Sax. l. 3. f. 48. seq. Hottinger. H. E. Secul. XVI. Sect. 3. & Sculteti Annal. Evangel. p. 23. & 4.*

§. 3.

Doctrina, quæ seculis Christianismi antiquissimis, ab ipso Christo ejusque discipulis tradita, atque ab illorum sectatoribus in Ecclesia asserta primum fuerat, plusquam Cimmeriis tenebris involuta mireque contaminata erat post Constantini M. Imperat. ætatem: ut pauci admodum superfuerint, qui verbum cœleste rite tractarent, aut viam ad DEUM, quam Christus monstraverat, insisterent. Tanta quippe barbaries regnare cœperat, ut Abbas Neuhusani monasterii, in Vangionibus dixerit: Wenn Luther nicht kommen wäre / sie hätten die Leute überreden wollen / daß sie Heu gefressen hätten. Idem de quodam Canonico Herbipolensi *Melch. Adami in Vit. Theolog. p. 845.* memorat. Quitum Ecclesiæ præerant Pontifices, *Alexander VI. Julius II. & Leo X.* fœdæ libidini, luxuriæ & sceleribus dediti, re-

religionis curam abjecerunt; quippe quæ illis ludus aut pro fabula erat. confer *Budæi librum V. p. m. 642. & Richerium l. IV. Hist. Concil. General. part. 2. p. 29.* In Concilio Lateranensi, quo de emendatione Ecclesiæ agi debebat, concluſum demum fuit *animas hominum esse immortales*, nec de adventu Anti-Christi amplius disputandum esse. v. *Francisc. a Cariolano Summ. Conc. f. 902.*

§. 4.

In hoc igitur corruptissimo Ecclesiæ statu, non tam hæresis quam superstitiosus Epicureismus notatur: Nisi velis hæresin dicere, quod Julius II. Papa, in Concilio Lateranensi Pisanorum Cardinalium institutum, de reformanda Ecclesia, *hæresin extinguendam* pronunciavit. vid. *Richerii Hist. cit. l. 4. part. 2. p. 59.* Quatuor tamen hæresiarcharum Ordinis Prædicatorum, Bernæ in Helvetia combustorum historiam memorabilem *Hottingerus H. E. Sec. XVI. Sect. 3. p. 334. seqq.* memorat.

§. 5.

CONCILIA autem imperante Maximiliano

no I. duo ad emendandum Ecclesiæ statum indicta, unum *Pisanum*, alterum *Lateranense* vocatur.

§. 6.

Quod *Pisanum* attinet, autores illius fuere Maximilianus I. Imper. & Ludovicus XII. R. Galliæ. Imperator enim princeps optimus, cum flagitia & dedecora cleri detestaretur; ex officio, Pontificem & Clericos in ordinem redigere laboravit, & collectis anno 1510. centum gravaminibus adversus curiam Romanam, cum Rege Galliæ de Concilio Pisano, pro *necessitate & utilitate Reipubl. Christianæ contra Julium II. Papam* consilia agitavit. Ideo in Insubria, cum Cardinalibus congregatis deliberatione habita, tum nomine Imperatoris & Regis Galliæ, tum nomine Cardinalium, Cal. Sept. 1511. Pisis Synodus congregata fuit. Papa vero Julius II. animadvertens, eo suæ maxime autoritati derogari, Maximilianum a Gallo abstraxit, effecitque, ut is cum Ferdinando Catholico R. Hispaniæ omnem istius Synodi autoritatem aboleret. vid. *P. Bembi Hist. lib. 12. pag. 507.*

& Goldast. Const. Imp. t. 3. f. 484. Quo facto, Pontifex Regem Galliæ sibi obnitentem diris devovit. vid. *P. Suavis Hist. Concil. Trid. lib. 1. p. 4.* Enimvero is contraria obnuntiatione diras revicit, cuso etiam nummo aureo, qui titulos R. Franciæ regnique Neapolitani cum effigie sua ex una parte referebat cum elogio: *Perdam Babylonis nomen*, memorante *Thuano l. 1. Hist. initio.* Sed Philippus Decius JCtus Mediolanensis Pisanum Concilium defendit, apud *Richerium l. 4. Hist. Concil. Gener. p. 167. seqq.*

§. 7.

Papa tamen ne promissi, intra biennium Synodi generalis habendæ, immemor videretur, a. 1512. Concilium in Laterano indixit *novum.* In quo, ut diximus, missa emendandæ Ecclesiæ cura, decretum fuit, *animas esse immortales, & de adventu Anti-Christi non amplius esse disputandum.* Hoc Maximilianus I. & Rex Galliæ ob certos respectus civiles, in gratiam Pontificis tandem adprobarunt. Etsi Episcopi tandem Itali, curiæ Romanæ assecłæ, ad illud convenissent.

sent. *Et hæc est illa*, inquit Richerius jam laudatus, *eximia & tantopere Christianis nationibus, a ducentis annis exoptata reformatio, vel, ut verius dicam, abusuum curiæ Romanæ incrustatio & involutio.* confer. *Hotting. H. E. Sec. XVI. Sect. 3. p. 903. seqq.*

§. 8.

Eo adhuc durante, *Julius II.* Pontifex militaris dictus, d. 21. Febr. anno 1513. vivis excesserat; in cujus locum Johannes Medicæus, qui nomen *Leonis X.* assumsit, surrogatus fuit. Qui continuato illo Concilio, in *Sess. XI.* anno 1516. Synodi Constantiensis & Basileensis decreta atque Sanctionem Pragmaticam abrogavit. Verum Academia Parisiensis hac de causa a Leone ad Concilium provocavit. Ubi dignum id notatu videtur, quod; dum hoc Concilium, quo summa iterum potestas Papalis asserta fuit, anno 1517. mense Martio finiretur; Cal. Novembr. ejusdem anni, *Lutherus* divinis auspiciis sanctum Reformationis opus exorsus sit. Id quod *Johannes Hilten* monachus Franciscanus, anno antece-

dente prædixerat, initium fore inclinantis Papatus. Melanchthon vidisse se enarrationem Danielis, manu Hilteni, & in ea vaticinium hoc scriptum, refert in altero Epistolarum libro, p. 81. confer *Apolog. A. Confess. pag. 126. 276.* cum quo etiam supra recitata Husi & Hieronymi Pragensis, cum martyrium subirent, prædictio congruit.

§. 9.

Multi hac rerum tempestate, refloreſcentibus inprimis meliorum literarum studiis, deprehenderunt, se in tenebris versari, fœdamque barbariem hactenus Religionem Christianam obscurasse & obruisse. Unde illis tædium moverunt inania ceremoniarum, ac ad frivolam potius subtilitatem, quam solidam pietatem adornata Theologiæ vulgaris scita. Superstitiones quoque, queis monachorum vulgique animi irretiti fuerant, doctioribus & piis sensim innotescebant. Mores itidem sacri ordinis a summo ad imum, non minus exosi quam despecti, autoritatem cleri jam imminuerant; dum Episcoporum multi negotiis aularum im-

impliciti, multi per ignaviam, luxum & venationem, insulam prostituissent sacram: & Alexandri VI. Julii II. qui nuper Pontificatum gesserat, memoria ob libidines, avaritiam & morum insolentiam, plerisque detestabilis fuit. Nec meliorem se præbebat Leo X. infandæ Veneris masculæ infamis; etsi bonas literas & literatos foveret, ac ideo ab his etiam laudatus fuerit. confer. *Hotting. H. E. Sec. XVI. Part. 1. Sect. 3. pag. 538. seqq. & p. 644. seqq. & Part. 2. c. 1.* Talis cum esset Ecclesiæ facies, jam prope erat, ut DEI benignitate, superstitioni & tyrannidi Papali modus aliquis aut finis poneretur. Cum enim lateres duplicantur, venit Moses. Moses autem Germaniæ fuit Lutherus.

PERIODI V.

SECTIO II.

§. 1.

SEcundam *Sectionem* ab an. M. D. XVII. ordimur, quæ ortum, progressum & obstacula *Reformationis* a Luthero cœptæ

usque ad annum hujus ævi XXX. quo August. Confessio exhibita fuit, continet.

§. 2.

De SCRIPTORIBUS, qui hoc temporis intervallo claruerunt, prolixe commemorare hic non vacat. Post Lutherum, *Philippus Melanchthon*, communis Germaniæ Præceptor appellatus, fuit præcipuus. Horum deinde vel discipuli, vel paraphrastæ plures in eorum libris, Epistolis & historia celebrantur. Quos inter *Georgius Spalatinus*, *D. Bugenhagius*, *D. Georgius Major*, *D. Casp. Cruciger*, *D. Nic. Amsdorfius*, *Andr. Cnophius*, *Vitus Theodorus* sive *Dietericus*, *Paulus Speratus*, *Paulus Fagius*, *Andreas Osiander*, *Caspar Hedio*, *Jo. Brentius*, *Martinus Bucerus* & alii in historia Lutheranismi, a B. Seckendorfio passim laudati, v. *Pantaleonis Prosopogr. l. 3. Melch. Adami vit. Theol.* Inde *Ulricus Zwinglius*, *Jo. Oecolampadius* & alii in Helvetia reformationem Ecclesiæ exorsi. Quos *Hottinger*, H. E. *Sec. XVI. Part. 2. c. 3.* commendat. Antagonistarum Lutheri nomina apud Pon-

Pontificios clara sunt, *Johannes Eccius*, Ingolstadiensis, *Sylvester Prierias*, Romanus, *Jacobus Hochstrat*, Lovaniensis, *Conradus Wimpina*, *Hieronymus Emserus*, *Joh. Cochleus*, *Jacobus Latomus*, *Jac. Faber* Stapulensis, & similes jejunæ theologiæ magistri, in Lutheri scriptis apologeticis crebro nominati & confutati.

§. 3.

Nobis ad ipsa auspicia *Reformationis* progrediendum, quaque occasione data, *Lutherus* tantum aggressus sit opus, exponendum venit. Nimirum Pontifex S. Leo X. immodico luxu & profusis largitionibus, ærarium exhauserat suum. Igitur Laurentium Puccium, Cardinalem, in consilium adhibuit; unde iterum supplendo ærario pecunia conflari posset? Hic *indulgentias*, toto orbe Christiano, & maxime in Germania prædicandas nominavit. Unde jussu Papæ indulgentiarum nundinatores, diplomatibus ejus hac de causa promulgatis, dimissi sunt. vid. *Petr. Suavis seu Pauli Sarpii Hist. Concil. Trid. l. 1. pag. 4. seqq.*

In Germania vel Saxonia potius, id muneris Albertus Brandenburgicus, Archiepiscopus, & Primas Germaniæ, nomine Pontificis, Johanni Tezelio Pirnensi, Ordinis Dominicani fraterculo, commisit. Qui ut erat impudens & vaniloquus, per Misniam & Saxoniam vagans simplici & incautæ plebeculæ concionabundus affirmavit, ad primum tinnitum nummorum, in pelvin adpositam conjectorum, manes defunctorum ex orco, rectis lineis, in cœlum statim subvolare: atque adeo posse cognatos, affines & amicos pecunia carorum sibi animas redimere; ut culpa omnis & pœna peccatis debita condonaretur; idque contestatum fecit datis membranis, in quarum cera ad rerum fidem confirmandam, sigillum Pontificis impressum fuit. Has *indulgentiarum literas*, contra priscæ Ecclesiæ stilum vocabant. Quibus propositis cœlum venale erat. Scelera enim non commissa tantum, sed perpetranda etiam adhuc remittebat volentibus ea prius redimere, ac postea conari. v. *Sleidan. Comment. l. 1. & Seckend. H. Luth. l. 1. Sect. 6. §. 6.*

§. 4.

§. 4.

Erant, qui credulos nimis & superstitiosos homines, in fraudem flagitiosissimis nundinis impelli viderent atque detestarentur: Sed qui sceleratam nundinationem impugnaret, nemo ausus est in Germania, præter Martinum Lutherum, in Academia Wittebergensi Theologiæ Professorem. Is enim divino veritatis studio ac zelo incensus, Cal. Nov. an. 1517. capita seu theses XCV. de condonatione peccatorum ex S. literis desumtas, & foribus templi arcis affixas Tezelii mendaciis opponebat, ac de hisce etiam Wittebergæ pro cathedra graviter disputabat, & cum aliis disserendo planum faciebat, *Indulgentias* a Tezelio prædicatas & divenditas esse rem profanam, impiam atque nugatoriam. v. *Seckendorffii Hist. l. 1. Sect. 9. seqq.* Ante vero hanc de indulgentiis susceptam disputationem, Lutherum a Pontificiorum erroribus in articulo de Justificatione, & libero arbitrio dissensisse, *D. Kortholdus in Hist. Eccles. Sec. XVI. cap. 2.* demonstravit.

§. 5.

Jacta sic divinis auspiciis alea, magni animorum motus passim concitati fuerunt, quibusdam caussæ Lutheri faventibus, quibusdam de ejus successu desperantibus. *Albertus Cranzius* supra nominatus, cum de hoc ausu inaudivisset, exclamavit: *Mi frater Martine, abi in cellam tuam, & dic miserere mei, DEUS!* apud *Chytræum Chron. Sax. f. 223.* Prior & Sup-Prior Wittebergæ metu novi ausus perculsi Lutherum adeuntes rogarunt; *parceret ordini suo, nec ludibrio hominum exponeret, jam nunc in sinu gaudere Dominicanos, in ignominiæ suæ societatem Augustinianos venisse.* Quibus Lutherus respondit: *Totum hoc statim concidet, si in nomine DOMINI cœptum non est: Sin autem, DEO rem committite perficiendam.* vid. *Luther. Enarrat. German. Ps. 118. tom. 5. Jenens. fol. 90.* Erasmus Roterodamus inter eruditos hujus ævi facile princeps, & qui Nov. Testamentum Græcum cum interpretatione Latina primum anno 1516. in Germania evulgarat, causam quidem Lu-

Lutheri adprobavit, eumque primum laudavit; sed stili acrimoniam postea reprehendit. *Epistol. ad Rector. Erfurtens. lib. 12. Epist.* confer. *Seckendorff. Histor. Luther. lib. 1. Sect. 36. §. 87. & Sculteti Annal. Evangel. ad ann. 518. pag. 30. 31.* Principes quoque, quorum dignationem fastu Sacerdotum proculatam, Lutherus e divinis literis assertum ivit, viri destinata non poterant non adprobare. Præsertim cum doceret, ipsis fas esse Ecclesiæ malis medicinam dispicere, ac Sacerdotum vitia corrigere, itemque bona sacra, quibus monachi & clerus segnitiem suam & luxum alerent, ad genuinos revocare usus confer. *Hug. Grotii Annal. & Histor. de Reb. Belg. lib. 1. §. 9.* Ipse Maximilianus I. Imperat. etiam primum, antequam motus inde excitati nimium a Papa exaggerarentur, Lutheri ausis favit; cum reformationem Ecclesiæ jam ante ipse molitus esset.

§. 6.

Quum verò publicata Lutheri dispu-

tatione adversus *indulgentias*, Tezelii putidæ merces passim vilescerent; incentore Tezelio, qui auxilio Wimpinæ, Lutheri theses refutare ausus erat, Johannes Eccius, Sylvester Prierias, Jacobus Hochstrat, Hieronymus Emserus, Cochlæus, Jacob. Faber Stapulensis, & similes frigidæ theologiæ scholasticæ magistri, Lutherum sophisticationibus & convitiis catervatim aggrediebantur. Verum is divini verbi veritate subnixus, horum strophas & ineptias sophisticas ita discussit, protrivit atque extinxit, ut aridæ & leves stipulæ in ardentem ignem conjectæ absumuntur & pereunt; aut velut exorto sole, caligo nocturna penitus discutitur atque evanescit. vid. *Sleid. l. 1.* unde ipse Lutherus *tom. 1. Epist.* scribit: *quo magis illi furiunt, eo amplius procedo; relinquo priora, ut in illis laterent, sequor posteriora, ut & illa allatrent.* confer *P. Suavis Histor. Conc. Trid. l. 1. p. 10.* Nam a. 1518. *capita de indulgentiis* declarata Leoni X. Pontifici inscripsit, submisse ejusdem petens judicium vid, *tom. 1. opp. Luth. Wittebergen-*

bergenſ. Sed Pontifex in partes inſtitorum indulgentiarum concedens, eos defendit, ac Lutherum poſtea Bulla promulgata d. 9. Nov. an. 1519. damnat inauditum; cum ante Cardinale Cajetano, Auguſtæ Vindelicorum poſtulante, palinodiam canere recuſaſſet, apud *Sleid. l. 1. P. Suavis Hiſtor. Conc. Trid. l. 1. p. 8. & Seckend. Hiſtor. Luther, l. 1. Sect. 18. §. 37. ſeqq.*

§. 7.

Interea Georgius Dux Sax. qui Lipſiæ reſidebat, cognito Jo. Eccii ardore diſputandi cum Wittebergenſibus 4. Non. Jul. an. 1519. inter illos colloquium indixit, Quo de libero hominis arbitrio Eccium inter & Carolſtadium primum diſputatum fuit: deinde Lutherus cum Eccio de primatu Papæ diſceptavit. vid. *Pfeiferi Lipſiam* a nobis publicatam *l. 3. §. 27. & Seckend. Hiſt. Luth. l. 1. c. 24. §. 53. ſeqq.* Hoc anno, Papa Carolum Miltizium, ex nobilitate Miſnica cubiculatium ſuum, ad Electorem Sax. Fridericum Sapientem cum munere *Aureæ Roſæ*, quam *Sleid. l. 1. p. 17.* deſcribit, ſingularis ſcilicet bene-

volentiæ signo misit per literas eundem rogans atque obtestans, ut Lutherum filium Satanæ expelleret. v. *Sleid. l. 1. & tom. 1. Luth. opp. Latin. Jenens.* Hic Altenburgi cum Luthero collocutus, Pontificis mentem exposuit: ut nempe sileret, atque palinodiam caneret. Quod Lutherus facere recepit, si ante erroris ex S. codice fuisset convictus. *Sleid. l. 2. & Seckendorf. H. L. Sect. 24. §. 47. seqq. & Sect. 27. §. 67.* Cum autem Pontifex officium justi judicis deseruisset, Lutherumque inauditum damnasset; hic ad liberum Concilium provocavit, ac cœpto interim Reformationis operi strenue insistendo caussam DOMINI egit.

§. 8.

Dum hæc in Misnia & Saxonia geruntur, Tiguri apud Helvetios *Ulricus Zwinglius* a. 1519. Bernhardum Samsonem Mediolanensem, monachum Franciscanum, pari cum Tezelio modo indulgentias vendentem, publice refutare atque demonstrare cœpit, eum esse impostorem. vid. *Sleidan. lib. 1. fin. P. Suavis H. conc. l. 1. p. 9. Scultetum Annal. Evang. p. 1. p. 45. 47.*

At-

Atque hinc ille Helvetiorum Reformatoris elogio ornatur, & ab *Hottingero* prolixe laudatur.

§. 9.

Lutherus insequenti anno, a Pontifice excommunicatus, iras dirasque ejus juxta habuit. Nam non tantum *librum de Captivitate Babylonica*, h. e. Papatu publicavit; sed & ipsam Bullam (ab Ulrico Hutteno equite Franco festivis glossis interlinearibus illustratam) ejusque autores excommunicavit. vid. *tom. 1. Lat. Jenens. f. 423. & 404.* Quia vero Pontifex etiam Lutheri libros Romæ cremari jusserat, ipse convocato omnium Scholasticorum cœtu, Wittebergæ extra portam, Jus Pontificium seu Canonicum Vulcano solenniter consecravit. vid. *Sleid. l. 2. & Scultet. Annal. p. 53. seqq.* Seckend. *H. L. l. 1. Sect. 31. & 32.*

§. 10.

Instabant Comitia a Cæsare Carolo V. Wormatiæ an. 1521. indicta. In his Lutherus citatus, animo intrepido comparuit, suamque doctrinam coram Cæsare

sare & aliis magnatibus animose professus est, nec blanditiis nec minis, quibus tentatus fuit, cedendo. Quapropter cum viri invicti constantiam nec ipse Cæsar frangere posset, eum d. 8. Maj. proscripsit. v. *Seckendorf. Histor. Luth. l. 1. Sect. 37. 38. 39. 40. seqq. P. Suav. H. Conc. Trid. l. 1. p. 15. seqq.* Proscriptum Fridericus Elector Saxoniæ in arce Warteburg prope Isenacum abscondit; ne per insidias e medio tolleretur. Luthero in Pathmo hoc, ut vocare solebat, hærente, quidam fanatico spiritu abrepti, Wittebergæ, somnia & colloquia cum DEO jactare cœperant, præterea requirentes, ut Papatu egressi rebaptizarentur. Unde Fanaticis illis commune *Anabaptistarum* nomen impositum. Hi erant Nicolaus Storch, Marcus Stubnerus, Martinus Cellarius, & Thomas Münzerus, motuum postea rusticorum in Thuringia fax & tuba. Eodem animi morbo correptus Andreas Bodenstein, a patria D. Carlstadius appellatus, statuas e templis tumultuose ejecit, nec amplius Doctoris titulo vocari voluit. Quorum in-

insaniam Lutherus clam e Pathmo Wittebergam rediens, objurgavit atque castigavit. v. *Sleid. l. 3. pag. 72. Sculteti Annal. p. 104. & 111. Seckend. H. L. l. 1. Sect. 45. 48.* confer eruditam *de Pathmo Lutheri* dissertationem *August. Antonii*, doctissimo *Christ. Cellario* præside, in Academia Hallensi nuper publicatam. Per idem tempus Academia Parisiensis certa quædam capita, e libris Lutheri collecta damnavit, apud *Suav. Hist. citat. pag. 17.*

§. 11.

Wormatiense illud *edictum* jam memoratum multis terrorem incussurum esse videbatur; ut novam Evangelii lucem affulgentem fugerent atque ad tenebras pristinas redirent. Enimvero præter opinionem & vota sacrificulorum, aliter evenit; cum excitatis jam ex veterno Pontificio animis hominum, non eruditi tantum, sed & illiterati quoque multi scripta Lutheri cum Latina, tum Germanica legerent avide, atque intelligere inde inciperent, quantum commenta Pontificia a veritate Christi Evangelica dista-

distarent. Nam per Thuringiam & Saxoniam inferiorem Evangelica doctrina disseminata, subinde plures invenit amatores. Quos *Chytræus Chron. Sax. lib. 10.* memorat. Etsi interea Henricus VIII. Angliæ R. occasione ex libro de *captivitate Babylonica*, sumta, adversus Lutherum calamum stringeret, Pontificem R. defensurus. Cui Lutherus, zelo velut heroico stimulatus, mox graviter respondit. vid. *Sleid. l. 3. p. 69. & Sculteti Annal. p. 115. Seckend. l. 1. Sect. 46. 47.* Interea Leone X. Papa Cal. Decembr. an. 1521. vivis erepto, favore Cæsaris *Adrianus*, sequenti anno ad Pontificatum evectus, Principes Germaniæ Norimbergæ congregatos adversus Lutherum incitare non intermisit, Erasmum etiam cohortatus, ut Lutherum aggrederetur. vid. *Sleid. l. 3. p. 75. & l. 4. pag. 104. Erasm. l. 23. Epist.* At Germaniæ Proceres, *centum* adversus curiam Rom. *Gravamina* exhibuerunt, quæ abrogari postulabant. vid. *D. Jo. Schilteri de Libert. Eccles. Germ. l. VII. c. 2.* Erasmus autem an. 1524. a Rege Angliæ præcipue incitatus, edito libro,

cui

cui titulus, *Diatribe de libero arbitrio*, adversus Lutherum evulgavit. Qui illi mox librum de *Servo arbitrio* opposuit. In quo paulo duriores locutiones aliqui animadverterunt, quas D. Sebastianus Schmidius nostro tempore excusavit. vid. *Sleid. l. 4. p. 106. Luther. tom. 2. Epist. p. 138. & Seckend. H. Luth. 1. Sect. 63.*

§. 12.

Dum Lutheri Evangelica doctrina, per fidos Evangelii ministros, latius per Pomeraniam, Silesiam & Borussiam quoque spargitur; Dux Saxoniæ Georgius supra memoratus, omni molimine in majori Misniæ parte Reformationem Papatus impedire laboravit. v. *Luth. tom. 2. Altenburg. f. 224.* Inprimis quod reipublicæ magnam inde conversionem metueret, si Procerum dissensus circa sacra, cum cleri dissidiis inter se, magis in Germania invalesceret. *Hadrianum* Pontificem ad reformationem propensum, similes fere causæ a laudabili consilio retrahebant, apud *Suav. Hist. cit. l. 1, p. 24. seq.*

§. 13.

§. 13.

Majus progressui Reformationis impedimentum objectum fuit, per dissensum de *cœna Domini*, inter Lutherum & Ulricum Zwinglium atque Joh. Oecolampadium an. 1525. exortum. Lutherus illa Christi verba: *Hoc est corpus meum*, secundum literam, absque figura intelligebat; Zwinglius autem tropum in illis finxit, interpretando, *Hoc significat corpus meum*: Oecolampadius vero, *hoc est corporis mei signum*, exponebat. Utrinque res magna contentione, multisque scriptis fuit agitata, dum Lutheri sententiam Saxones; Helvetii vero Zwinglii sequerentur. Ne autem Schisma hac de causa oriretur, post triennium Landgravius Hassiæ, Philippus, Marburgi colloquium instituerat. Enimvero dissidium hoc conventu componi haut potuit. Unde prima schismatis inter Protestantes causa nata est. v. *Sleidan. l. 5. p. 140. & l. 6. p. 175.* Auxit illud noxium Ecclesiæ dissidium, Casparus Schwenckfeldius, nobilis Silesius ab Osfinck, Lutheri doctrinam primum professus, sed post-

postea contemplationibus suis nimium indulgens in devia raptus est. Hic verba Christi ita interpretanda censuit: *Corpus meum est hoc*, id est, cibus animæ, panis cœlestis, qui est ipsemet Christus. *Bucholzerus* de eo dixit: *Schwenckfeldio non defuisse cor bonum, sed caput regulatum.* Multa illi fanatica placita *Schlüsselburgius* peculiari libro tribuit.

§. 14.

Luthero & doctrinæ Evangelicæ, eodem anno, majorem invidiam conflavit bellum rusticanum, cujus in Thuringia incentor Thomas Münzerus, vulgo pro evangelico præcone habitus, fuit. Hinc publicæ Pontificiorum voces passim auditæ: *Hinc novæ doctrinæ: Hinc Evangelii Lutheranici fructus?* Verum Lutherus rusticos seditiosos, non tantum a tanto scelere hoc gravissime ante dehortatus fuerat; sed etiam atrocem istam calumniam publicis scriptis amolitus est. v. *tom. III. oper. German. Jenens. & Sleidan. l. 4. p. 117. & l. 5. initio.* Rex Angliæ Henricus III. Luthero quoque hoc anno matrimonium cum Catharina a Bore,

Vir-

Virgine Vestali, ceu incestuosum exprobravit, apud *Sleidan. l. 6. p. 145.* Satyrica epithalamia in nuptias ejus a Conrado Collino, Priore Colonienſi & Hieronymo Emſero composita, apud *Cochlæum in vita Lutheri* extant. confer *Seckendorf.* H. L. *l. 2. Sect. 2. 3. 4. & 5.* Nominatus autem R. Angliæ cum Aloisia, Franciſci I. R. Galliæ tum in Hiſpania captivi matre, fœdus ad ſectam, quam vocat peſtiferam Lutheranam, a qua non minus periculi ſit, quam a Turcis, profligandam inierat. Apud *Sleidan. l. 6. p. 145.*

§. 15.

Dum ita pasſim extinguendæ doctrinæ Evangelii, consilia cuduntur, in Septentrionis regna, illa divino munere propagatur. Nam Fridericus, Rex Daniæ, operam navante ſuam Petro Suavenio, Lutheri doctrinam in templis publice proponi juſſit; cum jam per Holſatiam diſſeminata eſſet. conf. *Chytr. Chron. Sax. l. 10.* In Suecia M. Olaus Petri, genuinus Lutheri diſcipulus, Rege Guſtavo connivente, itidem ſemina Evangelii latius, magno cum populi adplauſu

su sparsit. Et quanquam Johannes Magnus Episcopus Upsaliensis contra niteretur; Rex tamen optimus laudati Petri suscepit patrocinium. v. *Messenii Chronic. Episc. Sueciæ a nobis editum c. 1. Pufendorf. Isagog. Hist. de Regno Suec. Germanicam §. 58. seqq. Seckend. H. L. l. 1. Sect. 57. & D. Erici Benzelii Brev. Hist. Eccles. Sec. XVI. p. 371. seqq.*

§. 16.

Invalescente indies magis laudata Evangelii doctrina, Carolus V. Imper. & frater ejus Ferdinandus cum Francisco R. Galliæ & Papa conspirantes illius extinguendæ consilia agitarunt. Cum enim an. 1526. Franciscus e captivitate Hispanica dimitteretur, pacis formulæ insertum fuit; Cæsarem atque Regem eo potissimum spectare, ut & Christianæ Religionis hostes, & *Sectæ Lutheranæ* extirpentur *hæreses*. Ideo in Germania Spiræ habitis comitiis, Ferdinandus, cum Episcopis imprimis, de nova, quam vocarunt, religione extirpanda consultavit. Enimvero dum inter Papam Clemen-

mentem VII. Cæsarem & Gallum disfidium exoriretur novum, & elector Saxoniæ atque Landgravius Hasfiæ, Evangelicos tuerentur; in comitiis, ut omnes ita sese gererent, quo facti sui rationem & DEO possint & Cæsari quoque reddere, decretum fuit, apud *Sleid. l. 6. & Seckend. l. 2. Sect. 9.* Imo Cæsar a Pontifice graviter offensus, per omnem Hispaniam nominis Pontificii autoritatem, *Thuano teste l. 1. Hist.* abrogavit, ac per Carolum ducem Borbonium & Fronsbergium Romam intercepit atque diripuit. vid. *Sleid. l. 6. & Seckend. H. L. l. 2. Sect. 11. & 12.*

§. 17.

Turbatis sic Pontificiorum per intestina bella consiliis, Philippus Landgravius Hasfiæ, in suis ditionibus *Reformationem* suscepit; consiliis hac in re Melanchthonis & Franciscí Lamberti Avenionensis Galli usus. Ante Homburgi, præsente Landgravio, disputatio fuerat habita, in qua cum Pontificii succubuissent, reditus monasteriorum quoque ad Academiam Marburgensem, & quatuor Nosocomia ille transtulit. vid. *Seckend. H. L. l. 2. Sect. 8.*

Eo-

Eodem anno Badenæ inter Fabrum, Eccium, Marnerum Pontificios, & Zwinglium, Oecolampadium, Bartholdum Hallerum & alios, de Missa, de invocatione Sanctorum, de Purgatorio & aliis disputatum fuerat. Et cum Oecolampadius clamoribus Eccii fuisset obrutus, Wolffg. Capito scribit: Die Evangelischen wären überschryen/ aber nicht überdisputiret worden.

§. 18.

Incrementa renascentis velut Ecclesiæ, de Cœna Domini, a Zwinglio excitata certamina, & Anabaptistarum per Germaniam vagantium molitiones fanaticæ, hoc tempore turbarunt: cum *Syngramma* a Suevicis Theologis compositum (unde & *Suevicum* appellatum) cum Lutheri præfatione Wittebergæ prodiisset. Cui Oecolampadius & alii Helvetii, *Anti-Syngramma* opposuerunt. vid. *Luther. tom. VII. opp. Lat. Witteberg. f. 335.* Hinc exacerbatis utrinque animis, spes concordiæ, quam Bucerus & Capito, Argentoratenses Theologi reducere laborabant, exolevit. Lutherus tamen interea A-

nabaptistarum delirantium errores latius serpentes refellere haut intermisit. Johannes etiam Elector Sax. an. 1527. ut tribunitiis clamoribus sacrificulorum obexponeretur, in tota ditione sua, visitationem Ecclesiarum instituit. vid. *Chytr. Sax. f. 338. Luth. tom. IV. Altenb. f. 389. seqq.*

§. 19.

Sequentia an. 1528. cum Joachimus Elector Brandenburgicus infensus maxime Luthero, Evangelicos concionatores, e ditione sua ejiceret, & Georgius D. Saxoniæ in sua regione quoque, Lutheri asseclas persequeretur; D. Joh. Bugenhagius in Saxonia inferiori & Hamburgi inprimis propagando Evangelio laudabilem operam navavit. vid. *Seckend. H. L. l. 2. Sect. 13. §. 41.* Lutherus etiam de falsorum doctorum suppliciis quæsitus, negat eos occidendos esse, apud *Seckend. l. c. §. 43.* Eodem anno, *Confessionem Magnam* de Cœna Domini publicavit; in cujus parte (1.) Zwinglium, in (2.) Oecolampadium refutat; in (3.) vero parte, suam de Eucharistia con-

confessionem ad mortem usque tuendam edit. Zwinglio interim in articulo de Christo, ἀλλοίωσιν comminiscente Lutherus naturam unam in Christo, pro altera accipi posse, negavit.

§. 20.

Cæsar an. 1529. Spiræ iterum solennem Procerum conventum indixerat: in quo Rex Ferdinandus, conspirantibus Catholicis, nomine Cæsaris, inter alia decrevit; nemini fas esse, religionem veterem (Pontificiam) mutare. Quod decretum Johannes El. Sax. *Constans* appellatus, Georgius Marchio Brandenburg. Ernestus & Franciscus Luneburgi Duces, Philippus Landgravius Hassiæ, & Dux Anhaltinus *protestando* irritum declararunt. Unde inposterum Evangelicis Ordinibus, qui ab Ecclesia R. dissenserunt, nomen *Protestantium* inditum fuit. vid. *Sleidan. l. 6. p. 171. seqq. D. Joh. Strauchii Dissert. Exoteric. seu Jur. Publ. VII. & Seckend. H. L. l. 2. Sect. 14.* Cæterum in his comitiis, Faber Constantiensis Landgravio exprobraverat intertextas famulorum aulicorum manticis literas

teras V. D. M. I. Æ. *Verbum Dei Manet In Æternum*, cavillatus; manet in Ermel. Landgravius reposuit: imo hoc volunt istæ literæ: *Verbum Diaboli Manet in Episcopis*, apud *Scult. Ann. Evang. p. 251.* Lutherus autem de salute, quos vocabant, laicorum sollicitus, in horum gratiam *Catechismum minorem*, hoc anno publicavit. v. *tom. IV. 463. seqq.*

§. 21.

Landgravius Hasiæ Philippus, Princeps prudens & generosus, disidium de S. Cœna Domini, jam ultra triennium inter Evangelicos agitatum, magno Ecclesiæ damno in schisma tandem desiturum esse, ni concordia mature sanciretur, prævidens; Marburgi colloquium inter dissidentes a. 1529. instituit. Cui ex Wittebergensibus Lutherus, Justus Jonas & Melanchthon, ex Suevis Joh. Brentius, ex Norimbergensibus Andr. Osiand. ex Argentinensibus Bucerus & Hedio, ex Helvetiis Zwinglius & Oecolampadius interfuerunt. Enimvero utraque dissidentium parte, in sua sententia persistente, tentatum illud concordiæ stu-

studium frustra fuit. vid. *Sleid. l. 6. p. 175. Scultet. Annal. Evang. pag. 196. seqq. & Seckend. H. L. l. 2. Sect. 17.* Eodem anno hac de causa Flensburgi in Holsatia, R. Daniæ Fridericus conventum Theologorum indixerat, quo D. Bugenhagius oralem manducationem, adversus Melchiorem Hoffmannum & Hermannum Tastium defendit. Hujus acta a. 1611. Germanice edita prostant.

§. 22.

Cæsar autem Ordinibus Protestantibus universis jam iratscens, horum legatis Placentiæ mandavit, ut decreto Spirensi & Wormatiensi promulgato pareant: alioquin fore, ut auctoritatis atque etiam exempli causa, severe in illos animadverteretur. Quemadmodum hac de causa etiam Bononiæ cum Clemente VII. Papa sibi jam reconciliato egit: Qui armis controversias obortas dirimendas esse censuit. vid. *Melanchth. tom. V. Declam. p. 87. & Seckend. H. L. l. 2. Sect. 19. P. Suav. H. Conc. Trid. l. 1. p. 53.* Magno hoc tempore Ecclesia Evangelica periculo obnoxia videbatur; cum Cæsar, Papa & Re-

ges in ejus conversionem conspirassent. vid. *Sleid. l. 6. & 7.* Lutherus tamen bonitate causæ nixus, animum suum haut quaquam despondit; sed bene speravit, quum nihil prope sperandum videretur. Ac licet ad profligandam injustam vim, nullum humanum præsidium prævideret; non defore tamen cœlestem opem, omnino existimavit.

PERIODI V.

SECTIO III.

De Statu Religionis a tempore exhibitæ A. Confess. ad obitum Lutheri.

§. 1.

IN hac Sectione, præter supra *Sect. 2.* nominatos Theologos, inclaruere *Urbanus Regius*, *Joachimus Mœrlinus*, *Matthias Flacius* Illyricus, *Hieronymus Weller*, *Johannes Pfeffinger*, *Erhardus Schnepfius* & alii ex Lutheri & Melanchthonis Epistolis, nec non Historia Lutheranismi Seckendorfii colligendi, quorum vitas *Melch. Adami*,

dami, elogia vero *Sleidanus*, *Melanchthon* in epistolis suis, & ex parte *Thuanus* in historia descripserunt. Inter Pontificios celebres Scriptores *Natalis Alexander H. E. Sec. XV. part. 1. c. 5.* recensetur.

§. 2.

Illuxerat in hac miranda rerum conversione, annus hujus ævi trigesimus, quo Imperator Carolus V. Augustæ Vindelicorum comitia indixerat: ut tum de bello Turcico, tum inprimis de Religionis controversiis sopiendis decerneretur. Hac de causa ipse, Protestantes ante convocationem, fidei suæ formulam scripto exhibere etiam jusserat. Mandato huic Elector Sax. Johannes paruit, & quod nemo futurum putasset, omnium primus ipse adfuit. Usque adeo & DEO probare fidem suam & Cæsari studebat Princeps magnanimus. Interim Luthero & Melanchthoni, viro in literis pariter & rebus sacris, id temporis longe exercitatissimo, cum Justo Jona, & Bugenhagio dederat negotium conficiendi postulatam a Cæsare Confessionem, sive Formulam Fidei, communi omni-

um Protestantium nomine ipsi exhibendam; cum ut Cæsaris voluntati fieret satis, tum ut calumniæ immanissimæ, quibus sacrificulorum & monachorum greges hactenus Lutheri doctrinam oneraverant, abstergerentur atque confutarentur. Quicquid enim aut Anabaptistarum & fanaticorum natio deliraverat; aut quicquid crudelissimarum cædium hactenus & cladium, per rusticorum seditiones, perpessa esset Germania; immo quicquid Manichæi olim, aut Ariani & similes pessimi hæreticorum sparsissent impii; id omne novitiæ Lutheri Sectæ, vel ipsi Luthero imputatum, & ab imperitis, quorum semper maxima copia est, creditum fuerat. v. *Seckend.* H.L. *l.2. Sect. 20.21.22.*

§. 3.

Confessio hæc summam fidei Christianæ continens, sacrosanctis Scripturis examussim congruebat, nec a vetustissimæ Ecclesiæ placitis abludebat, simulque crassiores Romanæ Ecclesiæ errores sub *Abusuum* nomine rejiciebat. Ideo illam Ordines Protestantes, quorum caput

Ele-

Elector Saxoniæ, quum advenisset Imperator, ipsi exhibuerunt, rogantes, ut publice coram Ordinibus imperii etiam recitaretur. Id quod post multas tergiversationes Papæorum tandem obtinuere. Nam d. 25. Junii ista edita publiceque præsentibus Imperatore Carolo, Rege Ferdinando fratre, & cæteris Imperii proceribus ac delegatis, qui magno numero aderant, de scripto, audientibus omnibus, recitata fuit. Quo facto, deliberatio in Senatu Principum habita fuit ardua, quid de illa statuendum. Erant, qui decreto Wormatiensi standum; erant, qui Confessionem editam, a viris doctis & piis examinandam prius, quam de ea statueretur, censerent. Erant etiam, & quidem pars major, qui refutationem ejusdem adornandam, comprobante Cæsare judicarent. vid. *Seckend. H. Luth. l. 10. Sect. 23. seqq. Korthold. H. E. Sec. XVI. c. 7. §. 30. seqq.*

§. 4.

Atque hæc cum prævaluisset sententia, Johannes Faber, Joh. Eccius, Conradus Wimpina, Conradus Collinus, Joh.

Cochlæus, & alii ex Pontificiorum grege, Confutationem illius satis jejunam & frigidam composuerat. Hujus autem copiam sibi fieri Elector Sax. cum aliis Ordinibus Protestantibus, a Cæsare petierunt; quam cum ægre obtinuissent, statim per Melanchthonem refutarunt. Unde *Apologia* Augustanæ Confessionis nata, quam inter Symbolicos suos libros Confessores retulerunt. vid. *Seckend. H. Luth. l. 2. fol. 260.* Atque sic, quum minus speraſſes, veritas cœlestis hactenus pressa, opprimi haut potuit. Quin emersit conspicienda omnibus & admiranda. Historiam rei gestæ post *Sleidanum lib. VII. Chytræus, Cœlestinus & Seckendorffius H. Luth. l. 2.* fuse exposuerunt. *Lutherus etiam tom. V. Jen. fol. 26. seqq. & f. 157. seqq. Saubertus de Mirac. Aug. Confess.* libro Germanico, *Dorschæus* de Provid. circa *A. Conf. Dissertat. & Varenius Exegef. A. Conf. §. 4. & 5. τὸ θεῖον τι,* hac in parte annotarunt.

§. 5.

Imperator, qui toties ab Ordinibus Imperii expetitum concilium indicandum

dum interim promiserat, d. 19. Nov. edictum promulgari curat; quo omnes usque ad Concilii tempus ex præscripto Ecclesiæ Rom. vivere juberentur; qui secus faxint, in eos Cæsarem pro officio animadversurum esse. Multi hoc edicto perculsi anxie rei eventum expectarunt, apud *Sleid. lib. VII. pag. 194. & 196. Seckend. H. Luth. lib. 2. Sect. 35.* Argentinenses, qui articulum X. Aug. Conf. juxta Zwinglii mentem improbarant, cum Constantiensibus, Memmingensibus & Lindaviensibus, peculiarem fidei suæ Confessionem, per D. Casparem Hedionem obtulere, quam ipse Cæsar repudiavit. *Sleid. teste lib. VII. pag. 198. & 200.*

§. 6.

Divinæ tamen providentiæ tribuendum est, quod Aug. Confessio, jussu Cæsaris in linguam Hispanicam, Italicam & alias conversa, ad exteros Reges & Principes missa fuit, apud *D. Cœlestinum Hist. Comit. tom. 2. f. 19.* Principes interea Protestantes, quum Cæsar illam admittere nollet, Smalcaldiæ, mense Decembr.

convenerunt, formulam fœderis concepturi; non quidem animo offendendi quenquam, sed defendendi causa, si Cæsar & Papa doctrinam jam publice propositam extinguere molirentur. Et hujus gratia cum Theologi, cum Politici in consilium adhibebantur varii; ne quid temere in re tam ardua præcipitaretur. vid. *Hortleder, tom. I. de Bell. Smalcald.*

§. 7.

Lutherus, qui comitiis istis ipsemet non interfuerat, quippe Coburgi interea commorari jussus; sub finem hujus anni, ut Germanos de rerum eventu maxime sollicitos & anxios erigeret, *Commonitionem*, Warnung an seine liebe Deutschen publicavit. v. *tom. V. Altenb. f. 529. & Cœlestinum Hist. cit. tom. IV. f. 100. seqq.* Insequenti anno, *d. 16. Febr.* Protestantes ad Reges Galliæ & Angliæ scribunt, quid in Religionis negotio hucusque actum sit, illis significantes. Imprimis etiam calumnias de se sparsas simul diluunt; ac si bona ecclesiastica prætextu Religionis reformandæ captarent: Petunt etiam, ut Cæsarem, ne Concilium pium, Christia-

stianum & liberum convocare gravetur, amplius, hortentur. conf. *Seckend. H. L. l. 3. Sect. 2.*

§. 8.

Dum hæc geruntur, in Anglia Guilielmus Tyndallus, lectis Lutheri libris, omni studio Anglicanam Ecclesiam repurgare laboravit. Quam ob causam N. Testamentum in gentis suæ idioma transtulit, magno cum Episcoporum odio, quod incurrit. Ipse tamen Rex Henricus VIII. Papæ jam ex divortii causa infensus, non tantum connivebat, sed & ipse jugum Pontificis R. excutere meditabatur, Thoma Wolsæo Cardinale, qui Papæ autoritatem defendebat, de summo honoris culmine dejecto. v. *Sculteti Annal. Evangel. Decad. 2. p. 332.* confer *Gilberti Burneti Hist. Reform. Eccl. Anglic. part. 1. p. 80. seqq. & Seckend. H. L. l. 3. f. 68.*

§. 9.

In Germania, dum Cæsar Lubecenses, Ulmenses & Augustanos, Romanæ iterum Ecclesiæ placita sequi jubet, turbæ enatæ sunt; quas propter Urbanus Regius, insignis theologus Augusta discessit,

sit, ab Eraclito, Duce Luneburgico receptus, ut in ditione sua Ecclesiam repurgaret. vid. *Sculteti Ann. Evang. Dec. 2. p. 360. seqq.* In Helvetia cum civile bellum inter Tigurinos & Quinquepagicos hoc anno exarsisset, in prælio Capellensi, Zwinglius occubuit, memorante *Sleidano l. 8. p. 221.* In hujus obitum Jacobus Mycillus Chronodistichon composuit:

OCCVbVit patrIo beLLator CIngLIVs ense;
Et pressa est arMIs gens popVLosa sVIs.

Post obitum Zwinglii, Joh. Calvinus, Theodorus Beza, Hieronymus Zanchius, & alii illius doctrinam inprimis propugnarunt, addentes de absoluto prædestinationis decreto horrendum dogma, quod Calvinus resuscitaverat.

§. 10.

Lætior Protestantibus videbatur annus trigesimus secundus; cum ob periculum belli Turcici, Cæsar illis Norimbergæ pacem Ecclesiasticam indulgeret, ap. *Sleid. l. 8. p. 227. Seckend. H. Luth. lib. 3. Sect.*

Sect. 4. Zwingliani, ut pace illa, sibi quoque frui liceret, Confessioni August. & Apologiæ, Swinfurti convenientes subscripsere, adjecta non quidem publice, sed tacite, Confessione quatuor Civitatum, quam *supra §. 4.* memoravimus. Unde subdola illa subscriptio fuit habita. vid. *Sculr. Annal. cit. p. 342.* Interea in Episcopatu Osnabrugensi, & Bremæ, doctrina Evangelica propagata legitur apud *Chytr. Chron. Sax. l. 12. f. 383. seqq.* Eadem felicitas Anhaltinis hoc anno obtigit. v. *Seckend. H. L. l. 3. Sect. 6. §. 18.* Lutherus hac de causa, Georgio Duci Anhaltino pio valde & erudito gratulatus est epistola moniti loco addens: *Confidite, ego vici mundum.* Georgius autem Dux Sax. qui Lutherum ejusque doctrinam impense oderat, Lipsienses illi adhærentes, in exilium misit. v. *Sleidan. l. 9. p. 235. seq. & Seckend. H. Luth. l. 3. Sect. 2. f. 39.*

§. 11.

In Gallia *Johannes Calvinus* Noviodunensis, viginti trium annorum juvenis, idolomaniam Pontificiam, Aureliis abro-

gare

gare cœpit. Elogium ejus *Thuanus lib. 37.* annotavit. Tholosæ, Julius Cæsar Scaliger instaurationem doctrinæ Evangelicæ promovit, Genevæ Guilielmus Farellus, & Antonius Salnerius semina reformandæ Ecclesiæ jecerunt. Sed in Bohemia, qui doctrinæ Lutheranæ adhærebant, Rex Ferdinandus persequebatur. Evangelici in Saxonia ob obitum Electoris Johannis Constantis, qui d. 3. Augusti hujus anni diem supremum claudebat, tristabantur. Sed successor ejus Joh. Fridericus, princeps magnanimus, religioni Evangelicæ innutritus eos exhilaravit; quippe qui pro illa asserenda mortem subire, semper promtus atque paratus fuit. v. *Seckend. H. Luth. & Hortled. de Bell. Smalcald.* prolixe operam & zelum hujus laudatissimi Principis laudantium.

§. 12.

Annus insequens trigesimus tertius, novam Evangel. doctrinæ invidiam conflavit; quod anabaptistæ in Westphalia ac inprimis Monasterii insanire magis cœpissent. Nam novum Christi in terris regnum mundanum somniarunt, quod in

in A. Confesione artic. XVII. rejectum fuerat. Autores hujus insaniæ fuerunt Johannes Bockelius, Sartor Leidensis & Knipperus Dollingius, homines furore correpti, qui divina juxta ac humana jura turbantes, sacra omnia perverterunt. Historiam motuum istorum, *Lambertus Hortensius* prolixe, brevius *Sleidanus l. 10. & Chytræus lib. 14. fol. 411. seqq.* describunt. Interea autem Johannes Dux Cliviæ Evangelicæ doctrinæ in suis ditionibus fores aperuit. Erasmus motus hosce animo expendens, libellum de *amabili Ecclesiæ concordia*, Ps. LXXXIV. enarrando evulgavit: quo de religione tantopere concertantes, ad concordiam cohortatus est. vid. *Seckend. H. L. l. 3. f. 49.*

§. 13.

Annus trigesimus quartus, trium in Germania Ducatuum reformatione insignis, Evangelicos exhilaravit; cum Erhardus Schnepfius & Johannes Brentius in Ducatu Würtenbergico; in Pomerania Joh. Bugenhagius; in Brunsvicensi & Grubenhagensi ditione, Nicolaus Amsdor-

dorfius & Urbanus Regius, Pontificias superstitiones consensu Principum abolerent, puramque Evangelii doctrinam disseminarent. v. *Sculteti Ann. Evangel. Decad. 2. an. 1534.*

§. 14.

Dum hæc, inter motus Anabaptistarum & Zwinglianorum in Germania geruntur, Rex Angliæ Henricus, Pontificia autoritate per regnum abrogata, supremum se Ecclesiæ Anglicanæ caput, per Parlamentum declarari jussit. Idem Jacobus V. Rex Scotiæ apud *Buchananum l. 14.* fecit. Franciscus, Rex Galliæ, animo etiam reformationem agitans, missis ad Philippum Melanchthonem literis, eundem ad Colloquium invitavit; qui nisi Elector Sax. inhibuisset, eo proficisci haut abnuisset. vid. *Camerarii Vit. Melanchth. & Sleid. l. 10.* Cum Parisiis, Gerardus Rufus, Coraldus, Perthaudus & alii Evangelium libere professi essent; Rex instinctu Sorbonnistarum, illis postea id severe interdixit; cum interim Calvinus, in aliis Galliæ Provinciis, plures inveniret assecias.

§. 15.

§. 15.

Quum vero Genevenſes a. 1535. Pontificiam idolomaniam abrogaſſent, & in Germania, Lutheri doctrina latius diſſeminata eſſet; Pontifex R. Paulus III. Paulum Vergerium cum mandato in Germaniam ablegavit; ut Concilium proxime convocandum ſuo nomine polliceretur. Quo promiſſo, Proteſtantium conſilia circa Concilium, explorare callide molitus eſt. At illi Papæ tergiverſationes fraudulentas animadvertentes, parum fidei ejusdem pollicitationibus tribuere. Nec Lutherus, quem Vergerius magnis promiſſis ad defectionem ſollicitabat, ab inſtituto ſuo divino ſe dimoveri paſſus eſt. v. *P. Suavis Hiſt. Concil. Trident. l. 1. p. 80. ſeqq. & Hortled. tom. 1. cap. 19. 20.* Interea hoc anno Wittebergam venere Capito, Bucerus, Fechtius, & alii Argentoratenſes ac Suevici Theologi, concordiam in articulo de S. Cœna cum Luthero tentantes. Quæ cum concluſa eſſet, & Bucerus vir pacis amantiſſimus, eandem Helvetiis perſuadere ſtuderet, illi autem hanc repudiarent; Bucerus

ob

ob tentatæ pacis ſtudium, utriusque partis litigantis invidiam incurrit, maleque eo nomine apud alios audit. vid. *D. Calovii Hiſt. Syncretiſmi l. 1. c. 2. & Dn. Martini Diſenbachi Epiſtolam, de D. Martino Bucero, nuperrime Francofurti exaratam.*

§. 36.

Ad Proteſtantes Ordines hoc tempore Smalcaldiæ congregatos R. Galliæ Guilielmum Bellajum, Rex Angliæ Eduardum Foxum miſere Legatos. Quorum ille fœdus obtulit; monens ſimul, ne quem Concilii locum reciperent, niſi de ſui atque Angliæ Regis conſilio; hic vero hortabatur Proteſtantes, ne Concilium adprobarent, niſi de tollendis Eccleſiæ erroribus ageretur. v. *P. Suavis Hiſt. cit. l. 1. p. 84. & Seckendorfii H. L. l. 3. Sect. 10. 11. 13.*

§. 17.

Pontifex interea, ne toties poſtulatum a Cæſare Concilium averſari videretur, anno ſequenti Mantuæ Synodum indixit, ad quam Cæſarem, Reges, Principes & Prælatos invitavit. Verum Proteſtantes an. 1537. Smalcaldiæ denuo convenientes, mul-

multa in isthac Concilii indictione desiderarunt, quæ *Hortlederus tom. 1. lib. 1. c. 29. & P. Suavis Hist. Conc. Trid. lib. 1. pag. 86. seqq.* memorant. Lutherus, qui cum aliis Theologis vocatus, Smalcaldiam venerat, *articulos* ibi, Concilio, si ita Protestantibus videretur, exhibendos composuit, qui inde *Smalcaldici* appellati sunt. Heldus quidem legatus Cæsaris Concilium jam indictum Protestantibus magnopere commendaverat, apud *Hortled. tom. 1. l. 7. cap. 1. seqq.* Rex Angliæ tamen scripto evulgato, id non esse Christianum, sed Pontificium demonstravit, testante *Hortled. tom. 1. l. 1, cap. 30.*

§. 18.

Verum Papa, ut erat temporum callidus, studium reformandi Ecclesiam simulans, quosdam ex Cardinalium numero delegit, iisque remisso tantisper juramento mandavit, ut in morbos Ecclesiæ Romanæ inquirerent eosque demonstrarent. Quod negotium tamen arcanum esse voluit. At illo mox emanante, Lutherus de eodem, librum

cum

cum præfixa pictura evulgavit, qui Pontificios valde affecit. vid. *Sleidan. lib. 12. initio.*

§. 19.

Cum fœdus Smalcaldicum Pontificii nulla arte dissolvere possent, legatus Cæsaris Heldius, Principes ac Ordines Catholicos an. 1538. Norimbergæ congregatos de fœdere, pro Romanensis religionis defensione sollicitavit, ut Protestantes Smalcaldici terrerentur. Quod fœdus sanctum, item, den Catholischen Gegen-Bund appellarunt, apud. *Sleid. l. 12. p. 338. & Seckend. H. L. l. 3. Sect. 17. §. 53.*

§. 20.

Anno insequenti 39. Evangelici in Saxonia & Misnia infensissimo hoste liberantur. Nam Gregorius Dux Sax. qui Lipsiæ residebat, d. 24. Aprilis vita, sine liberis superstitibus, excesserat. Cui frater Henricus, Pius appellatus, ab intestato successit, statimque populo in fidem recepto, Lutherum accersivit Lipsiam; ut cum Melanchthone, Pontificias superstitiones abrogaret, atque Ecclesiam repurgaret. Id quomodo gestum sit, *Peiferus*

rus noster *in Lipsia sua l. 1. §. 35. seqq.* exponit. confer *Sleidan. l. 12. p. 343. seqq. & Seckend. H. L. l. 3. Sect. 19.*

§. 21.

Cum anno 40. hujus ævi Protestantium legati Smalcaldiæ denuo convenissent, de formula reconciliationis cum Pontificiis deliberaturi; Cæsar Spiræ primum, deinde Wormatiæ de concordia reducenda per Granvellanum instituto colloquio, cui Melanchthon & Eccius interfuere, Protestantes sollicitavit. vid. *Hortled. tom. 1. l. 1. c. 35. 36. Sleid. l. 13. p. 371. Cam. in Vit. Melanchr. p. 198. & P. Suav. Hist. Concil. Trid. l. 1. p. 100. seqq.* Illo autem mox abrupto, anno insequenti, Ratisbonæ iterum reassumtum fuit. Ubi Granvellanus nomine Cæsaris, librum Theologis præsentibus velut conciliationi promovendæ idoneum exhibuit. Quem cum illi improbarent, Cæsar pertæsus colloquiorum, per decretum d. 28 Jul. totum religionis negotium ad Concilium distulit. v. *Hortleder. l. c. c. 37. Petr. Suav. l. 1. p. 101. seqq. & Seckend. H. L. l. 3. Sect. 21. §. 80. & Sect. 22.* & de colloquio Ratisbonensi *Sect. 23.*

§. 22.

§. 22.

Pontifex igitur Paulus III. anni sequentis principio, Cæsare annuente, Tridenti Concilium indixit. v. *Hortled. tom. I. lib. 3. c. 38. P. Suav. l. 1. p. 109.* qui Bullam indictionis, quæ Cæsari displicuit, simul exhibet. Protestantes vero dissentiebant, neque ut Pontifex Concilium indicat, neque ut Tridentum locus sit, probantes. Lutheri hic judicium de Concilio, ex *tom. VI. Jenens. f. 533.* notandum: Es schleppet sich der Pabst mit dem armen Concilio als die Katze mit den Jungen. In Teutschland will er es nicht halten / zu Mantua kan er es (wie er vorgiebt) nicht halten / ietzt soll es zu Vincentz werden / da es nicht seyn kan / und sie es auch nicht meynen. Ich achte / er will ein Marcolphus werden / der nirgend einen Baum finden konte / da er gerne anhencken wolte / also kan der Pabst keinen Ort finden / da er gerne ein Concilium halten wolte. conf. *Seckend.* H. *L. I. 3. Sect. 25.*

§. 23.

Exeunte anno, Cæsar Gravellano præcepe-

ceperat, ut anni sequenti initio, ad comitia Norimbergam proficisceretur, relicto Tridenti Mendoza, qui Concilii Patres ad aliquid auspicandum sollicitaret: saltem, ne discederent, provideret, quod ipsa Concilii umbra, in proximo Ordinum conventu, rebus suis momentum aliquod videretur allatura. Eo in consessu, a Granvellano propositum, ut Imperii Ordines bellum contra Turcam, & auxilia Cæsari contra Galliæ Regem decernerent. Protestantes vicissim postulabant, ut dissidium religionis componeretur, offensionesque a Judicibus Cameræ Imperialis, aliis quidem obnitentibus, sed revera religionis causa contra ipsos excitatæ tollerentur. Quod cum Granvellanus declinaret, a comitiis, re infecta, discessum est. Cæsar interim Busseti in Italia, cum Pontifice in colloquium venit. vid. *P. Suavis Hist. Conc. Trident. l. 1. p. 112. seqq.* Magnum hoc tempore causæ Evangelicæ periculum imminuisse, *Seckend. H. L. l. 3. Sect. 25. §. 104.* animadvertit,

§. 24.

Dum autem hæc de Concilio agitantur, Hermannus Archi-Episcopus Colonienſis, in curam emendandæ vel reformandæ Eccleſiæ incumbit; Bucero ad ſe evocato Argentorato, qui Bonnæ docere Evangelium cœpit. Cui inſtituto promovendo etiam Melanchthonem ad ſe accerſitum adjunxit. Enimvero Pontificii doctores, & inprimis Colonienſes, qui ſemper ab Evangelica doctrina abhorruerant, magno molimine Archiepiſcopum ſuum infeſtarunt, libro evulgato, quod *Antididagma* vocarunt: In cujus præfatione claris verbis affirmarunt, ſub Imperio Turcico malle ſeſe vivere, quam ſub magiſtratu, qui reformationem illam ſequatur atque defendat. v. *Sleid. l. 15. p. 426. ſeqq. l. 16. p. 455. & p. 471. & Seckend. H. L. l. 3. Sect. 27.* Cæterum an. 1543. reformatio Eccleſiaſtica in Principatu Hennebergico ſuſcepta, quam *Seckend. l. c. f. 1543. ſeqq.* deſcribit.

§. 25.

Saxoniæ Dux Mauritius, interea leges Eccleſiaſticas ſalutares condidit, quæ per ipſi

ipsius ditionem servari debebant. Ac ne seminaria tam Ecclesiæ, quam reipublicæ deessent, tres literarum ludos instituit, Misenæ, Mersburgi, Portæ; singulisque locis certum numerum attribuit adolescentum; quibus omnibus victum præbens atque vestitum, magistris etiam annua stipendia solvit, & in hunc usum applicuit eorum collegiorum proventus, in quibus aliquando monachi vixerant otiosi, & id genus alii, v. *Sleid. l. 15. p. 427. seqq.* An. 1544. in comitiis Spirensibus, Cæsar, ob metum Galli, quippe hostis, Protestantibus se mitiorem præbuit, vid. *Seckend. H. L. l. 3. Sect. 28.* Quod Pontifex improbavit, ibidem *Sect. 29.*

§. 26.

Anno 1545. Waldenses, ex crudeli Senatus Aquensis sententia, diris modis iterum divexantur, apud *Sleid. l. 16. pag. 463. & 466.* Pontifex etsi Concilium indixerat, totus tamen arsit cupiditate bellum inferendi Protestantibus. Quapropter Lutherus, adversus Pontificatum Romanum libram publicavit, quo *Papatum a*

Satana constitutum, daß das Pabstthum vom Teuffel gestifft/ probat, præfixa pictura, quæ statim indicat argumenti summam. vid. *Sleidan. l. 16. p. 468. seqq.* Eodem anno Lutherus Theologos Lovanienses, qui Parisiensium exemplo excitati, dogmata XXXII. a Cæsare edicto confirmata publicaverant, refutavit. Hæreticos eos atque sanguinarios appellat, qui cum impia doceant, & ratione sua non possint ex Scriptura defendere, vim adhibeant & igni grassentur atque ferro. Nam illi, sicut etiam Parisienses, nuda solum axiomata proposuerant, & quid sequendum sit, præscripserant; locum vero nullum e S. Literis adduxerant, & magistratum ad animadversionem inflammaverant. *Sleid. l. c. p. 459.*

§. 27.

Quum igitur de Concilio, de pace Ecclesiastica, de Camera Imperii, deque bello Turcico, diu multumque disceptatum esset sine fructu, in comitiis etiam hoc anno Spiræ habitis, (quorum acta *Seckendorf. l. 3. Sect. 31.* describit) Cæsar Ra-

Ratisbonam Principes omnes venire jubet, nisi valetudine detineantur; se quoque venturum eo promittens: ut habito doctorum virorum Colloquio, aliquando religionis disidium tollatur. Quod *Sleid. l. 16. p. 472. & p. 481. seqq.* describit. confer *Seckend. Hist. Luth. lib. 3. Sect. 35.*

§. 28.

Interea Palatinus Elector in suis ditionibus passim Ecclesiæ ministros & Evangelicos doctores instituit, integram quoque cœnam Domini & conjugium sacerdotum permisit. Unde d. 10. Jan. an. 1546. loco Missæ Pontificiæ, in primario templo Heidelbergæ, sacrum lingua populari peractum fuit. Protestantes igitur missa legatione, eidem gratulantur; hortantes ut pergat, & A. Confessionis doctrinam publice profiteatur. v. *Sleid. l. 16. p. 478. seq. & Seckend. H. L. l. 3. Sect. 25. §. 97.*

§. 29.

Dum post multas tergiversationes, Concilium d. 7. Jan. hujus anni, non sine pompa Tridenti redintegratur, *Lutherus* d. 18. Febr. a. 1646. Islebiæ in patria sua

placide obdormivit. Funus jussu Electoris Sax. Wittebergam honorifice delatum, quinto post die, ibidem in templo arcis reconditur. v. *Sleid. l. 16. p. 486. seq. Camerar. in Vit. Mel. p. 250. seqq. & Seckend. H. L. part. 2. f. 633. seqq.*

§. 30.

Si quis hactenus a Luthero gesta, animo expendat Christiano, θεῖόν τι certe in hoc sancto Reformationis negotio agnoscet. Ipse enim vilis licet & abjectus monachus visus; ea tamen DEO propitio patravit, quæ supra consilia & vires hominum etiam maximorum sunt. Cœlestis veritatis doctrinam, post diuturnas tenebras, quæ universum orbem Christianum obruerant hactenus, in lucem protraxit, suamque majestatem iterum verbo cœlesti, libertatem Ecclesiæ, Servatorem peccatoribus Christum, ipsius denique Salvatoris communis, qui tum præ humili illo servorum servo Papa, vix fabula erat & nudum nomen, decus ac gloriam vindicavit, atque restituit. Admirabile & prorsus divinum existimandum, quod quum in apricum jam emer-

emergentem veritatem Evangelicam, tota Pontificiorum natio, magna Principum potentia subnixa, omnibus modis premere, & velut inprimis carceribus sistere ac quasi suffocare contenderet; eandem promoverint maxime, viresque ac opes magis magisque increscendi suppeditarint. Lutherus ipse adversus furores mundi totis viribus veritati incumbentis, securus semper & imperterritus stetit, causam suam DEO permittendo; cum clariora subinde documenta caperet, universum religionis sanctæ atque orthodoxæ negotium, non tam humanis præsidiis aut consiliis confici posse; quam DEI solius nutu, gubernatione, mirandaque ope geri ac perfici. Ideo tot fidei heroicæ documenta passim edidit. Et quando Melanchthon, tanti operis alias fidelis parastata, formidaret R. Pontificis & maximi Cæsaris nomina, qui variis artibus tectisque dolis non tantum rem suam agebant; sed etiam aperto grassabantur Marte ad opprimendam cœlestem veritatem; eundem ad fidei constantiam

graviter cohortatus est. Quia in sola divina ope spem omnem ponebat suam, nullam causæ, quæ DEI erat, ruinam veritus, si vel universus orbis illabatur. Hæc divinæ providentiæ documenta clarissima, *Saubertus* supra *Sect. 3.* laudatus, & *D. Dannhauerus in dissert. de Memoria Thaumasiandri Lutheri Renovata* annotarunt & prædicarunt. Ibit igitur in omnes memorias tam illustre ac memorabile divinæ providentiæ exemplum, & longe venturos posteros docebit; nihil non posse perfici, quod divino auspicio susceptum, Deoque auctore geritur.

§. 31.

Cæterum opera Lutheri variis digesta tomis, Wittebergæ, Jenæ, Islebiæ & Altenburgi, unde & eorum tomi nomina sortiti sunt, prodierunt. Quorum inter se discrimen *D. Kortholdus in Hist. Eccles. Sec. XVI, Sect. 1. c. 4. §. 11. seqq.* annotavit. Ultimus ejus labor commentarius in Genesin fuit, quem Kortholdus opus plane aureum vocat.

§. 32.

§. 32.

Secta Jesuitarum autore Ignatio de Lojola Cantabro an. 1540. orta, anno quo Lutherus obiit, & sequentibus 48. 49. 50. & 52. a Pontifice R. novis privilegiis munita fuit; Quia spes erat, eos sedis Romanæ jam titubantis fulcra fore. Quæ cum non fefellerint, Urbanus VIII. Papa anno 1623. Ignatium Lojolam, ejusque socium primarium Franciscum Xaverium, in Divorum numerum retulit. vid. *Constitut. Soc. Jes. & liter. Apostolic.* quæ *Antwerpiæ* anno 1635. publicata prostant.

PERIODI V.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,
Sect. IV.
De
Statu Religionis ab obitu B. Lutheri ad finem Concilii Tridentini.

§. 1.

POst obitum Megalandri, Lutheri magna rerum conversio in Germania fa-

cta est. Nam Cæsar, cum Paulo III. Pontifice R. Ferdinando fratre, & aliis a Pontifice subornatis, fœdus ad oppressionem Protestantium inierat, de quo apud *Hortlederum tom. 2. l. 3. c. 3. & Sleidan. l 17. p. 505. seqq. & p. 514.* Pontifex Archiepiscopum Colonienſem, ob ſtudium reformandi excommunicavit, apud *Sleid. l. c. p. 503.* Proteſtantes fœderis Smalcaldici cauſas publicant juſtiſſimas, arma repellendæ vi injuſtæ parant. Hæc cum juſſu Cæſaris exuere nollent; ipſe illos ſub rebellionis prætextu proſcribit. Unde luctuoſum Germaniæ *bellum*, quod *Smalcaldicum* vocatur, exarſit. In quo Elector Sax. Jo. Fridericus pius, ſed infelix Princeps, prælio victus ſuccubuit, captivusque a Cæſare ductus eſt. Landgravius Philippus etiam per dolum Granvellani interceptus, in Cæſaris poteſtatem venit. Hinc captis ac ſuperatis Proteſtantium capitibus, res & ſpes eorum proſtratæ videbantur. vid. *Hortleder. tom. 2. l. 3. Sleidan. l. 17. 18. & 19. Camerar. in Vit. Melanchth. p. 267. seqq.*

§. 2.

§. 2.

Altos interea spiritus, curia Romana & tota Pontificiorum natio sumserant, triumphantes, quod Cæsar late jam victor per Germaniam, de extinguendo Lutheranismo, cum Pontifice consilia agitaret, & disceptationes de Religione eo deducere contenderet, quo multis annis & magno labore antea frustra conatus fuisset. Ideo Cæsar Augustæ Vindelicorum an. 1547. comitia armata indixit, dispositis in urbe & circum aliquot Hispanorum & Italorum legionibus. Inde ipse Cal. Decembr. in comitiis coactis proposuit: Quia dissidium religionis causa sit omnis perturbationis Germaniæ, & nisi componatur, pax constitui nequeat; & vero Tridenti jam inchoatum sit Concilium; ideo se primam & potissimam velle hujus rei deliberationem esse. Ordines Ecclesiastici, Papæ addicti, sine omni conditione Concilium cœptum adprobabant & urgebant; Protestantes vero contra, non nisi cum conditione illud admittere se posse, demonstrabant. Cæsar autem graviter mone-

bat, ut omnes sese Concilio Tridentino submitterent. v. *Sleid. l. 19. p. 590. seqq.*

§ 3.

Dum in Germania Protestantes & Confessores doctrinæ Evangelicæ passim premuntur, Petrus Martyr, Theologus Argentoratensis sub exitum Novembris an. 1547. ab Archiepiscopo Cantuariensi in Angliam evocatur, ut de voluntate Regis, Ecclesiæ Anglicanæ emendationem susciperet. Cui vocationi ille parens, Oxoniæ S. literas interpretari atque idolomanias Pontificias confutare mox aggressus est. *Sleid. l. 9. p. 599.* In Hispania vero *Inquisitio* olim a Ferdinando Catholico & Isabella in Judæos & Mauros instituta, nunc Lutheranorum exorto nomine, in omnes a Rom. Ecclesia dissentientes, acerbissime exerceri cœpta est. Quam ob causam, cum Neapoli pari crudelitate in suspectos Lutheranismi sæviretur, seditio exorta est, teste *Sleidano l. 19.* Quæ deinde in flammam erupit. v. *P. Suav. H. C. Tr. l. 2. p. 303.*

§. 4.

Cæsar videns Concilium Tridentinum Pro-

Protestantibus minus probari, in comitiis Augustanis an. 1548. ad eos retulit; utile sibi videri, ut a viris doctis, & doctrinæ & rituum capita conscribantur, quæ Interim, dum decreta Concilii prodirent, fieri servarique oporteret, ab iis quidem qui in doctrina Ecclesiæ ac ritibus usitatis aliquid innovassent. Autores hujus libri fuerunt Julius Pflugius, Episcopus Numburgensis, Michael Sidonius, postea Mersburgensis Episcopus & Johannes Agricola, Islebius, Antinomus, quem *Lutherus tom. VII. Jen. G. f. 286.* refutaverat. Qui, ut *Camerarius* loquitur, clandestina & tenebricosa opera, illum jussu Cæsaris congesserunt, vulgo *Interim Augustanum*, item *Formula Religionis*, & *Sphynx Augustana* appellatur. Summa ejus capita *Sleid. l. 20. p. 625. seqq.* recitat. Hunc, quum Cæsar in Conventu Ordinum, Idibus Maji omnibus Statibus obtruderet servandum, donec Concilium Tridentinum finiretur; magnæ in Germania turbæ excitatæ sunt. Nam neque Pontificiis, neque Protestantibus probabatur, vid. *P. Suavis Hist. Conc. Trid.*

l. 2. p. 325. Camerarii Vit. Melancht. p. 288. seqq. Osiandri Cent. XVI. H. E. p. 497. & Dissertat. nostram de Interim Augustano. Primi, qui illud impugnarunt, fuerunt Matthias Flacius, Nicolaus Gallus, Nicolaus Amsdorfius & ministri Ecclesiæ Lubecensis ac Magdeburgicæ. Wittebergenses vero & Lipsienses Theologi reverentes autoritatem ac potentiam Cæsaris, de eo mitius senserunt. Unde *Adiaphoristæ* appellati controversiis interimisticis ansam præbuere in Saxonia. v. *Hortled. tom. II. l. 4. c. 4. 5.* Culpa earum contentionum in Philippum Melanchthonem conferebatur; quod multa illius formulæ *Interim* capita declarasset *adiaphora* seu indifferentia, quæ Flacius inprimis negavit. Hinc nova Lipsiæ ex illo adornata formula, (quæ dicebatur das Leipzigische Interim) plures inter ipsos Saxonicos lites peperit. v. *Camerar. l. c. p. 304. & Osiandri Cent. XVI. c. 68.*

§. 5.

Cum ita in Saxonia nova litigia ferverent, & Thuringici Theologi etiam *Lipsicum Interim* repudiarent, an. 1549. Jenæ oppi-

oppido Thuringiæ, a captivi Jo. Friderici Electoris filiis, nova Academia constituitur, anno 58. a Ferdinando postea privilegiis ornata, quæ cum laudato Electore captivo, interimisticam doctrinam rejecit.

§. 6.

Interea dum in Gallia Calvini doctrina disseminatur, Henricus II. Rex cum Lutheranos, tum Calvinianos partim exilio partim martyrio omnes tollere contendit. vid. *Sleid. 21. p. 662. & P. Suav. Hist. Conc. Trid. l. 2. p. 333.* In Anglia P. Martyr superstitiones Pontificias impugnat. Paulus Vergerius, cujus supra meminimus, Evangelicam doctrinam amplectitur. Franciscus Spiera ob abnegatam Evangelicam veritatem desperat, apud *Sleid. l. 21. p. 649.* Paulus III. Pontifex vita excedit, in cujus locum Julius III. eligitur, apud *Sleid. l. c. p. 667.* Cæsar in Belgio contra Lutheranos & Zwinglianos, edictum severum promulgat, quo illorum libri & vendi & legi vetantur. Lovanienses Theologi etiam indicem librorum prohibitorum publi-

ca

carunt. *Sleid. l. 22. p. 679. & Osiandr. l. c. p. 541.*

§. 7.

Mauritius vero Elect. Sax. dum Cæsar Protestantes sub jugum Pontificium mittere, in Comitiis August. an. 1550. moliebatur; per legatos, Concilium Tridentinum esse illegitimum demonstravit apud *Sleid. l. 22. p. 682.* Magdeburgenses ob rejectum *Interim* Cæsaris iram sentiunt. Pontifex autem novus, Bulla edita, Concilii dicti continuationem urget, apud *Sleidan. l. 22. p. 689. 691. & 704.* Et Cæsar Protestantes, ut illi interessent, denuo vocavit. *Sleid. l. c. p. 707.* Etsi R. Galliæ etiam contra illud protestaretur, apud *Sleid. l. c. p. 711.*

§. 8.

Novas interim in Borussia a. 1551. *Andr. Osiander*, Regiomonti lites moverat, Nam primum in explicatione Geneseos dixerat, Filium DEI fuisse incarnandum, etiamsi homo non peccasset; Deinde asseruerat, Christum esse nostram justitiam secundum divinam naturam; seu nos justificari per justiam DEI inhabi-

bitantem. Quam sententiam Melanchthon refutavit. v. *Camerar. Vit. Mel. pag. 314. Sleid. l. 22. p. 700. & Osiandr. l. c. p. 554.* in Dania idem dogma Osiandri an. 1551. rejectum & confutatum fuit, teste *Stephano Johanne Stephanio Hist. Danic. l. 1. p. 45. seq.* Osiandro *Franciscus Stancarus*, Italus Ebr. Lingu. Prof. Regiomontanus, Scotista, contradicens, in alium prolapsus errorem, spargebat, Christum, nonnisi secundum humanam naturam, nostrum esse mediatorem.

§. 9.

Elector Sax. Mauritius & alii Ordines Protestantes, ne Cæsaris autoritatem spernere viderentur, an. 1552. Legatos Tridentum mittunt: qui postulabant, ut fide publica suis Theologis de securitate caveretur, si eo venire deberent: deinde ne quis ex adversa parte in Concilio judex sederet. Quæ cum denegarentur, re infecta discesserunt. v. *Sleid. l. 23. P. Suav. Hist. Conc. l. 3. p. 353. & l. 4. p. 398. seqq.* Theologi Saxonici interea Norimbergam venerant, sed dum fidei publicæ formulam expectant, a Mauritio

tio revocantur; quod ipse arma in Cæsarem dominatum in Germania molientem convertisset. *Camer. in Vit. Melanchth. p. 338. seqq.* Unde Cæsar inopinato hoc bello territus & fugiens per fratrem Ferdinandum Passaviæ cum Mauritio, de pace Religionis & captivis Principibus dimittendis; transigere necessum habuit. vid. *Hortleder. tom. II. l. 5. c. 4. seqq. P. Suav. l. 4. p. 474.*

§. 10.

Magna inde rerum in Germania conversio, vindice libertatis Mauritio facta est. Nam Transactione illa Passavienſi, cum religionis tum civilis Protestantium libertas asserta fuit. v. *P. Suav. l. 4. p. 425. Sleid. l. 24. p. 784. Hortleder. tom. II. lib. 5. c. 24.* Patres Tridentini, Mauritii Electoris armis territi, etiam Tridento aufugerant, & Papa spe opprimendi Protestantes exciderat. Solabatur tamen se, quod ex Oriente, Simon quidam Sultaha patriarcha omnium earum nationum, quæ Indiam & Euphratem interjacent, Romam veniret & ab eo confirmationem peteret, apud *P. Suavem l. 4. p. 429.*

§. 11.

§. 11.

Anno 1553. cum Mauritius Elector Sax. in prælio prope Visurgim occubuisset; magno cum Protestantium dolore in Anglia etiam Eduardus VI. Rex Evangelica doctrina imbutus, vita excesit. Cui soror Maria Pontificiæ religioni innutrita successit; quæ religionem Evangelicam extinguere ac in ejusdem confessores sævire cœpit gravissime. Genevæ hoc anno, de *Michaele Serveto* Hispano, qui Christi Deitatem impugnaverat, suasu Calvini, magistratus sumsit supplicium. v. *Sleid. l. 25. & Osiandr. Cent. XVI. l. 3. c. 18.* In Bohemia anno insequenti, Rex Ferdinandus communionem sub utraque vetuit. Unde multi in exilium ejecti, quos Melanchthon peculiari epistola consolatus est.

§. 12.

Tandem post tot concertationes & molitiones Papæorum adversus Religionem veram susceptas, an. 1555. Augustæ Vindelicorum, urgente inprimis Augusto Electore Sax. *Pax Religionis* sancita, in comitiis publice confirmata fuit. Qua A. Con-

Confessioni addictis plenum ac liberum religionis exercitium concessum; ut pari circa sacra sua, jure cum Romano-Catholicis gauderent. Unum in isthac pacis formula iniquum Protestantibus videbatur: nempe *Reservatum Ecclesiasticum* der geistliche Vorbehalt. vid. *Sleidan. lib. 25. & Lehmann. de Pac. Religios.* Summa dictæ pacis est; ut A. Confessioni addictis Statibus religio sarta tectaque relinquatur; ne partes duæ, in quas Ecclesia scissa fuerat, se invicem ob eam religionis infestent, lædant, aut ad eandem ejurandam adigant; bona Ecclesiastica a Protestantibus hactenus occupata, penes ipsos maneant, nec in occupatores eo nomine apud tribunal Spirense actio detur: Episcopis nulla in A. Confessioni addictos jurisdictio sit; sed ipsis circa sacra sua disponere liceat &c. *Recess. Imp. an. 1555. §. 15. 16.*

§. 13.

Cum Ordines Austriæ Viennæ ob bellum Turcicum congregati a Ferdinando R. pacis religiosæ beneficio frui itidem petiissent; ille respondit, decreti Imperii hanc

hanc esse sententiam, ut *populus sui principis religionem sequatur*. Spem tamen fecerat usum calicis in S. Cœna permittendi, si in cæteris R. Ecclesiæ ritibus nihil mutetur. Romæ interea Paulus IV. morosus senex ad Pontificatum evectus novam *Jesuitarum* sectam ab Ignatio Lojola Hispano ante aliquot annos inventam confirmavit. De cujus origine *Sleidan. lib. 26. p. 840. Thuanus lib. 37. & Seckend. H. Luth. l. 3. Sect. 21. §. 84.* legi merentur. Horum socii hoc tempore in Indiam ac Japan penetrarunt, Christianam religionem propagaturi. vid. *Nicol. Trigautium de Introduct. Relig. Christ. in Sinam l. 2, c. 1, & 2.*

§. 14.

Pace interim in Germania Ecclesiæ reddita, anno 1556. Otto Henricus Palatinus per ditionem suam, ut abolito Papismo, Aug. Confessionis doctrina reciperetur, edixit. Carolus etiam Marchio Badensis A. Confessionem amplexus, idolomaniam Pontificiam abrogavit. In Borussia Albertus Brandenburgicus, misso Osiandri

dri errore, publico scripto professus est, se A. Confessionis doctrinam in articulo de Justificatione sequi velle. Sed in Saxonia contentiones de adiaphoris, Synergismo, Zwinglianismo & necessitate bonorum operum ad salutem, fervere magis cœpere. Ferdinandus autem, postquam Carolus V. sese imperio abdicasset, Imperator factus, an. 1559. Augustæ Vindelicorum Concilii instaurationem promittit, si quidem ejus decretis omnes se parituros recipiant. At vero Protestantes Concilium liberum & Christianum, in Germania instituendum postularunt. v. *Thuan. l. 22. & Chytr. l. 20.* Hoc anno Joh. Nonius Barretus ex societate JESU, ad Regem Habessinorum ablegatus, ut illi persuaderet subsedere sese Papæ R. Verum Barretus Æthiopiam subire veritus, socium Andream Oviedum, ad Regem misit, qui Papæ subjici noluit. v. *Joh. Ludolfi Hist. Æthiop. l. 3. c. 9.*

§. 15.

In Gallia hoc tempore Henricus II. in Hispania & Belgio, Philippus II. Reges edicta severissima adversus dissentientes

tes a fide Romana promulgarunt. vid. *Grotii Annal. l. 1. & 2.* Philippus R. Hisp. in naufragio, singulari DEI beneficio ereptum periculo se dicebat & in id servatum, ut propagandæ ejus gloriæ ac Lutheranismo extirpando inserviret, apud *Thuan. l. 23.* Sed in Anglia vivis ereptæ Mariæ, Elisabetha soror ejus successit, quæ abolito Papismo, Reformatam religionem propagavit. vid. *Thuan. l. 20.* circa finem, & *Camdanum Annal. part. 1. ad an. 1559.*

§. 16.

Eodem anno *David Georgius*, Delfensis, fanaticorum erroribus in Belgio occupatus & inde ejectus, Basileæ portentosa & blasphema dogmata sparsit, se Messiam non ex carne sed Spiritu S. susceptum jactitando. Quæ *Thuanus Hist. lib. 22. & Schardius t. 3. Rer. German. script. fol. 3. seqq.* prolixius recensent.

§. 17.

Philippus Melanchthon communis Germaniæ præceptor appellatus, cum magnis in Ecclesiam meritis inclaruisset, an. 1560. Cal. Martii diem suam obiit. Cu-

Cujus vitam & elogium *Joachimus Camerarius* insigni libro descripsit. Post ejus obitum multi, quos reliquerat eruditos discipulos, a præceptore *Philippistas* dictos, controversias de Synergismo, Adiaphorismo & Zwinglianismo motas, majori contentione persequi cœperunt. Quarum culpam in viri hujus lenitatem aliqui contulere. Pius IV. Papa hoc tempore denuo Concilium Tridentinum instaurat: v. *Suavis Hist. l. 4. p. 475. seqq.* Quod Protestantes Principes iterum rejecerunt.

§. 18.

Ideo Naumburgi, moderante Augusto Electore Sax. anno insequenti 61. conventus Ordinum Protestantium institutus fuit. Quo tum de *invariata Augustana Confessione* (nam Melanchthon an. 1540. in ea quædam mutaverat,) servanda & tuenda; tum de Concilio Tridentino rejiciendo actum est. Venerant eo etiam Cæsaris legati & Pontificis R. nuntii, Zacharias Delphinus & Franciscus Commendonus Protestantium consilia exploraturi. vid. *Chytræum l. 20. f. 585. seq. Anton. Mariæ Gra-*

Gratiani Vit. Commendoni l. 2. c. 2. & 3. Lundorpii Continuat. Hist. Sleid. tom. 1. p. 275. seqq. In Gallia Psalmos Davidicos a Maroto versos cantare, quasi profanæ & impudicæ cantiones essent, Hugonotis interdicitur. vid. *Thuan. l. 25.* Vinariæ hoc anno etiam de libero arbitrio, inter Matthiam Flacium & Victorinum Strigelium Synergistam disputatio habita fuit. In qua cum Flacius peccatum originis ex animi præcipitantia, *substantiam* dixisset, ac, monitus licet, vocabulum revocare nollet; novæ contentiones de P.O. enatæ; an illud *substantia* an *accidens* sit? qui Flacium sequebantur, ut Christophorus Irenæus, Cyriacus Spangenberg, Martinus Wullius, inde Flaciani appellati sunt.

§. 19.

Dum hæc in Germania geruntur, in Gallia Calviniani, qui Hugonoti ridiculo & odioso nomine apud *Thuanum l. 24.* appellantur, variis modis premuntur. Nec Colloquium Possiacense an. 1561. reconciliationis gratia institutum, Hugonotis multum profuit. vid. *Thuan. l. 28. initio &*

P. Suavis Hist. Conc. Trid. l. 5. p. 508. in Concilio Tridentino, Principum Romano-Catholicorum legati, calicis communionem pro laicis, Sacerdotum conjugium & alia id genus sollicitarunt. Ipse Imperator Ferdinandus, & Dux Bavariæ hac de causa apud Pontificem instabant literis. vid. *P. Suav. Hist. Concil. Trid. l. 8. p. 921, & l. 7. p. 725.* In Saxonia tam superiori quam inferiori interea Zwinglii & Calvini doctrina latius disseminata, turbas ante jam vivo Melanchthone excitatas, auxit; cum Wittebergenses & Lipsienses Theologi illorum placitis haut obscure faverent. vid. *Osiandri Cent. XVI. p. 734. seqq.* Circumvagabantur etiam adhuc Schwenckfeldiani, licet Caspar Schwenckfeldius an. 1562. vivis excessisset.

§. 20.

Concilium Tridentinum, cum per 17. annos protractum esset, demum an. 1563. finitur. Cujus decreta Pontifex R. confirmat, inque ea, ut jurent Episcopi, sancit. Protestantes, qui eo inauditi, a reis (Pontificiis) condemnati fuerant, publico vicissim

cissim scripto edi[illegible] illud improbant atque rejiciunt. Ipsa vero ejus decreta *D. Martinus Chemnitius* insigni libro examinavit atque confutavit. Historiam *Petrus Suavis*, seu ut vero nomine appellatur, *Paulus Sarpius*, Venetus, vir prudentissimus & cordatissimus descripsit. Judicium gravissimum de hoc conciliabulo *Andr. Budithius* Episcopus Quinqueecclesiensis in epist. ad Maximilianum II. Cæsarem tulit, quod laudatæ historiæ Sarpii præmittitur. confer *Thuan. l. 36. & Kortholdi H. E. Sec. XVI. p. 792.*

§. 21.

Hoc anno *Bernhardinus Ochinus* Italus innotuit: qui in Dialogis suis polygamiam statuit, & mysterium SS. Trinitatis oppugnavit. Quapropter urbe agroque Tigurino & postea Basilea ejectus, in Poloniam concessit, ut hæresin latius spargeret. v. *Antonii Mariæ Gratiani in Vit. Commendoni l. 2. c. 9.* Lælius Socinus, Senensis, qui a. 1562. obierat, *Faustum Socinum* sanguine sibi proxime junctum reliquit. Hic patrui sui explicationem *in cap. 1. Joh.* & alia ejus MSCta

nactus, virus Photinianismi inde hausit. Quod deinde late per Poloniam, Transylvaniam & Germaniam etiam sparsum fuit. vid. *Lubieniecii Hist. Reformat. Polon. lib. 2. c. 1. seqq. l. 3. Hornbeck. Socin. refut. tom. 1. p. 50. Calovii Socin. Profligat. Scherzeri nostri Colleg. Anti-Socin. disp. 1. & Korthold.* H. E. *Sec. XV. c. 2. §. 67. seq.* Refert in hunc annum *Thuan. in l. 36.* Sebastianum & Castalionem sive Castellionem, qui novam Bibliorum versionem latinam adornavit; quam ille improbat, quod puritati sermonis studere nimium voluisset, vid. *Voss. part. 2. instit. orat. p. 6. Rivet. tom. 2. opp. p. 917. & Huet. de Interpr. l. II. 18.*

PERIODI V.

SECT. V.

Quæ incipit a Concilio Tridentino finito, & ad publicatam Formulam Concordiæ continuatur.

§. 1.

ANno 1564. in cœnobio Maulbrunnensi ditionis Wurtenbergicæ colloquium

um inter Wurtenbergicos & Heidelbergenses Theologos, ob Zwinglii doctrinam, de Persona Christi & S. Cœna, habitum, apud *Osiandrum Cent. XVI. pag. 791.* Quo anno Jo. Calvinus 13. Cal. Junii Genevæ, in qua 23. annos docuerat, obiit, & Biblia Tigurina publicata sunt, *Thuan. l. 36.* Ferdinandus Imperator, antequam hoc ipso anno vita excederet, Maximiliani filii optimi juxta ac prudentissimi consilio, de controversis A. Confessionis articulis amice conciliandis, serio cogitare cœperat. Qua in re, Georgii Cassandri, qui Duisburgi tunc erat, opera uti voluit. Cujus *Consultationes* de hoc negotio, *H. Grotius* cum notis evulgavit. vid. *Thuan. l. 36.* Anno 1565. *Johannes Mattheſius* in Valle Joachimica pius celebrisque pastor d. 8. Octobr. cum Evangelium de resuscitato filio viduæ in Nain enarrasset, apoplexia tactus, an. ætatis suæ 61. obiit. Elogium ejus *Thuan. l. 38.* exhibet.

§. 2.

Pio IV. Pontifice an. 1566. mortuo, Pius

V. patre opilione natus eligitur Papa. Qui sub initum Pontificatus suspirans, dixit: *Quamdiu fui Religiosus, bene speravi de mea salute; factus Cardinalis cœpi timere; jam creatus Pontifex pene de ea desspero.* Causam sane metuendi sibi habuit; cum improbi Concilii Tridentini non tantum defensor esset acerrimus, sed Maximiliano II. Imperatori, quod Evangelicos foveret, Imperii abrogationem minaretur, Anglosque adversus Elisabetham Reginam anathemate suo condemnatam, per Nicolaum Marianum concitaret, ac Philippi II. R. Hispan. tyrannidem in Belgio exercentis laudaret. Hic decreta Concilii Tridentini Ordinibus obtrudere sategit, sæviendo in Iconoclastas, qui Antwerpiæ imagines ac statuas e templis ejecerant. Tria enim per Belgium hominum genera erant Pontificis R. imperia abnuentium, Anabaptistæ, Lutherani & Calviniani, de quibus *H. Grotium Annal. l. 1. 21.*

§. 3.

In Saxonia, hoc anno, Joachimus Fridericus, Joh. Georgii El. Brandenburgici filius

filius, administrator archiepiscopatus Magdeburgici, disciplinæ & religionis mutationem ad exitum perduxit. Unde A. Confessionis doctrina publice postea in templis libere tradita, apud *Thuan. l. 38.* Quo tempore *Johannes Valentinus Gentilis Consentinus*, Bernæ supplicio capitali affectus est; qui ante octennium ob sparsas de S. DEI Trinitate, inter Italos pravas opiniones comprehensus Genevæ ex Senatus sententia, ad ignominiosam pœnam damnatus, errorem suum publice agnitum detestatus est, ac per compita urbis traductus, cum inde contra datam fidem aufugisset, postea sectarium virus denuo inter fratres spargere convictus, dilatam ptiori sceleri pœnam non effugit, teste *Thuano l. c.*

§. 4.

Maximilianus II. Imperator pietate & animi moderatione insignis, Nobilibus Austriæ an. 1568. liberum Evangelicæ religionis, cui ipse favebat, exercitium concessit. Julius dux Brunsuicensis in suis ditionibus, mortuo Henrico, A. Confes-

fionem recepit. Dux Sax. Jo. Wilhelmus, Augusto Electore consentiente, hoc anno *Altenburgi*, inter Misnenses & Thuringicos Theologos, *Colloquium* de B. operum necessitate ad salutem, de libero arbitrio & adiaphoris instituit. Quod, ut alia sine fructu, post quatuor menses abruptum est. vid. *Chytr. l. 22. Thuan. l. 46. & Acta istius Colloquii* publicat. Hoc tempore inter Reformatos in Anglia, nomen *Puritanorum* innotuit, qui cum Episcopis subesse nollent, etiam *Presbyteriani* appellati sunt. Hi, ritus ex Romana Ecclesia superstites omnes, ut in Ecclesia Genevensi, expurgatos volebant. vid. *Camdeni Annal part. 1. ad an. 1558. seqq. & Burneti Hist. Reform. Angl. part. II. l. 3.*

§. 5.

In Saxonia vel Misnia, lites Sacramentariæ & Synergisticæ protrahebantur; etsi an. 1569. Paulus Eberus Wittebergensis Theologus, & Victorinus Strigelius præcipuus Synergista, qui Jo. Cassiani Presbyteri Massilienses errorem de συνεργία hominis, in conversione sua, re-

resuscitaverat, vita excessissent. Nec *Colloquium*, quod an. insequenti *Servestæ* Anhaltinorum, his de causis habebatur, easdem consopire valuit. v. *Thuan. l.* 47. Adamus Neuserus, pastor Heidelbergensis ex Calviniano factus Arianus, Constantinopoli ad Muhammedanos transiit, vitamque desperabundus finiit, vid. *Osiandr. l. c. p. 818.* Ob controversiam Flacianam; an *peccatum Originis substantia?* D. Jac. Andreæ cum Matthia Flacio, Argentorati, hoc anno etiam frustra disputavit. In Palatinatu Anabaptistæ fanaticos errores spargentes, 5. Cal. Junii an. 1571. eosdem in colloquio cum Evangelicis Franckenthalii habito, pertinaciter defenderunt. *Thuan. l.* 50. Controversia Majoristica, de necessitate bonorum operum ad salutem æternam consequendam, quam D. Georgius Major asseruerat, cui Nic. Amsdorfius contradicens, in contrarium errorem prolapsus, *illa perniciosa ad salutem esse*, dixit) nondum consopita fuit.

§. 6.

In Saxonia & Misnia Wittebergenses

Theologi Calvinianismum incrustantes, Confessionem de S. Cœna, sub titulo *consensus Dresdensis*, & *novum Catechismum* in lucem emiserunt, quem Theologi Jenenses, Wigandus, Heshusius & Kirchnerus impugnarunt. v. *Osiandr. l. c. p. 823.* Bezam quoque his litibus sese immiscentem D. Selneccerus & Chemnitius confutarunt. Insequenti anno D. Casp. Cruciger, filius, Henricus Mollerus, Frid. Wildebram, & Christophorus Pezelius librum, quem *Exegesin* vocabant, Lipsiæ impressum publicarunt, quo Calvini placita non obscure defendebantur. Hac de causa, Augustus Elector præcipuos suæ ditionis Theologos Torgam convocavit, ut articulis de S. Cœna propositis orthodoxis subscriberent. Quos cum adprobare multi recusarent, eos ditione sua excedere jussit, Georgio Cracovio & Casp. Peucero, ob pertinaciam, carceri mancipatis. v. *Osiand. l. c. p. 841.*

§. 7.

Pii V. Pontificis R. successor Gregorius XIII. Jesuitarum sectam maxime fovens, an,

an. 1572. *novum Calendarium* componi jussit. In Belgio Dux Albanus in Evangelicos crudelissime sæviit, hac de causa insequenti anno in Hispaniam revocatus. In Gallia cum Hugonoti, vi & armis opprimi non possent, dolo & blanditiis inauditæ crudelitati admistis invaduntur. Nam die Bartholomæi IX. Cal. Sept. 1572. in nuptias Henrici Navarri, cum Regis Caroli IX. sorore, invitati Hugonotorum nobilissimi, execrando facinore omnes, uno die trucidari jubentur. Initium cædis vel lanienæ a Colonio Amirale, præcipuo Protestantium duce, factum; dein per septem dies in urbe & oppidis circumjectis promiscue inaudita crudelitate in miseros Hugonotos sævitum est. v. *Thuan. l. 52. Chyt. l. 23. & Gramond. H. Gall. l. 6. p. 308. seq.*

§. 8.

Cum Norimbergenses an. 1575. Altorfi novam Academiam constituissent, sequenti anno, Henricus Julius dux Brunsuicensis, *Helmstadii* quoque Academiam instituit. In Palatinatu hoc tempore, Fridericus III. Elector vivis excesserat, cui fi-

lius Ludovicus succedens, missa Calvini doctrina, Aug. Confessionem amplexus est, & postea Formulæ Concordiæ subscripsit.

§. 9.

Elector autem Sax. Augustus animadvertens, indies magis discordiam, quæ Ecclesiam turbaverat, augescere; consilio cum Comite Hennebergico, & Theologis Tubingensibus collato, variisque ante conventibus Theologorum habitis, *formulam* componi jussit, qua controversiæ tum adiaphoristicæ, tum dogmaticæ inter Protestantes hactenus agitatæ, ex divinis literis dijudicarentur, quamque qui suæ & sociorum ditionis sequi nollent, publico munere carerent. Isthæc formula Bergæ, quod cœnobium est Magdeburgici agri, a sex delectis Theologis, nempe Jacobo Andrea Martino Chemnitio, Andrea Musculo, David Chytræo, Nic. Selneccero & Christophoro Cornero examinatur antea concepta Lichtenburgi, & an. 1580. *Formulæ Concordiæ* nomine publicatur; cum illam ante tres Electores, Saxo, Palatinus & Brandenburgicus

gicus multique alii Principes adprobassent, illique subscripsissent cum octies mille tam Scholarum, quam Ecclesiæ Lutheranæ administris. v. *D. Hutteri Concord. Conc. præfat. apolog. c. 2. seqq. & Kortholdi Hist. Eccl. Sec. p. 830.*

PERIODI V.

Sectio VI.

Quæ est Hist. ab an. 1580. ad finem hujus seculi.

§. 1.

Publicata *Formula Concordiæ*, anno insequenti, Bremenses & Anhaltini inprimis, doctores Calviniani, publicis illam scriptis impugnarunt. Quam D. Timotheus Kirchnerus, D. Selneccerus, & D. Chemnitius, adornata ejusdem apologia defenderunt. vid. *Hutteri Conc. Concord. c. 41.* Fuerunt tamen quidam A. Confessionis, qui nollent illam Formulam recipere, de quibus l. c. Hutterus memorat. Qui dissensus partim sublatus postea, partim ad nostra usque tempora conservatus fuit. Inprimis vero

Reformati Doctores illam impugnarunt, quorum Catalogum texuit *Andreas Wengerscius Hist. Eccl. Slavonica l. 3. p. 361. seqq.* In Polonia inter Anti-Trinitarium, Franciscum Davidis, qui Christum invocandum esse negavit, & Georgium Blandratam Regis Stephani archiatrum, qui id omnino affirmavit, contentio fuit, quam Socinus determinare abstinuit.

§. 2.

Hoc tempore, Tubingenses Theologi cum Patriarcha Constantinopolitano de doctrina A. Confessionis, quam ante octennium ad eum Græce redditam miserant, sententias contulerint; transmisso etiam Constantinopolin Heerbrandi compendio Theologiæ Græce verso. vid. *Thuan. l. 71. & Acta & Scripta Theologorum Würtembergic.* & Patriarchæ Constantinopolitani D. Hieremiæ, *Wittebergæ an. 1584.* publicata. Hoc tempore ex Batavia Henrici Nicolai & sectatorum suorum, qui *e familia amoris*, aut *e domicilio charitatis*, se vocabant, errores in Angliam per libros evulgatos translati, quos Elisabetha Regina extinxit. vide *Camdeni Annal.*

Annal. part. 2. ad an. 1580. De novis Anabaptistarum motibus, hoc anno excitatis, *Lundorpius tom. 2. l. 20. p. 422. seqq.* memorat.

§. 3.

Anno 1582. Gregorius Papa opera Aloysii cujusdam Lilii, rationes temporum ad cœli motum & æquinoctia reduxit, ac novo ita Calendario facto, illud per Cardinalem Madruccium, Ordinibus, Protestantibus in Germania simul obtrudere ausus est. Sed Augustus El. Sax. & alii Ordines Protestantes, gravissimis de causis id acceptare recusarunt, Cæsaris, non R. Pontificis id muneris esse, rati: v. *Thuan. l. 75. & Chytr. l. 25.* Hoc tempore Carolus Archi-Dux Austriæ Nobilibus, in Stiria, liberum evangelicæ religionis exercitium indulsit. vid. *Chytr. lib. 25. f. 353.*

§. 4.

Pontifex R. Antonium Possevinum Jesuitam, ad M. Ducem Moscoviæ ablegavit, ut illum Jesuitis, qui ibi nidulari incipiebant, redderet propitium; cum is ante missis Romam legatis, Pontificii spem

spem recipiendæ religionis Pontificiæ fecisset, apud *Piasecium Chronic. gestorum in Europa singularium f. 9. & Andr. Wengerscium H. E. Slavon. l. 4. c. 2.* In Germania Gebhardus Baro de Walburg, cognomento Truchsessius, Archiepiscopus Colonienſis a Pontifice R. excommunicatur, & Episcopatum Ernesto Bavaro cedere jubetur; quod Agnetem comitissam Mansfeldicam in matrimonium duxisset, & Ecclesiam reformare molitus esset. vid. *Thuan. l. 76. & 78. Chytr. l. 26. & Broweerum Annal. Trevirens. l. 22. p. 419.* Interim Ludovicus Elector Palatinus A. Confessioni addictus obierat. Qui cum filium novem annorum reliquisset superstitem, Joh. Casimirus Palatinus, tutor ejus factus ipsum religione Reformata imbui curavit. Unde Lutherani in Palatinatu duriorem postea sortem experti, Reformatis cedere coacti sunt.

§. 3.

Cum an. 1583. Theologi Helmstadienses, Tilemannus Heshusius, & Dan. Hoffmannus *Formulam Concordiæ* oppugnassent, quod in illa, omnipræsentia carnis Chri-

Christi, (illi *ubiquitatem* vocarunt) assereretur; Quedlinburgi inter D. Kirchnerum, Selneccerum & Polycarpum Lyserum, ac inter dictos jam Helmstadienses, de hac quæstione colloquium institutum fuit, quod sperato reconciliationis fructu caruit. vid. *Hutteri Concord. Conc. c. 45. & Kortholdi H. Eccl. Sec. XVI. Sect. IV. c. 3.* Anno insequenti, Augustæ Vindelicorum, ob novum Calendarium civitati obtrusum, turbæ excitatæ, per quas D. Mylius Superintendens urbe ejectus est. v. *Chytr. l. 26. Osiandr. l. c. p. 965. & D. Mylii* Augspurgische Händel. Heidelbergæ inter Joh. Jacobum Grynæum, Calvini placita tuentem, & D. Jac. Andreæ illa confutantem disputatio suscepta est, qua *de Hutter. Conc. Conc. c. 47.* memorat.

§. 6.

In Gallia, dum Hugonoti a *Guisiana* factione, & *Liga*, quæ *sancta* vocabatur, premerentur; Henricus R. Navarræ eorum caput ad Principes Protestantes, Jacobum Segurium ablegavit; ut sanciendæ concordiæ causa, Synodus Protestantium

tium generalis instituereturr; quo Pontificiis exitium Protestantibus minantibus resisti posset. vid. *Thuan. l. 79. Chytr. l. 26. & Epistolas Henrici Navarrorum Regis ad Augustam Imperat. Rom. ac Reges, Principes & Respubl. Europ. de pace ecclesiastica constituenda & controversiis sopiendis Ultrajecti an. 1679. editas.*

§. 7.

In Belgio cum an. 1584. Guilielmus Dax Arausionensis, Protestantium ibi defensor inclytus, Delphis, a nefario Balthasare Gerardi, Burgundione, glande trajectus occubuisset, (cujus una morientis ad DEUM vox fuit: *miserere populi*) res afflictorum Belgarum turbatæ ac propemodum prostratæ videbantur; nisi DEUS præter spem illas postea erexisset. vid. *Grotii Annal. l. 4.* Hoc anno, ex Japonia a Jesuitis, qui in illo regno fidem Romanam propagare satagebant, legati subornati Romam venere, subjectionem Japonensium sedi Romanæ pollicentes, vid. *Chytr. l. 27. f. 821.*

§. 8.

Quum in Saxonia multi adhuc latitarent,

rent, qui formulam Concordiæ improbantes, Calvinianis faverent; Herzbergæ a. 1585. Theologos Anhaltinos inter & Saxonicos Electorales denuo *de persona Christi & idiomatum communicatione*, disputatum fuit. Ubi inter alia Amelungus asseruit, Christum secundum divinitatem esse Patre minorem. Ad quam assertionem Theologi Saxonici exhorruerunt, apud *Hutterum Conc. Conc. c. 24.* Anno insequenti, ob placita Calvini, petentibus Gallis exulibus, *Mompelgardi* inter D. Jac. Andreæ, & Theodorum Bezam, de quatuor præcipuis Lutheranos inter & Calvinianos controversiis, colloquium habitum, sed sine fructu pacis speratæ fuit, cujus acta prostant. vid. *Thuan. l. 85. & Osiandr. l. c. p. 976.* Interea Principes Protestantes, & Rex Daniæ, apud Galliæ Regem, pro R. Navarræo & Hugonotis intercesserunt, ut tolerarentur, mitiusque haberentur. Hoc anno etiam d. 11. Febr. Augustus El. Sax. magno patriæ luctu, obiit.

§. 9.

Post Gregorium anno 1585. extinctum, Six-

Sixtus V. obscuro loco natus, per quinquennium Papa, Latinam Bibliorum versionem, ut Tridentini decreverant, suscepit corrigendam; quam *Clemens* demum IIX. denuo correxit, non obstante decreto Sixti V. sub indignatione omnipotentis DEI & SS. Apostolorum interminati, ne pro alia, quam legitima & authentica sua, quam paraverat, haberetur. vid. *Praefat. Clementinae, & Thomae Jamesii, Angli, Bellum Papale, seu Concordiam discordem Sixti V. & Clementis VIII.* circa Hieronymianam versionem.

§. 10.

In Gallia a. 1587. *Liga sancta*, quae vocatur, contra Protestantes inter Papam, R. Hispaniae & Duces Guisios, stimulante Catharina Medicaea Regis matre, renovatur. At insequenti anno, Dux Guisius cum fratre Cardinale, per insidias trucidatus fuit. vid. *Thuan. ad hunc annum & Chytr. l. 28.* Ibi tum conjurati furere, & sacrificuli Parisiensium, Regem Henricum III. regno indignum factum, quod ejus voluntate caedes patrata esset,

esset, palam clamitare. Unde & sequenti anno, per subornatum nefarium monachum Dominicanum, cui nomen Jacobus Clemens erat, Rex cultro in ventre defixo interfectus, cumque eo stirps Valesia extincta fuit. Parricidium hoc patratum, a Sixto V. Papa Romæ oratione solenni celebratum fuit. vide *Thuan. lib. 95. Hornbeck. Exam. Bull. Innoc. X. p. 277. & Lundorpii Cont. Sleid. tom. 2. l. 29. p. 762.* Antea octo bellis intestinis contra Hugonotos susceptis, Gallia sub obtentu religionis misere turbata fuerat. Quapropter Thuanus, vir illustris ac sane gravissimus, in præfatione historiarum suarum ad Henricum IV. *tolerantiam in religione* maxime suadet; cum cogi nesciat. Id quod etiam Maximilianus II. Imperator, princeps sapientissimus, semper senserat suaseratque.

§. 11.

In Germania Badenæ, postulante Jacobo Marchione, an. 1589. D. Jac. Andreæ, Jac. Heerbrandum, Luc. Osiandrum inter & Joh. Pistorium apostatam, colloquium *de vera Ecclesia* habitum est. Quo

post

post biduum abrupto, Marchio nominatus postea anno 1590. Emmendingæ, novo Lutheranos inter & Pontificios habito, *de Ecclesia ante Lutherum*, in castra Pontificiorum transiit, ritusque Pontificios in Ecclesiam ditionis suæ reducturus. Quos tamen frater ipsi mortuo mox succedens, Ernestus Fridericus an. 1590. iterum eliminavit. vid. *Dn. D. Fechtii Histor. Colloquii Emmending. c. 4. 7. seq.*

§. 12.

In Anglia, Elisabethæ multum negotii tum Pontificii, tum Puritani facessiverunt. Hi Episcoporum regimen ritusque ex Papatu retentos, aut illi affines omnes damnabant, ad Genevensium disciplinam a Calvino constitutam, cuncta exigentes: illi in seminariis s. scholis, Anglicanæ nationis apud exteros juventutem Pontificiis sacris imbui curarunt. Ex his igitur missi in Angliam sacerdotes Pontificiam doctrinam, cujus præcipuum caput erat, summum in Reges imperium penes Pontificem R. esse; & si Rex hæresis suspectus aut convictus sit, cives

cives sacramenti fideique religione solutos esse. Unde Regina nunquam sine vitæ periculo, inter infestos homines egit: præsertim cum a Pio V. Papa, ob dissensum a Romanis sacris, jam esset excommunicata, vid. *Camdeni Vit. Elisabethæ.*

§. 13.

Romæ Sixtus V. Papa, qui Henricum Navarræum & ducem Condæum ante excommunicaverat, & ægerrime tulerat, a Bellarmino traditum fuisse, Papæ nonnisi indirecte potestatem temporalem competere, apud *Barclajum de Potestat. Papæ in Princip. c. 13.* anno 1590. extinctus fuit; relictis in thesauris decem auri millionibus, in augmentum regni scilicet sacri impendendis. Cracoviæ a Jesuitarum discipulis magnus tumultus, adversus dissidentes a R. religione, an. 1591. excitatus, quem *Lundorpius in Contin. Sleid. t. 2. l. 31. p. 829.* describit.

§. 14.

In Saxonia, novi motus iterum propter Crypto-Calvinianos anno 1591. excitabantur; cum eorum instinctu, ritus

in

in Baptismo usitatus, qui *Exorcismus* dicitur, abrogari deberet. Qui in abrogationem consentire nollent, munere sacro amoti, exire jubebantur. Sed mortuo Christiano I. Electore Sax. Fridericus Wilhelmus Dux Sax. relictis ejus liberis impuberibus tutor datus, exules propter Exorcismum factos mox restituit, ac in autores turbarum, imprimis D. Crellium Cancellarium inquiri jubet. vid. *Lundorp. Contin. Sleid. t. 2. l. 31. p. 835. Thuan. l. 100. 104. Dresser. Millenar. VI.* Hanc ob causam etiam visitatio cum academiarum, Lipsiensis & Wittebergensis, tum ecclesiarum in ditionibus electoralibus instituta est, qua propositis quatuor, ut vocantur, *articulis visitatoriis* nostræ ecclesiæ, de persona Christi, de Baptismo, de Cœna Domini & de Prædestinatione, nova subscriptione fidem adstringere suam, Ecclesiæ & scholarum doctores tenebantur. vid. *Lundorpii Contin. Sleid. tom. 2. l. 32. p. 861. seq.*

§. 15.

Hoc animorum motu adhuc durante, *Samuel Huberus*, Bernas, a. 1592. in Witteber-

bergensi Academia Theologiæ Professor, dum Calvini de particulari gratia, sententiam impugnat, electionem ad vitam æternam universalem asseruit. Cujus errorem *D. Ægidius Hunnius* statim confutavit, vid. *Acta Huberiana Tubingæ an. 1597.* publicata. Pestilentior fuit error, quem hoc tempore *Franciscus Puccius, Filidinus*, Italus disseminavit, libro *de Christi Servatoris efficacitate, in omnibus & singulis hominibus, quatenus homines sunt*, evulgato, quo, ut gratiæ cum Pelagianis olim hostis, religionem naturalem statuit salvificam. Librum illum *Lucas Osiander* confutavit. v. *Hist. Eccl. Cent. XVI. l. 4. c. 46.*

§. 16.

Insequenti anno 1593. Aquisgrani inter cives Evangelicos & Pontificios grave dissidium exortum, quod autoritate Cæsaris Rudolphi tamen compositum fuit. apud *Chytræum l. 29.* In *Suecia* eodem tempore Synodus Upsaliæ secunda, auspiciis Caroli, tum quidem Ducis Sudermanniæ, sed postea Regis, habita est. Qua doctrina A. Confessionis denuo as-

serta & confirmata fuit. v. *Benzelii Hist. Eccl. Sec. XVI. p. 358.* Quam Sigismundus Rex Poloniæ, in Sueciam regni occupandi causa veniens, postea turbavit; cum nuntii Pontificii & Jesuitarum opera atque dolis, Papismum reducere moliretur. v. *Piasecii Chronic. ad ann. Chr. 1593. & 94.* In *Gallia* Henr. IV. fulmine excommunicationis percusso, Pontifex R. & Rex Hispaniæ cum Guisiana factione magnos concitarunt motus, & Henricum rejicientes, Regem Catholicum surrogare machinati sunt. Unde Henricus videns, se tot insidias evadere haut posse, d. 15. Jul. in templum S. Dionysii ingressus, Missam Pontificiam audit, atque legatis ad Pontificem missis, sacra Romanensium se amplexum esse testatus est. Qui ipsum ab hæresi, non sine ignominia absolvens, in gremium Ecclesiæ suæ recepit. vid. *Piasecii Chronic. ad ann. 1593. & seqq.* Rex autem jocari velut solitus, dixit: *Regnum Galliæ frequentatione Missæ non indignum esse.* Quo facto, *Liga sancta* seu conjuratorum factio in Gallia sublata fuit. Cæterum quomodo

modo Rex ab hæresi, quam vocant, Romæ absolutus fuit, *Piasecius l. c. f. 335. seq.* describit.

§. 27.

Interea, cum in Germania Romano-Catholici passim spargerent, pacem Religiosam ad tempus concessam, Tridentino Concilio finitam & sublatam fuisse; item civitatibus imperialibus non competere jus reformandi; an. 1594. in comitiis Ratisbonensibus Ordines Protestantes apud Cæsarem, super his seditiosis molitionibus conquesti sunt. vid. *Lehmanni Act. Publ. l. 1 c. 65. & 67.* Thorunii autem in Borussia quadraginta circiter ministri Evangelicæ Ecclesiæ, multique nobiles Palatini convenientes, decreverunt; *Consensum Sendomirienſem* in doctrina servandum esse imposterum. Nam Evangelici, qui vocabantur, antea diversas confessiones, puta Augustanam, Helveticam & Bohemicam, professi inter se dissenserant. At in Sendomirienſi consensu, Syncretismo facto, concordiam adversus Romanenses inierant. Quo Episcopi Poloniæ offensi,

postea Thorunienſibus templum primarium eripuere, idque Jeſuitis conceſſerunt. v. *Contin. Sleid. tom. 3. l. 1. p. 55.* & confer *Piaſec. Chron. f. 127.* Hoc tempore Fauſtus Socinus, libellum de *Chriſto Servatore*, Cracoviæ publicavit, quo magnos ibi motus excitavit, ut vix civium evaderet vim. Sectæ tamen ejus Complices, Oſtorodius, Volckelius, Smalcius & inprimis Joh. Crellius, improba ejus placita latius ſparſerunt.

§. 18.

In Gallia dum Henricus IV. Hugonotis non obſcure adhuc faveret; homo perditus, Johannes Caſtellus, inſtinctu Jeſuitarum, Regi, immiſſo in os adverſum cultro, dentem excuſſit; cum Rex corporis inclinatione ictum in gulam directum evitaſſet. Unde Secta Jeſuitarum, cujus diſciplina ſceleratus iſte homo uſus fuerat, juſſu Regis ex Gallia quidem proſcribitur, ſed annis aliquot interjectis recipitur. v. *Thuan. l. III. & Piaſecii Chron. f. 124 ſeq.*

§. 19.

Anno 1595. Ruſſi ex Polonico regno ad

ad Clementem VIII. Pontificem R. legatos misere, *unionem* cum Romanensi Ecclesia petentes, quam facile impetrarunt. Sed illud *unionis* nomen populo exosum mox rejectum fuit, apud *Piasecium Chron. f. 138. seqq. & Andr. Wengerse. Hist. Eccles. Slav. l. 4.* Hoc quoque anno, Romæ corpus B. Cæciliæ ab 873. annis a Paschale I. reconditum, & eousque, quo loco esset, ignoratum, forte inventum dicitur, quod Pontifex veneratus, in arcam ex argento solido fabrefactam, una cum arca illa cupressina inclusit, & magna pompa adhibita in templo recondi jussit. *Piasec. l. 1. f. 139.* Pontifex hic etiam legem sancivit; ne Judæi Talmud suum, & alios in indice expressos & prohibitos libros legerent; omnes enim tales ab officio Inquisitionis conquisitos cremari jussit: in sola civitate Bergomensi fere 10. millia hujusmodi librorum fuerunt collecta, igneque consumta, teste *Piasecio f. 112.*

§. 20.

In regno Sueciæ, Ecclesia per Pontificios & Jesuitas a Sigismundo Rege im-

missos varie hactenus turbata fuerat. Sed Carolo, Duce Sudermanniæ, absente Sigismundo, in solium evecto, an. 1597. comitiis Arbogiæ habitis, decretum fuit; doctrinam A. Confessionis in toto ubique regno servandam, sincereque tradendam esse. vid. *Piasecii Chron. ad an. 1597.* Inter Reformatos hoc tempore *Conradus Vorstius*, Theologis Heidelbergensibus partim Arianismi, partim Papismi suspectus visus est. Ideo prolixa ad illos epistola an. 1598. exarata se ab hac culpa purgare nisus est, quæ *in Epist. Theol. & Theolog. Arminian. p. m. 61. seqq.* legitur.

§. 21.

In ditione Anhaltina, nondum conquieverant litigia Theologorum de Exorcismo; de usu altarium & imaginum in templis, licet Wittebergenses Theologi eosdem semel atque iterum confutassent. Id quod Papæis offendiculum præbuit, teste *Piasecio Chron. fol. 113.* confer *Consil. Theol. Witteb. f. 371. seqq.*

§. 22.

Ridiculum est, quod a. 1599. Canonici Mar-

Marsilienses, Pontificem R. per legatos rogarunt, ut grandes pisces, quos balænas vocabant, excommunicaret; ne in mari vicino navigationes turbarent. Assurrexit petitioni Pontifex, an vero ejus fulmine pisces territi fuerint, non legitur. vid. *Osiandri Hist. cit. p. 1133.* Henricus autem R. Galliæ hoc anno, Hugonotis pacem religiosam, publico decreto indulsit, cujus leges *Piasecius Chron. f. 172. seqq.* memorat. Cum ante an. 1590. *Edictum Nannetense* pro libertate Hugonotorum esset conditum, quod *Heideggerus Hist. Papatus Period. VII. p. 536. seqq.* describit. Hoc sacrificulorum natio magis irritata, non ante acquievit, donec Rex Hugonotos ferens, an. 1610. d. 14. Maji, profligatissimi hominis manu & quidem cultro confossus occumberet. vid. *Gramondi Hist. Gall. l. 1.* Quo e vivis sublato, libertas Hugonotorum nutare cœpit.

§. 23.

Quod Doctrinam hoc ævo publice receptam attinet, illa secundum tres Sectas, in quas Ecclesia scissa fuit, tradi

posset. Enimvero cum instituti nostri ratio haud ferat, istam partitim recensere; *Lutheranorum* ex libris Ecclesiæ nostræ Symbolicis repetenda; *Calvinianorum seu Reformatorum ex corpore s. Syntagmate Confessione* eorum, Genevæ an. 1612. & 1654. publicato, tum etiam ex Zwinglii, Calvini & Theodori Bezæ scriptis petenda est; *Romano-Catholicorum* vero ex Concilii Tridentini decretis, quæ publicam inter Papæos autoritatem nacta sunt, cognoscenda est. confer *Hulsemanni Manualis Aug. Confess. Disp. XIX.*

§. 24.

REGIMEN ECCLESIÆ externum magnam pro religionis diversitate mutationem subiit. Nam Romanensis cœtus, regimen monarchicum Pontificis R. in Conciliabulo Tridentino firmavit. Pontifices autem, qui a tempore Reformationis sedem Romanam tenuerunt, nihil eorum, quæ potentiæ stabiliendæ inservire viderentur, procurare intermiserunt. *Leo X.* voluptatibus immersus, fulmine excommunicationis Lutherum pro-

prosternere nitebatur. *Hadrianus VII.* vir integrioris vitæ ac animi moderatioris, de Reformationis studio frustra sollicitus, non diu sedi præfuit, sæpe conquestus: nil infelicius sibi in vita contigisse, quam quod imperasset. *Clemens VII.* in Carolum V. iniquus, dominatum suum stabilire magis studebat, quam Ecclesiæ commodum promovere. *Paulus III.* de opprimendis Lutheranis varia consilia agitavit. *Julius III.* Veneri ac ventri deditus, apud ipsos Romanenses male audiit. *Marcellus II.* paucorum dierum Pontifex, nec nomen, nec mores mutare voluit. *Paulus IV.* homo ambitiosus, septuaginta Cardinales adscivit, exemplo vel septuaginta seniorum aut septuaginta Christi discipulorum; novam *Sodalitatem novi amoris* instituit; regno Neapolitano inhiavit, ac *Inquisitionis* tribunal confirmavit. Improbavit etiam Caroli V. abdicationem Imperii se inconsulto factam, *Thuan. l. 21.* *Pius IV.* homo vaferrimus & dominandi cupidus, Concilium Tridentinum, tanquam legem fidei perpetuam & universalem, oe

mnibus obtrudere fategit. *Pius V.* animum quidem ad emendandos cleri populique mores adplicuit, & *Catechismum* Romanum ex decreto Concilii Tridentini publicavit; sed tamen Maximiliano II. Imperatori infensus fuit, quod Aug. Confessioni addictos foveret. *Gregorius XIII.* novum Calendar. publicavit, ac Jus Canonicum nova Bulla edita muniit, Hispanum & Gallum adversus Protestantes excitavit. Nuntio de laniena Parisiensi crudelissima Romam allato, recta cum Cardinalibus ad B. Marci templum concessit, Deoque pro isthac nefanda strage, solenni ritu gratias egit, ordinans simul, ut eo nomine Jubilæum publicetur, apud *Thuan. l. 53.* Jesuitis quoque licentiam veterum ac recentiorum scripta, ubi R. Ecclesiæ adversarentur, castrandi dedit. *Sixtus V.* homo avarissimus, omnia munera venalia habuit, ac Henricum R. Navarræum excommunicavit, Bellarmino suceensens, quod potestatem temporalem Papæ non nisi indirecte convenire, tradidisset. Parricidium Henrici III. R. Galliæ nefarium, oratione

ne, gratulabundus adprobavit. *Thuan. l. 95.* Versionem Latinam Bibliorum declaravit. *authenticam.* *Urbanus VII.* tredecim dierum Pontifex, ante coronationem obiit. *Gregorius XIV.* Henricum IV. Galliæ Regem excommunicavit, cives ejus omnes fide obsequii absolvens, sed altero Pontificatus anno obiit. *Innocentius IX.* paucos dies ultra duos menses Pontificatum tenuit. *Clemens VIII.* a bello alienior, Gallum inter & Hispanum pacem procurat, ac Elisabetham R. Angliæ ad Romanam Ecclesiam perducere frustra molitus est, Latinamque Bibliorum versionem, non obstante Sixti V. decreto, denuo emendari curavit.

§. 25.

Lutherani a jugo & imperio Pontificio jam immunes, suo jure, in regimine Ecclesiæ uti cœperunt. Nam Principes & Ordines Protestantes, Jus circa sacra, quod etiam *Episcopale* audit, sibi iterum asseruerant. Quod in Pace Religiosa Augustana anno 1555. ipsis confirmatum fuit. vid. *Recess. Imper. an. 1555. §. 15. 16.*

seqq. Ideo constitutis legibus & judiciis Ecclesiasticis, quæ Consistoria appellantur, libere id exercuerunt, abrogata Episcoporum Romanensium jurisdictione. vid. *D. Schilteri de libert. Eccl. Germ. l. VII. c. 14.* Inter Reformatos autem de eo contentio exorta fuit; cum multi juxta Genevensium disciplinam, quam Calvinus introduxerat, id juris Clero & populo vindicatum irent; alii vero id imperantibus tribuerent. Unde in Anglicana Ecclesia magno postea fervore, super regimine Episcopali, & Presbyteriali certatum fuit. Presbyteriani enim Episcopale regimen impugnant atque rejiciunt; Quia Calvinus nullam hierarchiæ speciem, quæ in principatibus obtinet, adprobare voluisse visus erat.

§. 56.

DISCIPLINA ECCLESIASTICA a Luthero quidem doctrinæ inprimis repurgandæ initio, non statim in omnibus emendari potuit; multum tamen operæ in ea quoque reducenda, cum ipso impenderunt D. Bugenhagius, Regius, Dux Anhaltinus Georgius, Brentius,

tius, Bucerus, Sarcerius, David Chytræus & alii pietatis amantes ac prudentes Theologi. Unde tum consilia, tum salutares Constitutiones Ecclesiasticæ (Kirchen-Ordnungen) de eadem prostant. Quas inter Augusti Elect. Sax. laudari merentur. conf. *D. Schilteri l. c. p. 115. seqq.*

§. 27.

Circa RITUS & CEREMONIAS Ecclesiasticas, Lutheri prudentia laudatur. Quia ille, quæ in Ecclesia sine peccato servari possunt, abrogari noluit. vid. *Aug. Conf. de Abusib. c. 3. 4. 5.* At dum Calvinus in Genevensi & Gallicana Ecclesia, omnes ritus in Romanensi Ecclesia hactenus inolitos, velut cum pulvisculo eliminare voluit; observatum est, istum rigorem reformationi in Gallia non tantum obstitisse, sed etiam in Anglicana Ecclesia postea Schisma illud Puritanorum excitasse. Multitudo enim ab istis doctoribus aversa, majori indies studio ejus cultus, quem a majoribus per manus traditum acceperant, accendi velut cœpit, veteri doctrina superstitiosa retenta. Prudentius egit Luthe-

rus, quando ex iis ritibus ac institutis, quibus populus diu jam adsuetus erat, non nisi manifestas & improbas superstitiones abrogavit. Ornamenta templorum, æris campani tintinnabula, vestitus ministrorum Ecclesiæ peculiares, altaria, cereos, organa in templis, ritus aliquot in Missa, & in Baptismi actu usitatos, festa aliquot Sanctorum & similia intacta reliquit: ut se non eversorem antiquæ disciplinæ, sed correctorem pravarum consuetudinum, & assertorem ac vindicem Evangelicæ veritatis esse, probaret. Religionem enim non omni externo cultu, quo populus maxime capitur & allicitur, nudandam esse censuit. Præsertim cum ceremoniarum retentarum vestigia, & exempla in antiquissima, eaque pura ecclesia adhuc reperire liceat.

§. 28.

SYNODOS Lutheranorum & Zwinglianorum seu Reformatorum, quæ *Colloquia* appellantur, præcipuas juxta annorum seriem supra jam commemoravimus. Plures *D. Kortholdus in Hist. Eccl. Sec.*

Sec. XVI. & D. Joh. Fechtius in Tab. Hist. Eccl. Sec. XVI. repræsentantibus recensent. Quas repetere omnes hic & describere compendii ratio vetat. Illud tamen notatu dignum est, quod fructu sperato, omnes fere destitutæ sunt. Romanenses, *Concilium Tridentinum* pro universali perperam venditant. Quod anno 1546. cœptum & 1552. abruptum; sed iterum postea instauratum & anno 1563. finitum est. In hoc Protestantes, qui actores erant, inauditi, a Pontifice R. in propria causa judice, quem illi & reum agebant, damnati sunt. Quapropter illud Protestantes publico scripto edito (stattliche Ausführung ꝛc.) merito rejecerunt. vid. *Chytr. Sax. l. XX. ad an. 1561. & Goldasti Politic. Imperial. parte XXV.* Historia ejus a *Paulo Sarpio*, Veneto Theologo Ordinis Fratrum Servorum, sub nomine *Petri Suavis Polani*, Italico Sermone, quem in Latinum *M. Antonius de Dominis* vertit, luculenter descripta prostat. Quam *Sforția Pallavicinus*, duobus tomis refutare aggressus, Cardinalitiam dignitatem emeruit. At vero de eo opere censura,

quæ

quæ *in Ephemerid. Erud. Gall. tom. I. Ephem. 12.* legitur, hic annotari meretur. *Periculum est, ne quis hujus* (Petri Suavis) *historiam ut pote egregie conscriptam præferat Pallavicini historiæ, quæ forsan verior, non autem verisimilior.* Multos certe & graves in eadem errores, cum *Seckendorffius* in historia Lutheranismi, tum *Joh. Heinricus Heideggerus, in Anatome Historico-Theologica Concil. Trid.* animadverterunt. Falsa autem scita & dogmata *Martinus Chemnitius, in Exam. Concil. Trid.* demonstravit.

§. 29.

PERSECUTIONES Lutheranorum & Reformatorum, quas in Germania, Bohemia, Italia, Gallia, Hispania, Anglia & Polonia sustinuere, ita multæ sunt, ut Martyrum numerum inire difficile sit. In solo enim Belgio, tempore Ferdinandi de Toleto Ducis Albani, 18000. manu carnificis cecidisse, notum est. Initium ejus tyrannidis jam an. 1550. factum, cum Inquisitio Hispanica, edicto Cæsaris ibi mandata esset, quam *Sleidan. lib. XXII. pag. 678. seqq.* memorat, eamque describit-

bit. De laniena Parisiensi supra *Period. V.* §. 7. quædam retulimus. Ut Henricus VIII. primum, deinde Maria Regina in Anglia, in Protestantes sævierint, *Camdenus*, *Thuanus* & *Burnetus* memorant. confer *Ludovici Rabi* Martyr-Buch, seu historiam Martyrum Argentorati an. 1572. editam, item *Acta & Monumeata Martyrum Joh. Crispini.* Sed locum hic illud *Tertulliani* habuit: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis! Semen est sanguis Christianorum.* Addi hic meretur persecutio Græcorum Christianorum in Ægypto; ubi uno die, triginta millia linguarum istis præcisa fuerunt; quia Græce loquerentur. Historiam hanc ex Meletii Patriarchæ Alexandrini epistola ad Ruthenos, *D. Kortholdus Hist. Eccles. Sec. XVI. p. 750. seq.* annotavit.

§. 30.

MEMORABILIA hujus seculi ita multa sunt, ut potiora nobis vix summatim attingere liceat. (1.) Europæ status novam faciem induit, si multiplicem rerum conversionem, cum in Religione, tum in principatuum regnorumque pro-

profectu & defectu admirabilem respicias, Principumque magnorum Caroli V. Francisci I. R. Gall. Henrici VIII. R. Angliæ & Solimanni Turcarum tyranni ingenia ac fata attendas, a Sleidano & Thuano imprimis annotata: (2.) Religio Evangelica, quæ admirabili Lutheri opera, & divinis auspiciis, per pugnas & prælia, ac ipsas medias strages veluti eripuit atque crevit maxime; cum illam adversarii potentissimi evertere molirentur. Memorabile hic inter munera infanti Carolo V. in baptismo oblata, munus Archimandritarum, quod Vetus Novumque Testamentum fuit, cum inscriptione: *Scrutamini Scripturas.* Id quod Lutherus fecit & ab omnibus maxime requisivit. (3.) Instauratio meliorum literarum: quarum adjumento Ecclesia majora incrementa cœpit. (4.) Penetratio Evangelii in regna septentrionis, ubi inprimis tutam invenit sedem. (5.) Molimina diaboli, quibus partim per intestinos rusticorum motus violentos, partim per novas fanaticorum & aliorum sectas passim excitatas, do-

doctrinam evangelicam suspectam reddere, ejusque progressum impedire molitus est. (6.) Pontificum R. ac Principum quorundam consilia violenta ac clandestina adversus veritatem cœlestem eventu frustrata. (7.) Testium veritatis plurimorum constantia. (8.) Papatus nutantis duo fulcra, *Inquisitio Hispanica* & nova *Jesuitarum* Secta. (9.) Philippi II. R. Hispan. tyrannis infelici exitu terminata. vid. *Grot. Hist. l. VII. fol. 330. seqq. & Galluccium lib. X. Hist. Belg. p. 408.* (10.) Maximiliani II. & Rudolphi II. Imperatorum Rom. moderatio in Religionis negotio laudabilis. (11.) Concilii Tridentini iniquitas. (12.) Christianismi (impuri licet) per Indiam Orientalem & Occidentalem propagatio. (13.) Hispanorum crudelitas, in convertendis Americanis detestanda. Plura ex historia civili addere supersedeo.

§. 31.

In hoc ergo feroci genio seculi, & ambitiosis consiliis atque conatibus magnorum Principum ac Pontificum R. DEO parum placituris, mirandæ divinæ

vinæ providentiæ ac bonitatis erga Ecclesiam, plurima documenta occurrunt, quæ profani homines divinarum rerum imperiti, dum historiam legunt, parum attendunt. Quis enim sine Numine factum credat, Lutherum effeciſſe, quæ pii tot antea seculis optaverant, sed ne fierent, Pontifices R. maximorum Principum potentia vel tyrannide nixi impedierant? Factum tamen cum maturuiſſet necessitas reformandæ Ecclesiæ, ministerio hominis, qui magnis & sapientibus seculi viris, vilis & abjectus videbatur. Ita DEUS sapientiam hominum confundit, quando sua causa agitur: ut ipsi pro ineffabili sapientia & bonitate in genus humanum, debitas laudes ac gratias reddamus, puraque mente, quod efficaciſſimum semper rogandi genus fuit, beneficia ejus in nos collata prædicemus vitamque Evangelio dignam agamus. Fructus Reformationis venerandus *D. Elias Veilius de Hiſt. & Necesſit. Reformationis Evangelicæ per Lutherum feliciter inſtitutæ Sect. V. art. 5. p. 427 ſeqq.* recenſet.

PE-

PERIODI V.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CAPUT II.
De
Hist. Sec. XVII.
jam decurrentis.

PRæcipitantis hujus seculi res prosperæ & adversæ, quod Ecclesiam attinet, equidem multæ sunt annalibus dignæ; sed nos instituti memores, potiores strictim tantum attingemus, & memoriæ juvandæ causa, eas in *quinque Sectiones* dispescemus.

Sect. I.

§. 1.

IN *prima* hac *Sectione*, res ab initio seculi, ad annum decimum septimum, quo Lutherani *Jubilæum* celebrarunt, memorabimus. Doctores & Scriptores, qui in nostra Ecclesia hoc tempore inclaruerunt, præcipui fuere *D. Ægidius Hunnius*, *Leonhardus Hutterus*, *David Rungius*, *Polycarpus Lyserus*, *Salomon Gesnerus*, *Georgius Mylius*, *Philippus Nicolai*,

lai, Jo. Fosterus, Fridericus Balduinus, Zacharias Schilterus, Henricus Hœpfnerus & alii Saxonici; Deinde inter Suevicos, *Jacobus & Philippus Heilbrunneri* fratres, *Felix Bidenbachius, Stephanus, Gerlachius, Matthias Haffenrefferus, Theodorus Thummius*; inter Argentoratenses, *Joh. Pappus, Philippus Marbachius*; inter Hasicos, *Balthas. Menzerus, Johannes Winckelmannus*, & alii, quorum scripta *Paulus Bolduanus, in Bibliothec. Theolog. Georgius Draudius in Officin. omn. libr. G. Matthias Kœnigius in Biblioth. Vet. & Nov. & Henningius Witte in Dec. Vit. Theol. ac Diario Biographico*, recensent. Inter Reformatos *Franc. Junius, Amandus Polanus a Polansdorf, Is. Casaubonus, Matthias Antonius* Sadeel, *Ludovicus Crocius, David Pareus, Barthol. Keckermannus, Paulus Tossanus, Abrahamus* Scultetus, *Joh. Piscator, Jacobus Arminius, Franciscus Gomarus, Nicolaus Vedelius* & alii, qui in Catalogis Biblioth. Thuanæ, Heinsianæ & Ouzelianæ memorantur. Inter Pontificios eminent *Cæsar, Baronius, Robertus Bellarminus* Cardinales, *Gabriel Vasquez, Franciscus* Svarez seu Svazius, Geor-

Georgius de Valentia, & alii, *in Bibliotheca Hispana a Nicolao Antonio* memorati. Jesuitarum Germaniam turbantium *Tanneri*, *Hungeri*, *Gretseri & Foreri* nomina, ex scriptis ipsorum aculeatis nota satis sunt. Igitur omissa aliorum recensione, ad rerum enarrationem progrediemur.

§. 2.

Romæ, Clemens VIII. Papa, Jubileum an. 1600. celebrat; & cum Tiberis exundasset, *agnum* (ut vocant) *DEI* cum hostia consecrata in eam, certis adhibitis ritibus, projici jussit, ut exundatio sisteretur. Duo etiam Brevia, quæ vocantur, ad Catholicos in Anglia misit, unum ad Clerum, alterum ad populum; ut operam navarent, quantum in ipsis sit, quo mortua Elisabetha, Rex erga catholicam religionem bene affectus eligeretur; teste *Bellarmino Resp. ad Apolog. pro jur. fidel. p. 56. 57. 115.* conf. *Thuan. lib. 126. & Heideggeri Hist. Papat. pag. 287.* Interea in Styria A. Confessioni addictis, liberum religionis exercitium

tium interdicitur, ministris Ecclesiæ in exilium missis.

§. 3.

In Germania an. 1602. Marchio Badensis, Ernestus Fridericus ministros ecclesiæ, secundum formulam libri Staffortici, quæ Calvini placita continebat, docere jussit. Cui mandato Pfortzheimenses parere recusarunt. Sed intercedente postea Marchione Georgio Friderico, Ernesti fratre, illis religionis libertas permissa fuit. Hocanno, ex voluntate Maximiliani Bavari & Ludovici Palatini Neoburgici, Ratisbonæ Pontificios inter & Lutheranos Theologos *Colloquium* institutum, quod XIV. Sessionibus habitis, absque fructu terminatum est. Nam collocutores Pontificii, Hungerus, Gretserus, & Tannerus, summum controversiarum judicem Papam R. esse clamabant; contra Ægidius Hunnius, Heilbrunneri, fratres & alii præsentes Theologi Lutherani, solam Scripturam S. controversiarum theologicarum normam esse demonstrarunt. v. *Acta Colloquii istius publicata, Osiandri H. Eccles. p. 1147. & Kerth. H. Eccl. Sec. XVII. p. 869.*

§. 4.

§. 4.

In Anglia, Elisabetha, Regina vivis excesserat, cui an. 1603. *Jacobus VI.* R. Scotiæ in regno successit. Quem una omnium voce Regem salutatum, Jesuitæ vel in partes suas pertrahere, vel e medio tollere machinabantur. Vix enim inauguratus fuerat, quum ex improviso conjuratio adversus eum detegeretur, vid. *Thuan. l. 129. & Lundorp. Cont. Sleid. tom. III. l. 9.* Hoc anno in Delphinatu, Theologi Reformati Synodum Vapincensem, de instauranda Lutheranos inter & Reformatos concordia, celebrarunt. In qua inter alia de sententia *Johannis Piscatoris*, Professoris Herbornensis, pertractum est. Qui errorem Parsimonii, jam olim a Brentio confutatum revocaverat; Christi *obedientiam activam* nostram justificationem non ingredi; cum eam pro se tanquam creatura legi divinæ debuisset præstare. Enimvero Synodus illa hanc sententiam rejecit atque improbavit.

§. 5.

In Anglorum Synodo Londinensi an.

1604. instituta, Religio Reformata jam ante recepta confirmatur, Regisque suprema in ecclesia Anglicana auctoritas asseritur; S. Cœnæ trina perceptio minimum quotannis mandatur; baptismum infantum administrare parentibus laicis interdicitur; crucis ceremonia in baptismo, sed cum cautelis, permittitur. vide *Thuan. l. 131.*

§. 6.

Interea in Romanensi Ecclesia, dissidia intestina exorta sunt; cum Jesuitæ asserent, credere Papam tunc Romæ sedentem, Clementem VIII. esse legitimum S. Petri successorem, non esse ex articulis fidei: defendebant etiam, confessionem, quæ inter Sacramenta Ecclesiæ habetur, per epistolam & præcursores edi posse. Id, quod alii negarunt. Verum Papa hæc litigia in herba velut opprimere consultum putavit. Majoris momenti controversia fuit Molinistica, a *Ludovico Molina*, Jesuita Hispano, anno 1591. jam excitata; sed quæ hoc tempore velut in nervum erupit. Nam is de *auxiliis gratiæ*, Salmanticæ disputans,

tans, plus hominis arbitrio in conversione sua tribuerat, quam Dominicani, qui prædeterminationem gratiæ divinæ asserverant. Hinc Jesuitæ Molinam defendentes, ab his *Pelagianismi*; illi vicissim a Dominicanis, *Calvinismi* postulabantur. Clemens Papa cum pro Dominicanis pronunciasset primum, Jesuitæ eum (sed ut Doctorem privatum) erroris arguere non dubitarunt. Quapropter post varias disputationes, & consultationes Romæ habitas, Paulus V, Papa utriusque partis offensas metuens, utrique tandem etiam silentium imposuit, quo velut per amnestiam lis illa componeretur. v. *D. Hulsemanni Diatrib. Scholast. de Auxil. Gratiæ p. 29. & D. Joh. VVolffg. Jægeri Hist. Eccl. Decenn. I. p. 167. seqq.*

§. 7.

In Thuringia *Esaias Stiefelius & Ezechiel. Meth*, an. 1604. enthusiasmi postulati sunt; quod visiones ac somnia divina jactassent, ac ministerium ecclesiasticum rejicientes, illum cœtum tantum ecclesiam veram esse affirmassent, qui omni

macula & ruga, h. e. peccatis & infirmitatibus careret. vid. *D. Kromayeri Hist. Eccles. p. 657. seqq.* Oppofuit illi fefe Bœhmius fcriptis, quæ inter reliqua ejus opera Amftelodami excufa proftant. Innotuit hoc tempore Societas *Fratrum Rofeæ crucis*, (Rofen-Creutzer/) qui feruntur nomen a quodam Chriftiano de Rofencreuz, aurei lapidis equite habere. Hunc autem circa exitum Seculi XIV. Spiritus S. lumine colluftratum, philofophiam fublimiorem calluiffe, & Sectatores fuos, fub jurisjurandi formula obftrinxiffe, ut regulas vitæ præfcriptas fibi fervarent, nec arcana difciplinæ fuæ (inter quæ & χρυσοποίΐα refertur) eliminarent. vid. *Andr. Libavium* in libello: Wohlmeynendes Bedencken von der Forma und Confeffion der Brüderfchafft ꝛc. & *Kromayeri Hift. Eccl. p. 655.*

§. 8.

Marburgi an. 1605. nova inter Lutheranos & Reformatos diffenfio erupit. Nam Mauritius Landgravius Haffiæ, cui ditio Marburgenfis per obitum Ludovici patrui fui obvenerat, Calvini placita Mar-

bur-

purgenses sequi jussit. Illa vero amplecti D. Winckelmannus, Balthasar Menzerus & Henricus Leuchterus recusarunt. Quapropter his ex Academia dimissis, & a Ludovico, Gissæ in nova Academia constituta receptis; Valentinus Schonerus, cum pro concione publice Reformatorum placita instillare primum ausus esset, plebs ad templum convolavit, hunc que Pastorem male multatum e suggestu pæne semianimem deturbavit. v. *Thuan. l. 133.*

§. 9.

Hoc anno post excessum Clementis IIX, magna in conclavi contentio inter Cardinales, propter electionem novi Pontificis, suborta est. Quam historiam Cardinalis *Perronius, & D. Jegerus Hist. cit. l. 6. c. 1. & 3.* describunt. Tandem factione Gallicana prævalente, favore ejus *Paulus V.* electus est, qui se *Vice-Deum, Christianæ reipublicæ monarcham invictissimum, & Pontificiæ omnipotentiæ conservatorem acerrimum* salutari passus est. vid. *Heideggeri Hist. Papat. p. 322.* Per id tempus Pseudo-Demetrii in Moscovia a Je-

suitis, ut creditur, subornati, magnas turbas dedere. De quibus *Piasecius Chronic. fol. 222. seqq.* agit.

§. 10.

In Anglia, eodem anno diriſſimum Jeſuitarum conſilium, adverſus Regem, levi ſane indicio patefactum eſt. Nam illi homines ſcelerati, conjuratione facta, cellam ſubterraneam ædibus Weſtmonaſteriæ ſubjectam conduxerant, quam 36. doliis pulveris nitrati completam incendere inſtituerant; ut Rex, Principes, omnesque Ordines in comitiis Angliæ congregati, ceu fulmine icti & in ſublime jactati, una internecione delerentur. Unde iſta *conjuratio pulveraria* dicta eſt. Quam *Camdenus* peculiari libro, cui titulus eſt, *Actio in Henricum Garnetum Soc. Jeſuit. in Anglia Superiorem &c. Thuan. l. 135. Iſ. Caſaubonus Epiſt. ad Frontonem Ducæum p. 704. ſeqq. & Joh. Barclajus ſub finem Euphorm.* deſcribunt. Decretum inde ab Ordinibus Regni, ut omnes ac ſinguli cives atque incolæ jurejurando adacti Jacobum, legitimum dominum ſuum agnoſcerent, ipſique pa-

parerent; neque Pontifici R. aut regnum abrogare Regibus, aut subjectos, officio magistratibus debito solvere licere. Quod decretum cum Pontifex, Bulla edita, rejiceret; ipse Rex *Apologiam pro Juramento Fidelitatis* adornavit. Hanc Bellarminus, sub nomine *Matthæi Torti*, oppugnavit; sed a Rege *Præfatione monitoria, ad omnes Principes Christianos* publicata, vicissim confutatus. conf. *Johnstoni Hist. Liz. Piasec. Chron. f. 256. seqq. & Is. Casauboni Epist. ad Frontonem Ducæum*, quæ in Græviana editione est, 624.

§. 11.

Hoc tempore Paulum V. Pontificem præfervidum, Veneti offenderant; quod publico edicto sanxissent, non licere bona immobilia in Clericos transferre, nec templa & monasteria nova absque Senatus consensu erigere, aut clericos graviora crimina admittentes judicio magistratus civilis eximere. Has & alias ob causas, Pontifex fulmine excommunicationis Venetos satis imprudenter feriit. At illi Jesuitas e ditione sua ejici-

entes, *brutum* illud *fulmen*, per *Paulum Sarpium & Johannem Marsilium*, perstrinxerunt & confutarunt; cum *Baronius & Bellarminus* causam Papæ frigide satis defenderent. vid. *D. Jægeri Hist. Eccl. l. 7. c. 1.* Interim cum ad arma res spectaret, Rex Galliæ Henricus IV. Pontificem ad mentem saniorem reduxit. Nam orator ejus illi persuaserat, Venetos clam ad se evocatis Geneva Sacerdotibus, moliri ab Ecclesia Romana defectionem. Quo audito, Pontifex cum illis in gratiam rediit. vid. *Thuan. l. 137. Lundorpii Cont. Sleid. tom. 3. l. 12. 13. & Piasec. Chronic. f. 243. seqq.*

§. 12.

In Germania interim Professor Helmstadiensis, *Henricus Boetius*, novo litigio ansam dederat, cum publice asseruisset, fructum resurrectionis Christi ad omnes homines indifferenter, pios ac impios pertinere; ita, ut impii etiam vi ac virtute resurrectionis Christi aliquando resurrecturi essent. Quam sententiam D. Balduinus Wittebergensis Theologus confutavit, demonstrans vi justitiæ im

pio-

pios resurrecturos esse, ut judicium Christi justi judicis subeant.

§. 13.

In Suevia, *Donawerdæ* Abbas cœnobii S. Crucis novam tumultus ansam 1607. dedit. Civitas enim illa Imperii Aug. Confessioni addicta, a Cæsare proscripta & privilegiis exuta, Bavariæ Duci adjudicata fuit ideo, quod plebs Abbatem sua publica sacra (*Processionem* vocant) præter solidum, per urbem exercere tentantem impediisset, omnemque ejus apparatum & pompam disturbasset. Insolens pœna hæc omnibus Protestantibus videbatur, qui Donawerdenses inauditos, pro innocentibus habebant. vid. *Thuan. l. 138.* Anno 1608. Cracoviæ Sociniani Catechismum publicaverant, quem Theologi Wittebergenses confutarunt. v. *Consilia Theolog. Witteb. f. 661. seqq.* Per id tempus Anti-Trinitarii etiam per Germaniam virus suæ doctrinæ sparsere, eoque Altorfinam Academiam infecerunt. v. *Ruari Epistol.*

§. 14.

Anno 1609. Romam Persarum Regis

legatus venerat: Quem cum Pontifex regio splendore excepisset, effecit, ut liberior transitus in Persidem religiosis, quos vocant, missionariis, ad disseminandam doctrinam Romanensem concederetur. vid. *Piasec. f. 258.* Quo tempore Rudolphus II. Imper. rogante Electore Sax. Bohemis, Silesiis & Moravis pleniorem religionis Evangelicæ libertatem indulsit, eamque diplomate, seu, ut vocantur, *literis Majestatis* confirmavit; multum licet indignantibus Papa, Hispanis & Jesuitis. vid. *Piasec. Chron. f. 312. & D. Jager. l. X. c. 1.* Templorum valvis, in antiqua urbe Pragensi, affigebatur carmen:

Templa patent, Leo latus ovat, firmante Rudolpho,
Quam dederas Fidei, Maxmiliane, fidem.

v. *Wengersçii Hist. Eccl. Slavon. l. 1. p. 66.*

§. 15.

Lugduni Batavorum *Jacobus Arminius* sacras literas professus, a trita Reformatorum doctrina, in certis partibus recesserat; puta *in quinque articulis*, de Prædestina-

stinatione, Redemtione per Christum facta. Libero hominis arbitrio, Conversionis gratia & Perseverantia in fide. Huic *Franciscus Gomarus*, collega ejus se primum objecit; docens, æterna & immutabili DEI lege fixum, cui hominum salus destinaretur, quis in exitium tenderet: inde alios ad pietatem trahi, & tractos custodiri, ne elabantur: relinqui alios communi humanitatis vitio & suis criminibus involutos. Utroque horum multos adsectatores nacto, scissa non modo Ecclesia Reformatorum fuit; sed ipsa Batavorum respublica tumultu postea conquassata. Neque enim cum Arminio hoc anno 1609. vita functo sepulta fuit discordia sed vehementius excitata: unde sectarum nomina *Arminianorum & Gomaristarum*, quæ mox *in Remonstrantium & Contraremonstrantium* vocabula transierunt. v. *H. Grot. Histor. l. 17. f. 552. seq. D. Jegeri Hist. Eccl. l. IX. & Spanhem. Elench. Historico-Theolog. Controv. cum Arminian.*

§. 16.

Rex Hispaniæ Philippus III, induciis

cum Batavis in duodecennium an. 1609. pactis, insequenti anno, suasu Francisci Sandoval, Ducis Lermensis, novies centies Maurorum millia ex Hispania ejecit. Horum enim posteri Christianorum sacra professi, res novas moliebantur, atque a R. Galliæ Henrico IV. clam auxilia petierunt. v. *Mariana Hist. Supplem.* ad hunc annum p. 41.

§. 17.

Hoc tempore, *Unio Evangelicorum*, seu fœdus quorundam Protestantium Halæ Suevorum coaluit. Ejus autor & Conciliator Elector Palatinus, Fridericus V. erat. Qui machinationes Jesuitarum, quorum autoritas magna in aulis Principum Catholicorum fuit, animadvertit, ne in ipsum ac cæteros, quos vocabant Calvinianos, vis Pontificiorum primum erumperet; cum exemplum Donawerdæ ante oculos versaretur. Accesserant illi quidam e Lutheranorum Ordinibus. Sed Elector Sax. istam unionem constanter aversabatur; etsi ad vim, si inferretur, propellandam tantum spectaret. Cui mox aliud Pontificii

ficii fœdus, quod *Ligam Catholicam* vocabant, Wurtzburgi convenientes oppoſuere. Hujus dux, Maximilianus Bavarus, Proteſtantibus maxime infenſus princeps, electus eſt. v. *Puſendorfii Rerum Suecic. Hiſt. l. 1, §. 18. & 19.*

§. 18.

Dum hæc in Germania fiunt, in Gallia Rex Henricus IV. Hugonotorum patronus adhuc, ſceleratiſſimi ſicarii Franciſci Ravaillac, Jeſuitarum diſcipuli manu, an. 1610. peremtus occumbit. vid. *Cont. Thuan. l. 3. p. 84. & Gramond. Hiſt. l. 1. p. 7. ſeqq.* Quo tempore confutatio doctrinæ Marianæ prodiit, autore Patre Cotono, qua juxta Conſtantienſis decreta Concilii, erroneæ aſſertiones damnabantur Societatis JESU nomine. Damnatus item Parlamenti Lutetiani placito Bellarmini liber, quem in *Barclajum de Poteſtate R. Pontificis* ſcripſerat. Intercedebat autem Nuntius Papæ, obtinebatque per Reginam, ne manu carnificis combureretur. Eodem anno prodiit *Cardinalis Baronii tom. XI. Annalium*, in quo Hiſpaniæ regibus negat eſſe in

Siciliam jura, qualia possident. Regis igitur Catholici edicto, opus illud rejicitur, ipseque autor non multo post, factione Hispana, a prima sede excluditur, ad quam suffragiis multorum Cardinalium vocabatur, teste *Gramondo l. 1. Hist. p. 10.* Jesuitis interim in Gallia præcipitur, ut, nisi regno ejici iterum velint, quatuor hos articulos adprobent: 1.) Papam nullum habere jus in Reges: 2.) Concilium esse supra Papam: 3.) Clerum, a politici magistratus judicio non esse exemtum: 4.) Confessionem auricularem, si vitam Regis concernat, non esse reticendam. v. *Jægeri Hist. Eccl. Decad. II. l. II. c. 4.*

§. 19.

Sub initium anni 1611. Aquisgrani, ob liberum religionis exercitium Protestantibus interdictum, tumultus exoritur. Quo sedato, Protestantibus extra urbem sacra sua obire permissum fuit. Hagæ autem Comitis inter Gomaristas & Arminianos *Collatio* sine fructu instituta fuit, quam *Jægerus H. E. Decad. II. l. 1. c. 7.* describit.

§. 20.

§. 20.

Ordines interim fœderati in Belgio an. 1612. edicto promulgato, prohibent; ne Jesuitæ in suis ditionibus scholas habeant, aut Missas celebrent. Hac de causa in Belgio Regio, vicissim reformatæ religionis ministris, intra 14. dies emigrare mandatum fuit, v. *Piasec. Chron. f.* 282.

§. 21.

In Misnia hoc tempore *Valentinus Weigelius*, pastor Tschopaviensis, novæ hæresis postulatus fuit; quod fanatica dogmata sub novis & portentosis vocabulis sparsisset. Ideo *Nicol. Hunnius*, *Theodorus Thummius in Impietate Weigeliana*, & *Joh. Crocius in Anti-Weigelio*, calamum adversus scripta ejus strinxere. Eodem tempore *Jacobus Bœhmius*, sutor Gœrlicensis, divino afflatu se regi ferens, librum sub titulo *Auroræ* (Morgenröthe) conscripsit, qui novos motus excitavit, aliis Bœhmium ceu novum *Philosophum Teutonicum* defendentibus, aliis damnantibus. *D. Kortholdi in Hist. Eccl. Sect. i. c. 2.* de ejus dogmatibus judicium est: *Quod*

alias

alias, ait, *ad dogmata Bœhmii attinet, quæ in libris ejus sparsim continentur, vix quisquam accuratum eorum texet catalogum; cum ex obscuris & ambiguis verbis nunc hos, nunc illos sensus extorquere liceat.* vid. *Acta Bœhmistica præmissa ejus operibus Amstelodamian. 1682.* evulgata.

§. 22.

Matthias Imperator an. 1613. Ratisbonæ comitia indixerat, in quibus *Unioni* adscripti Protestantes sæpius ingestas querelas, contra enormem judicii aulici autoritatem, Tribunalque Spirense in Pontificios pronum ingeminabant; simul quod decretum Augustinum in alienos sensus traheretur, & ipsorum salus in lubrico poneretur, si, quod hactenus factum erat, suffragia in conventibus Ordinum circa negotia religionis, & alia ad statum ipsorum pertinentia, numero valeant, quo semper Pontificii vincere possent. Enimvero istæ querelæ frustra fuerunt. vid. *Pufendorf. Rer. Suec. l. 1. §. 19.* Hoc tempore *Cyrillus* Patriarcha & Papa Alexandrinus, epistolam ad Joh. Uytenbogartum de statu Ecclesiæ

clesiæ Græcæ in Ægypto exaravit, quam *D. Jægerus H. E. Decad. II. l. 3. c. 5.* inseruit.

§. 23.

Anno insequenti, cum Sigismundus, Elector Brandenburgicus religionem reformatam, & Wolffgangus Wilhelmus Palatinus, Dux Neoburgicus Pontificiam amplexi essent; novi in eorum ditionibus animorum motus, ob religionem Lutheranam mutatam, excitati sunt, de quibus in *Mercurio Gall. Belgic.* legi potest. Non minores in Hispania motus concitavit controversia, de conceptione Mariæ Deiparæ, *maculata, an immaculata sit?* Nam Franciscus a San-Jago Ordinis Minoritarum monachus, præmonitum se ajebat a diva Virgine Guadalupensi, in signum annulo accepto, de futuro post aliquot annos (non tamen sine contradictione & tumultu) incremento venerationis & cultus erga suam immaculatam conceptionem. Hinc magnæ per Bæticam provinciam de conceptione immaculata Mariæ festivitates institutæ, affixa tropea *Marianæ de peccato originali victo-*

victoriae. Inde certamina inter Dominicanos & Franciscanos acerrima. Quae cum Rex ipse componere nesciret; Romam misit legatos, ut a Pontifice controversia terminaretur. Verum ille utriusque litigantis partis offensam veritus, super ista pronunciare ex cathedra supersedit. Acta hujus litigii *D. Jægerus* H. *Eccl. Decad. II. lib. 4. c. 1.* recenset.

§. 24.

Anno 1614. *Davidis Parei* Theologi Heidelbergensis *liber votivus*, qui titulus *Irenicum* sive de *Unione & Synodo* publicatus, quo Lutheranos ad Syncretismum in unitate Spiritus, per vinculum pacis in mansuetudine, tolerantia, moderatione & charitate Christiana ineundum invitat, novas in Ecclesia lites peperit. Nam illum *D. Sigwartus* Tubingensis Theologus mox confutavit. Inde origo controversiarum de Syncretismo in Germania postea enatarum arcessitur. Etsi in Synodo Sendomirienſi, seculo antecedenti, id vocabuli simili sensu usurpatum legatur. Liber *Conradi Vorstii de*

DEO

DEO & attributis ejus in Anglia jussu Regis ad ignem damnatus fuit, memorante *Is. Casaubono epist.* ad Petronium Cardinalem, *p. m. 899.* sed Andreas Reuchlinus, hoc anno, ea propter paræneſin ad Casaubonum, gravisſimam evulgavit, quæ inter *Epist. Arminianorum p. m. 422. seqq.* legi meretur. Enimvero Vorſtium a Socinianiſmi labe non fuiſſe immunem, ipſius ſcripta, puto, loquuntur.

§. 25.

Hoc anno, comitia generalia Lutetiæ Pariſiarum regiis literis indicta ſunt; ut de ſuprema Regum auctoritate in temporalibus, adverſus Papam R. & ejus paraſitos ſtaſtueretur. Nam compertum fuerat, hoc ipſo anno *Franciſcum Suarem*, Jeſuitam Hiſpanum librum juris publici feciſſe, quo peſtilens dogma, Pontificem R. jus vitæ ac necis in Reges habere, aſſeritur. Hiſtoriam rei geſtæ & momenta cauſæ doctiſſimus Sorboniſta, *Edmundus Richerius*, libro de *Poteſtate Eccleſiæ in rebus temporalibus an. 1692.* publicato *l. 1. & Gramondus l. 1. Hiſt. p. 57. ſeqq.* exponunt.

§. 26.

§. 26.

In Germania Dux Neoburgicus, nuper sacra Pontificia professus, an. 1615. subjectos suæ ditioni eadem amplecti, missasque frequentare jubet. Habitum hac de causa Neoburgi fuit colloquium, inter Jacobum Heilbrunnerum & Kellerum Jesuitam, qui illius librum, Uncatholisch Pabstthum/ impugnavit. *Valentinus Smalcius*, Socinianus, commentarium in c. 1. Joh. Senatui Argentoratensi, hoc anno inscripserat, qui illum, ut Photinianismi suspicionem amoliretur, rejecit atque refelli curavit. In Belgio Ordines Hollandiæ & Westfrisiæ, Arminianorum & Gomaristarum contentiones invalescentes magis, publicato decreto componere student. Quod studium R. Angliæ Jacobus adprobavit. De aliis controversiis sacris, hoc tempore in Belgio fœderato agitatis, ut D. Molinæi, Vorstii, Socinianorum, *Hug. Grotii Epistolæ*, hoc anno exaratæ legi merentur.

§. 27.

Anno insequenti, in Gallia tum ob receptionem Concilii Tridentini, tum ob fœ-

fœdus Condæi principis cum Hugonotis initi, factiones exortæ, quas *Gramondus l. 2. Hist.* describit. Romæ Pontifici nolenti fuit intelligere, *M. Antonium de Dominis*, Archiepiscopum Spalatrensem, ad Reformatos transiisse, & Londini coram Rege Jacobo, Romanensem religionem ejurasse; præsertim cum libros de *Republica Ecclesiastica* evulgasset. Quanquam, ut erat in religione vertumnus, postea Romam redierit, v. *Gramondi Hist. l. 3. p. 196. D. Jægeri Decad. II. l. 6. c. 1. seqq. & Epist. Grot.* ad ipsum exaratam *f. 44.* In Gallia etiam hoc tempore, a Rege, Jesuitæ facultatem scholarum in omnes scientias, obluctante licet Sorbanna & obstrepente Senatu Parisiensi, obtinent. vid. *Gramond. Hist. l. 3. p. 197. seqq.* Pontifex R. Paulus V. a Rege Catholico denuo sollicitatus, ut controversiam *de Conceptione* S. *Mariæ* decideret; respondit, *Spirit. S.* (quem alias in pectore se habere jactat) *sibi nondum revelasse.*

§. 28.

Interea per Provincias Cæsaris, religio Protestantium latius se diffuderat. Quia Ma-

Maximilianus II. amplissime illis de Aug. Confessionis doctrina caverat, adhibitis in consilium Joachimo Camerario & Davide Chytræo, clari nominis inter Lutheranos viris. Id privilegium a Rudolpho II. confirmatum cum post Matthias abolere conaretur; Austriaci captis armis, copias ipsius profligarunt; ut tunc quidem cœptum persequi, non auderet. Bohemi autem *literarum Majestatis* fide nixi, sibi tutiores videbantur. Enimvero Jesuitæ rem astu gerentes, jam consilia evertendæ A. Confessionis doctrinæ agitarant, quæ, cum Ferdinandus II. Imperator esset factus, eruperunt. Is enim eo usque pro Romano cultu incaluerat, ut aperte profiteretur, malle se vitæ omniumque bonorum jacturam facere, quam sacra ab isto diversa in suis ditionibus tolerare. Unde postea in Ecclesia Protestantium, longa malorum series.

§. 29.

Inter has vero Jesuitarum molitiones, an. 1617. Elector Saxoniæ Joh. Georgius I, in memoriam secularem cœptæ Reforma-

mationis, Jubileum solennissime celebrat. v. *Weckii Chronic. Dresdens. f. 320.* Cujus pietatem, alii quoque Status Protestantes per Germaniam imitati, similes festivitates instituere, quas *Gramondus*, ut est hac in parte dicax, *l. 2. Hist.* falsè & etiam inepte perstringit.

Hist. Sec. XVII.

Sectio II.

§. 1.

Sectio hæc *secunda* res ab anno 1618 usque ad an. 1619. (quo Ferdinandi II. *Edictum* adversus Protestantes promulgatum est) complectitur ecclesiasticas.

§. 2.

Ad has pertinent primum *Synodus Dordracena*, deinde conversio rerum in Bohemia. Nam postquam dissidium inter Arminianos & Reformatos, de *quinque articulis* exortum, hactenus amicabili modo non potuisset componi, & partium studiis civitates etiam dissiderent, tumultu interdum perstrepentes; anno 1618. *Synodus Dordraci* convocata est,

ad

ad quam non tantum Batavi, sed exteri etiam Theologi e Britannia, Palatinatu, Hassia, Helvetia & aliis Germaniæ partibus convenerunt. Johannes Bogermannus, Pastor Ecclesiæ Leovardiensis, Synodo præsidebat. Arminianorum seu Remonstrantium causam agebat *Simon Episcopius*, os Remonstrantium dictus, vir doctissimus gravissimusque. Enimvero hic nomine Remonstrantium, contra modum procedendi protestatus est; quod qui adversam partem tutabantur, sederent judices, qui inauditos (ut in Synodo Tridentina) Remonstrantes damnarent. Multis cordatis ea judicii forma displicebat, nec Mauritius, Princeps Arausionensis, invidia caruit. Interim Reformati rejecta Arminii doctrina, Confessionem Belgicam & Heidelbergensem Catechesin confirmarunt. Prolixa est historia, longæ sunt ambages, quæ ex *Actis & Scriptis Synodalibus Dordracenis Ministrorum Remonstrantium in Fœderato Belgio Herdervici impressis*, *item Simonis Episcopii tom. II. opp. part. 2. nec non Epistol. Eccles. & Theolog. præstantium*

um eruditorum virorum Amstelodami editis, optime cognosci possunt. Cœpit Synodus illa Cal. Nov. 1618. finita sequentis anni mense Majo. Paucis post diebus, Grotio ad captivitatem in arce Lövenstein damnato, (ex qua tamen postea uxoris ope evasit) Barnefeldius septuagenario major, capitis supplicio affectus est. conf. *Theatrum Europ. tom. 1. p. 580. Epistolicam Narrationem eorum, quæ in Synodo Dordrac. gesta sunt in Epist. Arminianor. pag. 512.* Occasione harum controversiarum doctissimus *Ger. Joh. Vossius Historiam Pelagianam* scripsit, & Amstelodami publicavit.

§. 3.

Conversio autem rerum vel motuum in Bohemia, quæ in hunc annum incidit, & insequentibus duravit, paucis ita habet. Matthias Imperator, libertatem religionis Bohemis a Rudolpho confirmatam imminuere cœperat. Unde multa ubique querela Evangelicorum, spes emendationis exigua. Conventus ergo Pragæ actus, in quo, quum durius Cæsaris deputati Guilielmus Slabata, Comes

de Martiniz, & Secretarius, Philippus Fabricius, respondissent; Evangelicorum deputati illos per fenestram præcipitarunt. Sic jacta alea, libertas Bohemorum magis periclitari cœpit, ut tristis postea eventus comprobavit. v. *Piasec. Chron. fol. 313. & Puf. Rer. Suec. Hist. lib. 1. §. 22.*

§. 4.

Hoc anno, *Julius Cæsar*, (al. Lucilius) *Vaninus*, Italus, primum philosophiæ & theologiæ, deinde medicinæ cultor, cui in irrisum sacra & religiosa, (Christi humanitatem exsecrabatur; DEUM negabat; forte vel casu omnia fieri differebat; naturam pro matre optima & omnium autrice adorabat) Tolosæ in Gallia, ob nefandum atheismi crimen, justo supplicio afficitur. vid. *Gramond. Hist. l. 3. pag. 210. seqq.* Cæterum d. 9. Nov. styl. novi ejusdem anni, cometa horribilis visus in signo Scorpionis, cauda porrecta versus Orientem, multos terruit, ceu belli funesti tricennalis futuri præsagium.

§. 5.

Anno insequenti, Synodo Dordracena fi-

finita, *Arminiani* ejusdem decreta impugnant: quod inique cum ipsis in Synodo, ab adversariis, qui simul judicis & actoris partes sustinuissent, actum fuisset. Ideo Reformati, Arminianos ab officiis publicis excludunt, & magistratus civitatum nova jurisjurandi formula adstringunt. In *Bohemia* vero & annexis provinciis Austriacis, mortuo *Matthia* Imperatore, motus ob religionis periculum invalescunt; quod ille ante obitum, *Ferdinandum* agnatum suum, acerrimum Evangelicorum hostem, Bohemiæ designasset Regem. Itaque Ordines Bohemici negabant, regnum a Ferdinando capessi posse, antequam præstita essent, quæ debebantur. Querelas illas ac motus animorum, *Piasecius Chronic. f. 317. seqq. & Pufendorfius l. t. §. 25.* commemorant. Tandem circumspectis rationibus, ordines Bohemiæ *Fridericum V.* Palatinum Electorem, Reformatæ religioni addictum, sibi Regem constituunt. Unde tristis mali in Ecclesia & republica initium. Ante *Casp. Scioppius* evulgato *Classico belli Sacri*, Principes Catholicos,

ad bellum adversus Protestantes accendit, Sed huic virulento scripto, *Berneggerus* sub nomine *Theodosii Perenici*, *Tubam Pacis* opposuit.

§. 6.

Hoc an. 1620. cum Fridericus V. Pragæ in Regem Bohemiæ coronatus, & mox in prælio prope Pragam victus atque a Cæsare proscriptus esset; bellum Germanicum magno Protestantium detrimento erupit. Nam Ferdinandus statim Evangelicos in Bohemia, & aliis ditionibus suis oppressit, aut ejecit, & incentores belli, Jesuitas ante ex Bohemia proscriptos revocavit. vid. *Pufend. Histor. Rer. Suecic. lib. I. §. 32. seqq.* Res etiam inter *Unionem* Evangelicorum & *Ligam* Catholicorum, post minacia utrinque scripta edita, in congressu Ulmensi composita fuerat: cum Fœderati nullam curam Bohemiæ se habere, testati essent. Itaque magno cum tripudio, victoria Cæsaris & clades Friderici, Romæ acceptæ sunt, dolentibus Bohemis, Silesiis & Lusatis, quibus jugum Pontificium imminebat. vid. *Jægeri Histor. Decad.*

cad. II. l. 10. cap. 6. & Heideg. Histor. Pap. p. 341. seqq. In valle Telina, hoc tempore, Evangelicis a Pontificiis magna strages illata, quam *Heideggerus l. c. p. 346. & Gramondus l. 8. p. 387.* describunt. Interea doctissimus Jesuita, *Jacobus Reihing*, ducis Neoburgici ecclesiastes, veritatis Evangelicæ convictus, ad Lutheranos transiit, & Tubingæ theologiam professus est nostram. v. *Meteran. l. 39. Spizel. in Templo Honor. pag. 93.* In comitatu Schaumburgico an. 1621. d. 27. Julii, nova Academia inauguratur. Sed Heidelbergæ, quam Tillius expugnaverat, sacrificuli missam celebrare cœperunt, spoliata instructissima Bibliotheca, quam Bavarus postea ceu sacri belli manubias, Papæ donavit. Romæ eodem anno d. 10. Octobr. Paulus V. Papa, vita excesit, cujus obitus hoc eteosticho signatus: *MortVVs est VICeDeVs.* In cujus locum Gregorius XV. surrogatus, *Ceremoniale Novum*, h. e. constitutionem de forma eligendi Papam, publicavit, ac Jesuitas quatuor, Ignatium Lojolam, Franciscum Xaverium, Aloisium Gonza-

gam & Stanislaum Coskam, & alios, in divorum seu sanctorum numerum retulit. v. *Heideggeri Hist. cit. pag. 350. & Jægeri Hist. Decad. III. l. 1. c. 1. & l. 2. c. 1.*

§. 7.

In *Hispania* adhuc controversia, de immaculata S. Mariæ conceptione fervebat. In *Gallia* Rex Edictum Nanneticum confirmat apud *Gramond. l. 8. p. 751.* In Belgio Fœderato, Petri Molinæi liber, cui titulus: *Anatome Arminianismi*, Arminianos graviter offendit, qui ideo epistola ad illum exarata, virum reprehendunt, vid. *Epist. Remonstr. Theolog. p. m. 570. seqq.*

§. 8.

Cæsar interim an. 1622, odio in Protestantes maximo flagrans, instinctu Caroli Caraffæ, Episcopi Aversani, hominis crudelis, eosdem e Bohemia ejecit, frustra pro illis Electore Sax. intercedente. Idem fatum manst Moravos & Austriacos. In Japonia, hoc anno crudelissime in Christianos sævitum est. Immanitatem persecutionis *Varenius de Relig. Jap.* describit. Culpa excitatæ crudelitatis, ex

parte

parte in Jesuitas confertur, quorum consilia, de Papæ autoritate in Japonenses, istis Regulis seditiosa visa sunt.

§. 9.

Insequenti anno, mortuo Gregorio XV. Papa, *Urbanus VIII.* eligitur. Qui Duci seu novo Electori Bavariæ, a quo bibliothecæ Heidelbergensis spolia acceperat, subsidia in bellum adversus Protestantes submidistravit. Unde Tillius exercitus *Ligistici* Imperator, bellum in Germaniam transfert; quod Protestantes aliqui serius animadverterunt, hoc nempe suum exitium quæri. Hinc variæ de reducenda pace consultationes initæ, quas tamen Ferdinandus subinde inanibus promissis elusit.

§. 10.

Inter Theologos Giessenses & Tubingenses, inde ab anno 1618. controversia de *statu exinanitionis Christi* agitata fuerat; an illa *in nuda κρύψει* sive *occultatione majestatis*; an vero in *reali κενώσει*, seu *evacuatione usus incessantis majestatis* consistat? Prius cum D. Thummio, Lucas Osiander & Melchior Nicolai, Theologi

Tubingenſes aſſerverant: poſterius cum D. Feurbornio, D. Winckelmannus, & ex parte Menzerus affirmarunt. Quorum literas hac de re commutatas, *D. Jægerus Decad. III. Hiſt. hujus ſeculi initio* exhibet. Noti etiam ſunt de eadem libri editi *Thummii ταπεινωγραφία*, & Feuerbornii *νεωσιγραφία*. Sed ne majus inde offendiculum Eccleſiæ naſceretur, Theologi Saxonici, juſſu Electoris, eam an. 1624. determinarunt, *Deciſione*, ut vocant, publicata, Quibus Tubingenſes *amicam admonitionem repoſuere*.

§. II.

Hoc anno *Cyrillus Lucaris*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, *Confeſſionem Chriſtianæ fidei* promulgavit. Quæ cum aliquot Calviniana placita contineret, Cyrillus Berrhoënſis, & Parthenius Conſtantinopolitani Patriarchæ; illam cenſura notarunt; Jeſuitæ vero ipſum apud Primoveſirum, novæ hæreſis accuſarunt; ut de ſede ſua dejiceretur. vid. *Confeſſ. & Cenſur.* apud Batavos Gr. & Latine an. 1645. edit. Per id tempus Uladislaus Princeps Poloniæ, Romæ ceremoniam Ju-

Jubilei Pontificii spectans, a Pontifice obtinuit, ut factus ante Basilicæ S. Petri canonicus, S. Veronicæ linteum, quo Christi crucem gestantis faciem cruore adspersam dicitur absterfisse, attingere sibi liceret, apud *Piasec. Chronic. p. 372. seqq.*

§. 12.

In Gallia an. 1625. Facultas Theologica Parisiensis, *Antonii Santarelli* Jesuitæ librum, Romæ hoc titulo inscriptum: *Tractatus de hæresi, Schismate, apostasia, solicitatione summi Pontificis, & de potestate summi Pontificis in delictis his puniendis*, damnat. Qui ex decreto supremæ curiæ, carnificis manu combustus fuit; quod in illo, Pontifici potestas directiva & correctiva in Principes, asserta esset, apud *Gramond. l. 15. p. 675. seq.* Ubi P. Coton professus est, Jesuitas aliter Romæ, aliter Lutetiæ sentire; *quia cum cælo animus eorum mutaretur.* In Germania interim prævalidis Ligistarum armis, Protestantes premuntur, Tillium enim eorum ducem Jesuitis addictissimum fuisse, constabat.

§. 13.

Circa finem an. 1616. Pragenſes, *Oſſa S. Norberti*, qui ordinis monachorum Præmonſtratenſis autor habetur, ex conſenſu Magdeburgenſium, quorum olim Archiepiſcopus fuerat, Pragam magna cum pompa tranſtulere, teſte *Piaſecio Chron. f. 400. & Carolo Caraſa Comment. de Germ. Sacra Reſtaurat. p. 318. ſeq.* Unde cum poſtea urbs a Tillio expugnaretur & devaſtaretur, Pontificii cauſam in ablata tanti patroni oſſa, contulere. *Ferdinandus* autem *Secundus* hoc tempore, nova edicta in ſuis ditionibus ſevera, contra Evangelicos promulgare haut deſtitit. vid. *Decreta & diplomata ex Cancellaria aulic. Imperii* conjunctim edita, *p. 94. ſeqq.*

§. 14.

Urbanus VIII. Papa an. 1617. in Bulla Cœnæ Dominicæ promulgata, excommunicavit ac anathematizavit omnes hæreticos, & *qui illis faverent, auxilium aut conſilium ſuppeditando.* Quo, cum non obſcure Regem Galliæ peti intelligeretur, illius in Gallia publicatio interdicta fuit.

Nam

Nam Clerus Gallicus, Parisiis congregatus jam Regi scrupulum: *an armis etiam resistuendi, aut juriandi essent illi Principes, qui Sacra a Romanis diversa sectarentur?* exemerat, libro de eo in vulgus edito. Interea Ferdinandus II. novum adversus Protestantes in Bohemia edictum promulgat, quo omnes Religionem Romanensem amplecti jubentur. vid. *Caraffæ Germ. Sacr. Restaurat. p. 343. seq. & p. 385.* Sequenti anno, in Austria superiori, Nobilibus Protestantibus emigratio indicitur: ap. *eundem p. 391. & p. 403.* Per id tempus Londini in Anglia *Maneringus*, ecclesiastes pro concione dixerat: *Regem in omnium civium bona jus habere, ac omnia Regis esse, non solum quoad jurisdictionem, sed etiam quoad proprietatem.* Quo asserto, multorum civium animi valde commoti fuere. Sed Cantuariensis Archiepiscopus, illam concionem pronunciavit *temerariam.* vid. *Jonston. R. Britann. l. 22.* Dantisci etiam inter *Hartmannum Rathmannum* Ecclesiasten, & alios Theologos, an. 25. exorta est contentio, de virtute verbi divini in conversione hominis, quam *Hartknochius*

Hist. Eccl. Prussicæ l. 3. c. 8. describit. conf. *Rathmanni* ipsius *Quæstiones undecim* Dantisci an. 1623. publicatas, *& Constantini Schüzii*, Theol. Gedanensis præclare meriti, *Manes Rathmanni intempestive evocatos.*

§. 15.

Interea victricia per Germaniam Cæsaris arma, ut Protestantibus magnam sollicitudinem injecere, ita Jesuitis animos addiderunt, ut pacem Religionis Augustæ olim factam, publicis scriptis, iisque seditiosis oppugnare non amplius dubitarint; calumniantes, Lutheranos ab A. Confessionis doctrina jam defeciisse, ac adeo pace illi superstructa amplius gaudere non posse. Hac de causa Theologi Saxonici, jussu Electoris Sax. scriptum apologeticum sub titulo: Nothwendige Vertheidigung des Heil. Röm. Reichs Augapffels publicarunt. Quod Jesuitæ, inter quos dicacissimus, *Laurentius Forerus*, iterum satyricis atque maledicis libellis (wer hat das Kalb ins Aug geschlagen: Es müste wohl eine Kuh lachen: Andreæ Fabricii Brill auff den Ev. Augapffel ꝛc.) edditis infestarunt. Ideo tandem laudati

dati Theologi, ut tot calumnias simul diluerent, publica autoritate, librum apologeticum Haupt-Vertheidigung des Aug-Apffels/ in lucem emisere, quem lacessere denuo turbidi Jesuitæ non intermiserunt: Nichts ist gut für die Augen: Item, *Ex nihilo nihil fit.* Interea Capitulum Magdeburgense, Augustum, Electoris Sax. filium secundo genitum, Administratorem Archiepiscopatus postulavit quod Cæsari parum gratum erat. v. *Carafæ Germ. S. Restaurat. p. 394. seqq. & p. 402.*

§. 16.

In Gallia *Cardinalis Richelius*, cui summa rei Franciæ commissa erat, Hugonotorum propugnaculum, *Rupellam*, terra marique obsessam, sub finem mensis Octobris anno 1628. expugnavit. Qua capta, Hugonotorum vires in Gallia concidere, simul libertate religionis periclitante, aut succumbente. Historiam memorabilis hujus obsidionis & constantiæ Rupellensium *Gramondus Hist. l. 18.* prolixe describit. Pontifex R. Galliæ Regi hac de causa gratulatus, his verbis exorsus est: *Vox exaltationis & salutis in tabernaculis: videat*

peccator & iracatur, Synagoga Satanæ contabescat &c. Literas vero hasce Papæ sanguinarias, *Josephus Hallus*, Episcopus Exonienſis, publico libello perſtrinxit.

§. 17.

In Germania, cum inſequenti anno 29. *D. Georgius Zeamannus*, Campidunenſium Theologus Lutheranus, juſſu Cæſaris, captivus Ehrenbergam, ob defenſam publice religionem Lutheranam abductus eſſet; Cæſar proſpero rerum ſucceſſu nixus, ſtimulantibus ſimul Jeſuitis, *Edictum illud ferale* promulgavit, quo reſtitui poſtulavit, bona eccleſiaſtica poſt Pacificationem Paſſavienſem, a Proteſtantibus occupata, cum fructibus perceptis & percipiendis; ſimul declaravit, non eſſe Proteſtantibus juſtam querendi cauſam, ſi Lutherani Pontificiorum ditionibus expellantur; & quod pax religioni conceſſa ad eos ſolos pertineat, qui A. Confeſionem amplectantur. Quo ipſo Calvinianos excludi, in aprico erat. In recuſantes proſcriptio decreta, exſecutioni circa exceptionem confeſtim mandata fuit. Ac ut inſultatio eo foret manifeſtior, ab Auguſtana

ſtana urbe initium ſit, abs qua Proteſtantium Confeſſioni nomen inditum, cujus cives publico Lutheranæ religionis exercitio arcebantur. v. *Puſend. Hiſt. Rer. Suec. l. 1. §. 57. & Theatr. Europ. part. II. ad ann. 1629.* Edicto hoc publicato, patuit, quo hactenus Papæ, Cæſaris & Jeſuitarum, conſultorum peſſimorum, conſilia & deſtinata ſpectarint. conf. *Gramondi Hiſt. l. 4. p. 264. & l. 8. p. 385.*

Hiſt. Sec. XVII.

Sectio III.

§. 1.

IN hac *Sectione* res ab anno hujus ævi XXX. ad annum XLIIX. quo *Pax Oſnabrugenſis* concluſa fuit, continentur. Quo temporis intervallo, inter Lutheranos Theologi claruerunt, Matthias Hoë, Henricus Hœpfnerus, Joh. Gerhardus, Albertus Grauerus, Joh. Hulſemannus, Pol. Lyſerus, Jacobus Wellerus, Nic. Hunnius, Jo. Georg. Dorſcheus, Jo. Conradus Dannhauerus, Abrahamus Calovius, Georgius Calixtus, & alii, quo

quorum vitas supra laudatus *Hemmingus VVitte* descripsit.

§. 2.

Edicto Ferdinandi II. publicato, Elector Sax. de ejus iniquitate conquestus; per legatos illius abrogationem enixe apud Cæsarem flagitavit. Sed ille solitis verborum blandimentis, & an. 1630. designato Francofurti conventu, ubi de isto negotio ageretur, a fortioribus consiliis hunc avertere nitebatur. Quæ ludibria tamen inanis spei ipsum non moverunt, quo minus Protestantium Ordinum plerosque Lipsiam invitaret, ac cum ipsis, fœdere percusso, decerneret, vim opponere, si quæ vis sibi, ob edictum istud intentaretur. Quod ceu invalidum, adversus victorem exercitum Cæsaris & Ligistarum, Jesuitæ deridebant; jactantes fortunam suam esse quadratam. Et forsan spes eorum longe positæ non fefellissent, ni DEO procurante, ad partes Rex Suediæ Gustaphus Adolphus postea tempestive accessisset. vid. *Theatr. Europ. part. II. p. 292. seq. & Pufend. l. 1. §. 58.*

§. 3.

§. 3.

In conventu illo Lipsiensi simul convocatis Theologis, cum Lutheranis, tum Reformatis de controversiis, queis a se invicem dissident, colloquium (sed salvo aliorum consentiendi aut dissentiendi jure) habitum est: ne ob diversa sacra, jam hoste communi ingruente, qui omnium Protestantium jugulum peteret, causa communis segnius ageretur, aut discordia turbaretur. Summam illius colloquii *D. Kromayerus in Appendic. LL. Syncretist.* memorat.

§. 4.

Interea Pontifex Urbanus VIII. ope consilioque, vastissima Cæsaris destinata juvit, Bulla etiam edita, Sectam *Jesuitissarum*, quæ in Belgio & Italia radices agere cœperat, suppressit. vid. *D. Hornbeckii Exam. Bull. Innocentii X. Append.*

§. 5.

Annus, qui sequitur, trigesimus primus Protestantibus tristis illuxerat: cum Tillius Magdeburgum d. 10. Maji expugnasset atque dirisime excidisset, sed vicissim illos d. 7. Septembr. exhilaravit

victo-

victoria, quam divina ope, in prælio prope Lipsiam R. Sueciæ & Elector Sax. profligato Tillio, obtinuerunt. vid. *Puf. Hist. Rer. Suec. l. 3.* Libertas Protestantium cum Religione in acie posita tum erat; si aliter cecidisset alea, & adversariorum sicut ante, conatibus, tum quoque correspondisset successus, de utraque actum fuisset.

§. 6.

Et quanquam anno insequenti 32. Rex Sueciæ glorioſissimus, vindex libertatis & Religionis Protestantium incomparabilis, in prælio ad Luzenam occumberet victor; DEUS tamen spes Protestantium erexit iterum, atque Ligistarum vasta adversus Ecclesiam consilia porro turbavit. Per id tempus in Polonia, Nobiles pacem inter dissidentes de religione conciliare nitebantur; ita ut libertas conscientiæ omnibus esset permissa. Enimvero huic consilio clerus maxime, ne succederet, obstitit, vid. *Piasec. Chron. f. 442. seq. 445. 448.*

§. 7.

Anno 1633. inter Ordines seu Cantones

nes Helveticos, Catholicos puta & Tigurinos Evangelicos, dissensio exorta; quod hi Suecis favere arguerentur, cum Constantiam oppugnassent. Sed Catholicorum minas mox Tigurinorum constantia fregit. vid. *Pufend. Hist. Rer. Suec. l. 5. §. 76.*

§. 8.

In Hallia *Moses Amyraldus & Claudius Testardus*, Jo. Cameronis in Salmurienſi ad Ligerim academia professoris, discipuli, adversarios experti sunt Molinæum, Frideric. Spanheimium & Andream Rivetum; quod gratiam divinam universalem erga genus humanum asseruissent: hoc est Deum velle omnes homines salvos, si credant. Quam gratiam adversarii merito illusoriam dixere; accusantes Amyraldum, quod autor divinæ misericordiæ conspurcatæ & risui expositæ sit. Ille hos contra irreconciliabiles gratiæ Christi inimicos dixit. v. *Amyraldi libr. de Prædestinat. ejusque annexis materiis an. 1634.* Salmurii publicatum, *& Hulsem. Diatrib. de Auxil. Grat. p. 80. seqq.*

§. 9.

§. 9.

Interea temporis in Germania res Protestantium nutare videbantur; cum Sueci an. 34. prope Nordlingam, magna affecti clade essent, & Elector Sax. pacem cum Cæsare ineundam moliretur. v. *Pufend. Hist. l. 6.* Quæ insequenti anno etiam Pragæ coaluit. *Pufend. Hist. l. 7. §. 43. seqq. & Piasec. Chronic. f. 483. seqq.* Multi eam Protestantibus minus proficuam, aut etiam tutam fore, augurabantur. Ad Pontificios h. t. JCtus Marburgensis Helfricus Ulricus Hunnius, Ægidii Theologi filius, transierat; cujus argumenta, quæ *indissolubilia* vocaverat, *D. Himmelius*, Jenensis Theologus solvit.

§. 10.

In Scotia & Anglia, sacra ac humana miscebantur omnia. Etenim quum Rex, ut Episcoporum auctoritatem stabiliret & *Puritanismum aboleret*, pariaque utriusque factionis instituta, in re sacra efficeret; formulam sacrorum (*Liturgiam* vocabant) per *Guilielmum Laudum*, Cantuariensem Archiepiscopum, componi curasset, qua Presbyteria, classes & Synodi provinciales

les, quas Presbyteriani defendebant, abrogabantur: *Liturgia* autem ut servaretur, gravissimam in refractarios pœnam sanxit. Unde tumultus ubique per Scotiam a Presbyterianis an. 1637. concitabatur. v. *Pufend. Introd. ad Hist. c. 4. §. 26. & Cl. Ludovici Dilucidat. laudatæ introduct. pag. 782. seq.* Hinc postea Secta *Independentium* exorta, qui, nomine ex re accepto, nullis certi divini cultus formulis, aut præceptis adstringi, nec ab ullo seu ecclesiastico, seu civili imperio, hac in parte *dependere* voluerunt. vid. *D. Hornbeckii libr. de Independentism.* Hi deinde novis vocabulis *Conformistarum & Non-conformistarum*, *Separatistarum*, *Brownistarum* & alias distincti, novas in Anglia Sectas pepererunt. vid. *G. Hornii Hist. Eccl. Period. III. art. 2. §. 14. 37. seq.* Qui plus quam quadraginta Sectas ex hoc *Independentium* ceu Trojano equo, prosiliisse, §. 42. affirmat.

§. 11.

Lutheranis etiam in Germania, pacis Pragensis fructu nondum frui licuit; cum Sueci illa includi nollent, & vires recolligerent suas, atque fœdere cum Gallo firmiore

more percusso, arma in ipsos Protestantes, qui pacem istam amplexi erant, converterent, eaque postea victricia, per Germaniam, Bohemiam late circumferrent; donec pax Osnabrugensis concluderetur.

§. 12.

In Ecclesia autem Pontificia interea acris contentio enata fuit. Nam *Cornelius Jansenius*, Lovanienſis primum professor, post Yprensis in Belgio Episcopus, de *Gratia divina & Libero arbitrio*, ex Augustino aliter, quam Jesuitæ, docere cœperat. Et cum illo anno 1638. mortuo, liber ejus, *Augustinus* inscriptus, prodiisset, *quinque* in eo *propositiones* Jesuitæ oppugnarunt, quas Urbanus VIII. Innocentius X. & tandem etiam Alexander VII. Pontifices damnarunt. Examen illarum *D. Jo. Andr. Osiand. in Specimine Jansenismi* instituit. Historiam *Leydeckerus libri VI.* descripsit. conf. *Pauli Irenaei causam Jansenianam* sive *fictitiam hæresin Coloniæ* an. 1682. editam. Causam tamen Jansenii Lovanienses, & quidam Sorbonici, inprimis Arnaldus, in Gallia Theologi, ad nostra usque tempora defenderunt. conf. *Heideg. Hist. Papat. Period.* 7.

Per. 7. §. 245. seq. & G. Horn. H. E. Per. III, art. 2. n. 68.

§. 13.

In Germania, inter Protestantes hac tempestate lites enatæ sunt; cum Pastor Hannoveranus *M. Statius Buscherus* an. 1638. in *D. Georgii Calixti* Theologi Helmstadiensis, *Epitome Theologiæ Moralis, Digressione de arte nova, Proœmio in Vincentium Lirinensem, & D. Horneji* disputationibus, errores se invenisse, significasset, eosque hac de causa Crypto-Papismi postulasset, Helmstadienses vero Theologi an. 1641. scriptum apologeticum, isti opposuere. His accesit controversia de *necessitate bonorum operum ad salutem æternam, de mysterio SS. Trinitatis*; an illud in V. T. æque, ac in Novo perspicue esset propositum? &alia. Unde dissensio inter Helmstadienses, & Saxonicos Theologos exorta, multas in Ecclesia turbas excitavit. confer D. *Hülsem. Calixt.* Gewissens-Wurm/ & *D. Calovii Hist. Sync. l. III. c. 4. Christophori* Besoldi, historici & JCti Tubingensis apostatæ facti, *Motivas*, quas vocavit, apostasiæ *D. Tobias Wagnerus, & Dannhauerus Theolog. consc. part. 2. sect. 2. dialog. 3.* confutarunt. §. 14.

§. 14.

In Hibernia, instinctu Papæ & Monachorum, an. 1641. d. 23. Oct. horribilis laniena Protestantium contigit. Nam paucorum mensium intervallo, plusquam ducenta hominum millia vel trucidata, vel immani cruciatuum genere extincta sunt. Historiam hujus lanienæ *Heidegg. Hist. Papat. Per. 7. §. 251.* refert atque describit; Item *Hist. Eccl. Per. III. art. 2. n. 61.*

§. 15.

Romæ autem, mortuo Urbano IIX. Papa, de novo Pontifice creando, an. 1644. miris studiis, inter factionem Hispanicam, Gallicanam atque Romanam certatum fuit, donec præter opinionem, Pamphilius, gente Romanus, Olympiæ astutæ fœminæ artibus, Papa proclamaretur. Quem assumto *Innocentii X.* nomine, Cardinalis Medicæus coronatum, ita affatus est: *Scias, te esse Patrem Principum & Regem, Rectorem orbis.* v. *Laurent. Banck. Rom. Triumph. c. 9. p. 116. & Conring. Conclav. Alexandri VII. p. 55.* Novus ille Pontifex in gratiam Jesuitarum, novam adversus *Jansenistas* Bullam publicavit, perpetuum illis silen-

silentium imperando. At ipsi, quod Jesuitarum dolo extorta esset, Bullæ parere recusarunt.

§. 16.

Dum Helmstadienses controversiæ augescunt, an. 1645. novam *Jacobus Fabricius*, Superintendens Stetinensis, litigio ansam præbuit, publicando librum de *Visionibus divinis*, quas ille defendit. Hunc Theologi Wittebergenses sub censuram revocarunt, improbantes Fabricii de novis visionibus & prophetis sententiam. vid. *Consil. Theolog. Witteb. f. 804. seqq.* Per id tempus Woldemarus Christianus R. Daniæ filius, M. Ducis Moscoviæ filiam in matrimonium ambiens, a patriarcha Russorum Josepho, ad Græcam sive Russicam religionem amplectendam invitabatur. Unde de Lutheranæ & Græcæ religionis differentia, disputatum fuit. v. *Hornii H. E. Period. III. art. 2. num. 61.*

§. 17.

Uladislaus IV. Rex Poloniæ, princeps pacis ecclesiasticæ amans, anno jam dicto Thorunii *Colloquium charitativum* (ut

vocat) Lutheranos, Reformatos inter & Pontificios instituit, tentaturus tolerantiam ecclesiasticam sancire. Præcipui partium collocutores fuere, D. Joh. Hulsemannus, Lutheranus, D. Joh. Bergius, Reformatus, & Matthias Lubienski archiepiscopus Gnesnensis, v. *D. Hülsem. Relat. dicti Colloqu.* & *D. Calovii*, qui illi quoque interfuerat, *Hist. Syncret. l. 3. c. 3.* confer *Pufend. Hist. Brandenb. l. 2. §. 31.*

§. 18.

Adrianus & Petrus de Walenburch, fratres, Batavi, an. 1645. tractatum, sub titulo, *Methodi Augustiniana* evulgarunt, quo methodum *Francisci Veronii*, *Regis Galliæ concionatoris pro controversiis*, novam incrustarunt, qua in disputatione cum adversariis utendum sit. Is enim in frontispicio *duorum tomorum*, hanc inscriptionem Thrasonicam habet: *Methodus nova, facilis & solida hæreses ex fundamento destruendi & refutandi confessionem Gallicam, Augustanam, Saxonicam &c. libros denique & conciones omnes Theologorum Protestantium, Calvini, Bezæ, Chemnitii &c.* Hujus methodi *duæ* sunt *postulata* stolidissima; *unum*,

unum, ut Protestantes talia argumenta ἀναστευαστικὰ proferant, quorum majores propositiones in S. Scriptura verbotim extent: *alterum* consistit in rejectione talium dogmatum & argumentorum, quæ κατὰ λέξιν, & verbotim ibi non continentur & exprimuntur: ut Purgatorium non datur &c. v. *Veronii tom. 1. c. 6. §. 1. p. 120. seqq.* Hanc, inquam, methodum Walenburchii recoxerunt. Verum illam *D. G. Calixtus in Digressione de arte nova*, adversus apostatam Bartholdum Nihusium, confutavit. Quia per illam legitimus consequentiarum usus in disputatione cum hæreticis proscribitur, quem *Nicol. Vedelius Rational. Theolog. c. 3. & seqq.* nec non *D. Dannhauerus Dialect. Sacr. Sect. 2. artic. 4. & 5.* & alii defenderunt.

§. 19.

Novum, seu venenatum, pomum Eridos hoc tempore, in Ecclesiam projecit, *Isaacus Peyrerius*, Gallus, quum librum de *Præ-Adamitis*, sive hominibus ante Adamum existentibus, publicasset. Quem *Dannhauerus*, *Micrelius*, *Orsinus*, Hil-

pertus & *Maresius* confutarunt. Autor postea Bruxellis captus, inque carcerem detrusus, missa Calvini secta, errorem ejuravit, ac in castra Pontificiorum transiit; prætexens, se illud problema ingenii exercendi vel ostentandi causa, in medium attulisse. Incidit enim hic controversia circa *æqualem Petri & Pauli primatum*, autore Anton. Arnaldo, in Gallia excitata, quam *noster Ittigius Dissert. Sel. IV.* evolvit.

§. 20.

In Belgio fœderato controversia de *Sabbato* fervere cœpit. Quod aliqui cum Gomaro, non statim post creationem mundi, sed post exitum Israelitarum ex Ægypto, institutum fuisse asserebant: ideoque pro ceremoniali præcepto habuere. Contra, Walæus, Andr. Rivetus & Amesius hanc sententiam oppugnarunt atque rejecerunt. v. *D. Danh. Colleg. Decal. ad Præcept. III.* Illam tamen sententiam resuscitavit ac defendit non ita pridem in Anglia, *Joh. Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. l. 1. c. 4. Sect. 7. seqq.* Anno 1647. *Gothofr. Hotton*, de Christiana inter Europæos

pæos Evangelicos Concordia; sive Tolerantia in charitate stabilienda tractatum, Amstelodami publicavit, quem aliqui Syncretisticum interpretati sunt.

§. 21.

In Germania interea bellis fessa, & latrociniis exhausta, post multas Osnabrugæ & Monasterii, de rebus etiam sacris, disceptationes & Catholicorum tergiversationes, tandem a. 1648. *Pax Osnabrugensis* coaluit. Qua Protestantibus Religionis libertas denuo asserta atque confirmata fuit. v. *Artic. V. Instrum. Pac. Pufendorf. Hist. Rer. Suecic. l. 18. 19. 20. & Pfanneri doctissimi Hist. dictæ Pacis.* Adversus hanc Fabius Chisius, nuntius Pontificis protestari ausus est; quod illa religioni Catholicæ & Sedi Romanæ præjudicium adferret maximum.

Hist. Sec. XVII.

Sect. IV.

Histor. a Pace Osnabrug. ad an. 1680.

§. 1.

PAce igitur illa optata vix concluſa,

Innocentius X. Papa, Bulla insolenti edita, eandem reddere, irritam molitus est. Quam, quod mirandum est, ipse Cæsar Ferdinandus III. permisit, per nuntium Pontificis, Viennæ valvis templorum publicis affigi. Sed hanc *Conringius*, sub nomine *Irenæi Eubuli*, *Theologi Austriaci*, *pro pace perpetua Protestantibus danda consultatione Catholica* edita, *David Blondellus* ficto *Amandi Flaviani* nomine, & *Jo. Hornbeckius in Examine Bullæ* nominatæ, perstrinxerunt & confutarunt. Antequam pax illa confecta esset, Monasterii *Judicium Theologicum* personati cujusdam *Ernesti de Eusebiis* prodierat; quo autor ille contendebat, Pacem, qualem Protestantes desiderarent, *secundum se illicitam* esse. Sed temerarium illud ac improbum judicium, ex Pontificiis, *Abbas Caramuel*, ex Lutheranis *D. Joh. Georgius Dorscheus*, Argentoratensis Theologus, & laudatus modo *Conringius* confutarunt. Ita plumbea isthæc Bulla nullius pretii eviluit, cum pax dicta confirmata mox executioni mandaretur.

§. 21

§. 2.

Quum autem in Instrumento Pacis Westphalicæ, *artic. VII. Reformati* eadem cum Lutheranis pace ecclesiastica, inposterum frui deberent, atque *artic. V. n. 50.* prohibitum foret, illam publice, privatimve, concionando, docendo, disputando, scribendo vel consulendo impugnare; quidam Theologi, Reformatæ doctrinæ *tolerantiam ecclesiasticam* (nam de civili dubium non amplius erat) suaserunt. Et inter hos præcipuus fuit *D. Georgius Calixtus.* vid. *D. Calovii Histor. Syncretismi l. 3. c. 4.* Enimvero ista hæc sententia sub *Syncretismi* nomine, a Theologis Saxonicis, imprimis Hulsemanno & Calovio, nec non Argentoratensibus, Dorscheo & Dannhauero variis scriptis impugnata & confutata fuit. *D. Dreierus*, Professor Regiomontanus, postea latius progressus, quicquid est Christianorum in orbe, Symbolum Apostolicum profitentium, in unionem ecclesiasticam recipere voluit. vid. *Calovii Histor. Sync. l. 3. c. 7.* Memorabilem de hoc conciliandi studio sententiam

glorioſiſſimi Regis Sueciæ, Guſtavi Adolphi, *D. Ericus Benzelius Breviar. Hiſt. Eccl. p. 386.* annotavit. Cum enim illi ſuaderetur, ut trium religionum magnarum in Europa conciliationem promoveret: *Vereor*, inquit, *ne dum tres illas componere laboramus, novem aliæ exſurgant.* confer *Hartknoch, Hiſt. Eccl. Pruſſ. l. 2. c. 10.*

§. 3.

Jodocus Keddus, Jeſuita publicato libello, Eccleſiæ Lutheranæ veritatem in dubium vocaverat. Cujus Sophiſticationes *Joh. Muſæus*, Theologus Jenenſis an. 1654. confutavit. Tribus annis ante *Valerianus Magnus Capucinus*, Erneſto Landgravio Haſſiæ perſuaſerat, ut ſacra Pontificia amplecteretur & profiteretur. Ideo Reinfelſæ inter illum, an. 1651. & D. Petr. Haberkornium, Balth. Menzerum & Mich. Georg. Eberhardum Happelium, colloquium habitum; Cujus acta Coloniæ a. 1652. excuſa ſunt. v. *D. Haberkornii veram & candidam Actionum illarum Rheinfelſenſium Relationem* Giſſæ impreſſam. confer etiam *D. G. Calixti Literas & Reſpon-*

sponsum ad Erneſtum Landgravium, Helmſtadii editum.

§. 4.

Innocentio autem X. Papa vivis erepto, a. 55. Fabius Chiſius Senenſis, aſſumto *Alexandri VII.* nomine ſucceſſit. Qui anteceſſoris ſui Bullam adverſus Janſeniſtas confirmavit, & in Waldenſes perſecutionem crudeliſſimam excitavit. v. *Heideggeri Hiſt. Papat. Period. VII. p. 264. ſeqq.* Bulla etiam edita, ſub prætextu pacis Catholicorum Principum ſanciendæ, eosdem adverſus Proteſtantes, inprimis Sueciæ Regem, qui Poloniæ bellum intulerat, accendit. Interea *Chriſtina*, Sueciæ Regina, abdicato regno, & deſerta religione Evangelica, pro qua aſſerenda, Pater ejus glorioſiſſimus ſanguinem fuderat ſuum, Romam venit, atque aſſumto nomine *Chriſtinæ Mariæ Alexandræ*, in ſinum Eccleſiæ Romanæ recepta, neſcio, quam vaniſſimam eo ipſo gloriam affectavit, cum ante idolum Mariæ Lauretanæ in itinere venerata eſſet, eique coronam hoc inſcriptam carmine dedicaſſet:

Hanc tibi sacravit spretam Regina coronam,
In cœlo tribuas ut meliore frui.

Cæterum juraverat ille Pontifex, *quod Nepotes & proximos suos sanguine Romæ excipere nunquam velit*; at ex consilio Cardinalis Pallavicini, cum eosdem extra Romam exciperet atque postea ditaret; juramentum non violatum esse, interpretabatur. v. *Heidegg. Hist. Papat. p. 432.* Interea temporis, dum Reformati cum Lutheranis concordiam ecclesiasticam, variis libellis editis ambiunt, *D. Dannhauerus* a. 1658. eorum argumenta, libro, cui titulus, Reformirtes Salve, und Friedens-Gruß auff die Prob gestellt/ evulgato examinavit.

§. 5.

Per id tempus, in Anglia secta, vel colluvies *Quackerorum* seu *Trementium* vel *Tremulorum* inrotuit, qui seipsos vocarunt *Christianos*, *Evangelicos*, *Apostolicos*, *Catholicos*. Autor ejus præcipuus fuit *Georgius Foxus*, homo rudis. Historiam, quæ prolixa est, nuper *Gerardus Crœsius* præ-

præco in pago Alblas prope Dordracum in *Historia Quackeriana*, tribus libris descripsit. In quam *Dilucidationes* quidam *Philaletha* edidit. Illi Sectæ addictus *Jacobus Naylor*, cui Bristollium ingredienti socii assumti acclamarunt: *Hosianna filio Davidis: benedictus*, qui venit *in nomine Domini*; item, *Sanctus Jehova exercituum*. vid. *Cræsi l. 1. p. 159. seqq.* Sectam hanc insanientem Cromwellus fovit; placita vero ejus *Georgius Keithus* & *Robertus Barclajus*, scriptis publicis defenderunt. Quæ ex nostris Theologis, *D. Jo. Guil. Bajerus* inprimis, non ita pridem erudite confutavit.

§. 6.

Dum in Anglia Quackerorum secta delirat, Alexander VII. Papa *Missale Romanum*, Gallico idiomate editum improbat atque perstringit; quod in regno Galliæ *perditionis quidam filii Sacro-Sancti ritus majestatem Latinis vocibus comprehensam dejicere & proterere, ac sacrorum mysteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentassent.* Eodem a. 1665. Jesuitæ in Collegio Claromontano *Papæ*

infallibilitatem non in *quæstionibus juris* tantum; sed *facti* etiam defendere ausi sunt. Quam hæresin Sorboniſtæ & curia Parisiensis reprobarunt, eoque parvam apud Pontificem gratiam inierunt. vid. *Heideggeri Histor. Pap. Period. VII. p. 279. seq.* Eo tempore Alexander P. in gratiam Gallorum, Franciscum de Sales, episcopum Gebonnensem, in numerum divorum relaturus, Lutetia legatum ad se mitti postulavit. Missus ergo a Rege Dux Crequius, qui cum a Corsis, seu milite Pontificis prætoriano, ignominiose esset lacessitus; injuriam Rex armis vindicare illatam legato, statim paravit. Sed intercedente duce Florentino, biennio post, non sine sua ignominia Pontifex deprecando culpam, illi reconciliatus fuit. Interea is Bulla edita, certam formulam præscripsit, cui ecclesiastici omnes subscribentes, posthac ad ejurandos Jansenistarum errores semet obstrinxere. Publicavit etiam indicem librorum prohibitorum, in quo nec Bullis quibusdam Pontificis, nec celeberrimis scriptoribus Romanensibus pepercit.

vid.

vid. *Heiddeg. Hist. cit. p. 454.* Per id tempus *Jacobus Masenius*, Jesuita, *Meditatam Concordiam* edidit, qua Protestantibus insidiose fidem Romanam persuadere sategit, cujus fundamenta *Jo. Musæus* subruit. Inde *Novam Praxin, orthodoxam fidem discernendi & amplectendi* publicavit, quam *D. Sam. Benedict. Carpzovius* sub examen revocavit atque refutavit. v. ejusdem *Examen Nov.* dictæ *Prax.* Wittebergæ a. 1675. evulgatum.

§. 7.

In Germania adhuc disfidio de *Syncretismo* fervente, Cassellis Landgravius Hasiæ, an. 1661. mense Julio Rintelenses Theologos, D. Joh. Henichium, Petrum Musæum, ad colloquium cum D. Sebast. Curtio, Jo. Heinio Reformatis, de concordia inter partes dissidentes inenda convocavit. Quæ cum inita fuisset, *Relatio de ista & Wittebergensium Theologorum Judicium* prodierunt vid. *D. Calovii Hist. Syncret. l. 3. c. 6. pag. 609. seqq. Jo. Duræus* Britannus, hoc anno *Prodromum Irenicorum* evulgavit, quo inter Protestantes concordiam promovere molitus

est. Enimvero Dannhauerus & D. Bebelius ejusdem concilia rejecere; cum ante Hulsemannus etiam viri hypotheses confutasset, v. *Georg. Richteri Epist. Select. p. 495.* & *Kempii Biblioth. Angl. Theolog. pag. 429.* & confer *Hülsem. Calvinism. Irreconc.* Interea temporis in Marchia Brandenburgica, & Regiomonti in Borussia autore Dreiero, & Helmstadii, incentore Fr. Ulrico Calixto, Georgii filio, controversiæ Syncretisticæ, ut vocantur, gliscebant. Dux autem Neoburgicus Protestantes per ditionem Juliacensem crebris injuriis vexabat. Unde Elector Brandenburgicus Capucinos Clivis excedere, talionis invicem jure jussit, non prius recipiendos, quam Evangelicorum querelis per Neoburgici ditionem medicina allata foret. v. *Pufendorfii Hist. Rerum Brandeb. l. 9. §. 71.* In Borussia *Christophorus Sandius*, Secretarius, Arianismi hæresin spargere cœperat. Cujus filius ὀμώνυμος deinde apud Batavos, edito, ut vocat, *Nucleo Hist. Ecclesiastica*, idem doctrinæ virus disseminavit. vid. *Biblioth. Anti-Trinitariorum*, & *Hartknochii*

chii Hist. Eccl. Boruss. l. 2. c. 11. Sueci etiam circa sacra Reformatorum an. 1663. Electorem Brandenburgicum monuerant. Quæ autem Elector ad ea respondit, apud *Pufend. l. 9. Hist. Brandenburg.* §. 67. legere est.

§. 8.

In Anglia Eduardus, Baro Herbert de Cherbury, librum *de Religione Gentilium earumque apud eos causis*, composuerat, qui Amstelædami an. 1668. excusus fuit. In eo *c. 15. & 16.* Religionem naturalem, homini posse salutarem esse, affirmat. Cujus improbam sententiam plures amplexi, *Naturalistæ* appellantur. Sed istam *D. Joh. Musæus*, Jenæ publicata dissertatione confutavit. Hic duos blasphemos atheos, quos impostores merito vocat, *Thomam Hobbesium & Benedictum Spinosam* D. Kortholdus jungit in libro de *Tribus impostoribus Magnis* anno 1680. Kiloni evulgato. Uterque enim horum divinæ Scripturæ autoritatem ac Christianæ Religionis fundamenta subruere molitus est. *Spanhemius*, illos cum adsectatoribus suis, *Antiscripturariis* accen-

sct.

set. confer *Kortholdi Hist. Eccl. Sec. XVII. p. 906. seqq.*

§. 9.

In Gallia Sorbonistæ in Jacobi Vernantis propositiones, ceu Pontificiæ potestati nimium velificantes, calamum stringebant. Erat inter illas, *quod Papa sit vera fidei regula*; item, quod *Ecclesiæ Romanæ Oracula terminent infallibiliter omnes controversias, quæ oriuntur in Ecclesia &c.* v. *Heidegg. Hist. Pap. p. 445.* Anno insequenti 1665. Jesuitarum *Theologiam Moralem* & monstrosum de *Probabilismo* dogma, in Censuram Sorbona vocavit. Nam Amadeus Guimenius, Lomarensis illa nova doctrinæ pestilentissimæ scita, qua omnia scelera excusari possunt, defendere publice ausus erat. v. *Heidegg. Hist. cit. p. 446. seqq.* & *Montaltii Literas Provincial. cum Rachelii Exam. Probabil.* Helmstadii an. 1664. editas.

§. 10.

Judæos an. 1666. novus impostor, Sabatai *Sevi* dictus, qui pro Messia sese venditavit, in Oriente decepit. Sed cum ali-

aliquamdiu illis, ad ipsum ex Asia confluentibus illusisset, Turcæque sibi a rebellione futura metuerent, quod iste terram sanctam repoſceret, in custodiam datus, metu supplicii religione ejurata Mohammedanam superstitionem amplexus est. vid. *tom. 3. d'histoire des trois derniers Empereurs des Turcs par Ranaut p. 169. seqq.*

§. 11.

Circa id tempus, in ecclesia Romana inter Pontificios doctores, Pallavicinum, Suavem Polanum & Julium Clementem Scotum, nova lis orta est; *an Ecclesia Romana post Tridentinum Concilium, in pejus deflexerit, nec ne?* Affirmaverat id Julius Clemens Italus, negavit Pallavicinus, ille Historiæ Concil. Trid. corruptæ autor. v. *Heideg. Hist. p. 456. seqq.* Disputatum etiam fuit inter Jesuitas & Jansenistas: *an illa attritio, quæ concipitur ex metu Gehennæ, excludens voluntatem peccandi, cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in sacramento pœnitentiæ, requirat insuper actum dilectionis DEI?* v. *Heidegger. Hist. p. 472. seqq.*

§. 12.

§. 12.

In Belgio fœderato *Renatus des Cartes*, autor novæ philosophiæ, quæ ab illo *Cartesiana* appellatur, ansam controversiis theologicis præbuit. Nam etsi ipse Theologiam non attigisset, quia tamen hypotheses fovit, quæ Christianæ religioni adversari videbantur; ut dubitandum esse de omnibus rebus, etiam de existentia DEI, antequam quid certi statuatur; de ideis innatis; de sensu brutis negato; de motu terræ, & solis immobilitate; item Scripturam S. sæpe de rebus naturalibus, secundum opinionem vulgi, vel apparentiam loqui, & quæ similia ejus placita fuerunt; Theologi quidam ejus philosophiam Christianæ religioni noxiam pronunciarunt: alii vero defenderunt. Unde *Cartheſianismus* Sectæ nomen factum est. Accessit postea *D. Joh. Cocceji*, Theologi Leidensis, doctrina multis improbata. Nam ille novas in divinis scripturis interpretandis hypotheses assumserat, totumque V. Testamentum & Ecclesiam Judaicam esse speculum & typum, in quo prophetia exhibea-

beatur faciei Ecclesiæ in N. T. In V. Testamento fuisse tempus sitis; in Novo esse tempus satietatis docens. Inde statum in V. & N. Testam. juxta delineationem propheticam, in certas periodos distinxit. v. nostri Doctoris *Val. Alberti Dissert. Inaugural. de Cartesianismo & Coccejanismo*, *Spanhemii Epist. ad amicos, de novissimis in Belgio circa res sacras dissidiis an. 1677.* publicatam & *Antonii Hülsii Theologiam Hypothetic.* In Academia tamen Leidensi, anno 1675. ejus curatores, propositiones XX. Cartesianas tradere, prohibuerunt. At illas *D. Abrahamus Heidanus in consideratione adres quasdam nuper gestas in Academia Lugduno-Batava*, & *D. Christophorus Wittichius* in publicata *Theologia pacifica* defenderunt. Non dissimile litigium de Cartesiana doctrina in Upsaliensi Academia postea inter Theologos & Philosophos ortum, autoritate Regis Sueciæ mox compositum fuit. *Coccejanis*, qui vocantur, sese plures opposuere; inprimis, quod minorem fidei gradum fidelibus V. Testamenti, quam in Novo tribuerent;

rent; cum Coccejus etiam diversum Justificationis modum in V. & N. Testamento tradidisset.

§. 13.

In Orientali Ecclesia 1672. mense Martio, Hierosolymis Patriarcha Dositheus Synodum celebravit: Quæ *Orthodoxam Confessionem Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis, a doctissimo Laurentio Normanno*, Professore Regio Upsaliensi, amico meo honoratissimo, Latine redditam, & hic Lipsiæ impressam amplexa est. v. *Præfat. Confessionis, laudati Normanni*, & nostri *Thomæ Ittigii Dissert. V. Heptad. Dissert. Select. p. 412. seqq.*

§. 14.

Johannes de Labadie, Gallus, ex Jesuita Ecclesiastes Reformatus factus, primum Genevæ docuit, deinde anno circiter 1672. ad Batavos transiens, Reformatam doctrinam quidem professus est; sed ob vitam morumque Christianorum corruptelam, a communione Reformatorum secessionem fecit, collectoque cœtu ex fœminis magis, quam viris constante, sa-

cra

cra sua seorsim primo in Belgio, deinde Herfordiæ, ac tandem Altonæ celebrare cœpit. Hunc Schismaticum, *Anna Maria Schurmannia*, virgo illa ob eruditionem celeberrima, *Petrus Yvon*, *Petrus du Lignon*, & *Henricus & Petrus Slüterus* aliique sequebantur. v. *Nisanii Mataologiam Labadianam*.

§. 15.

Hoc tempore, controversia de *polygamia* simultanea, per *Theophilum Alethæum*, (sub quo nomine quendam *Lyserum* latuisse creditur) resuscitata fuit. Quam præter alios, *D. Jo. Musæus in Dissertat. Theolog.* de hoc argumento anno 1645. Jenæ publicata confutavit. confer *Theses* ejusdem *Theologic. de Conjugio*. Vitus Erbermannus, Professor Herbipolensis, per id tempus, laudatum Musæum, ad disputationem de *Vera & Falsa Ecclesia* provocaverat, quem ille in *tractatu de Ecclesia* accurate confutavit. Et cum *Augustinus Gibbon de Burgo in tract. de Luthero-Calvinismo Schismatico quidem; sed reconciliabili*, Schismatis culpam frivole in Protestantes contulisset, Musæus etiam hujus

jus nænias, laudato jam tractatu, simul excusit.

§. 16.

In Hungaria *Georgius Barzon*, Episcopus Varadinensis titularis, an. 1671. liberum religionis exercitium, a Regibus Hungariæ, Evangelicis in isthoc regno, certis pactis concessum, libro evulgato, impugnare primum cœpit. Inde Evangelici a Jesuitis in suspicionem perduellionis, cujus Catholici comites Franciscus Nadasti, Petrus Serini, & Franciscus Christophorus Frangipani, rei fuerant, pertracti, horum culpam simul luere innocentes necessum habuere. Nam libertas sacrorum ipsis erepta, sacerdotes, magistri scholarum in exilium ejecti, nonnulli in carceribus diris modis habiti, animam exhalarunt, nonnulli etiam ad triremes damnati. Persecutionis hujus diritatem *Heideggerus Hist. Per. VII. §. 302. seqq.* describit.

§. 17.

In Belgio a. 1673. prodierunt *Monita salutaria B. V. Mariæ ad cultores suos indiscretos*, adprobatione censoris ordinarii J. Gil-

J. Gillemanni, ecclesiæ Cathedral. Gandavensis Archipresbyteri, & postea P. de Walenburch Episcopi Mysiensis munita. In his S. Maria multos Mariolatriæ modos improbat. Verum aliquibus animadvertentibus, id in rem suam versuros esse Protestantes, mox in herba velut ista monita suppressa sunt. Interea an. 1676. Clemens X. Papa vivere desierat. Cujus in locum Benedictus Odeschalci, nomine *Innocentii XI.* assumtò, surrogatus fuit. Qui honestioris disciplinæ amans, multos in curia Romana abusus abrogavit: & cum Cameram Apostolicam pecuniis exhaustam deprehendissent, ad familiares suos dixisse fertur; *nunquam se credidisse, S. Petri vineam tantopere devastatam esse.*

§. 18.

Per id tempus a Christophoro Sandio, & quodam anonymo scriptore resuscitatus etiam fuerat vetus Origenistarum de *Præexistentia Animarum humanarum* error, quem *Jac. Thomasius*, peculiari oratione edita, & *D. Balth. Bebelius* an. 1675. Exercitatione theologica publicata, confutarunt.

§. 19.

§. 19.

In Gallia inter Reformatos de conversionis gratia dissensus, autore *Claudio Pajono*, Aurelianensium Ecclesiaste (unde *Pajonismi* nomen) exortus, ipsos collisit. Nam Pajonus arbitratus est, Spiritum S. quicquid ageret in cordibus hominum, id agere mediante lumine & vi rationis, per morales suasiones, quarum efficacia a ratiociniis humanæ mentis dependeret. Interea sufficere, concupiscentias imminui, affectus sedari, deponi præjudicia, depellique ab intellectus oculo quasdam nebulas, quas male judicandi & cogitandi consuetudo obduxerat; concurrente tamen DEO, ut causa prima est, & quidem juxta generale decretum, an particulare, de ciendis creaturis; juxta ordinem semel in universo positum, ac pro conditione earundem in iis, quibus innectantur, circumstantiis. Ita Pajonismum *Melchior Leydecherus in Præfat. Veritatis Evangelicæ Triumphantis num. 29.* describit, inque eo Pelagianismum latere arguit. confer *D. Jurii Tractat. de Natur. & Gratia p. 26. 27. 243.*

243. Sed *Spanhemius in Elencho Selectior. de Religion. Controverſ. p. 285. ſeqq.* de Pajoniſmo, quem evolvit, mitius ſentit.

§. 20.

Rochas, Epiſcopus Hiſpanicus de Saxonicorum Theologorum contumelioſis dictis in Catholicos, multa in aula Brandenburgica an. 1676. conqueſtus eſt, inprimis quod illorum non nemo, ſcripto nuper edito tradidiſſet: *inter rudimenta doctrinæ Catholicæ extare, ſcortationem non eſſe peccatum.* Quæ cum nonniſi animis irritandis eorum, qui in una republ. vivunt, inſerviant, expedire, ut iſta fingendi licentia cohibeatur, monuit. Unde & formulam obtulit, juxta quam abolitis litigiorum inutilibus, concordia circa ſacra, in Germania ſtabiliri poſſit. Sed Electori Brandenburgico haut placebat, cum iſto in diſceptationem deſcendere, qui tantæ rei parum idoneus autor videbatur, & cujus inſtitutum, eo tantum tendebat, ut aſtutiam iſtorum hominum haut capientibus illuderet; cum Proteſtantibus ſumma rerum non poſſit non labaſcere, ſi cum Pon-

tifice tractatus suscipi posse credant; qui utique irriti sint cum eo, cujus rationes adversa fronte cum nostris pugnent, judicante *Pufendorffio Rer. Brandenb. Hist. l. 14. §. 20.*

§. 21.

In Belgio fœderato *Johannes Rothius*, Amstelædamensis, fanatico spiritu abreptus, quintam Monarchiam anno 1674. a Christo in terris inchoandam somniavit. Hujus placita *Quirinus Kuhlmannus*, Vratislaviensis amplexus, non tantum *Jacobi Bœhmii* doctrinam, libro evulgato (der neubegeisterte Böhme) incrustavit; sed &, ut quintum illud Regnum universale, a Rothio prædictum, Turcis & Russis innotesceret, Constantinopolin & postea Moscoviam profectus est: ubi assumtis sociis velut Apostolis, cum de hac nova Monarchia prædicare instituisset, suasu Patriarchæ Moscovici, primum carcere, postea vero cavea ferrea inclusus anno 1690. ibi combustus fuit.

PE-

PERIODI V.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
Sect. V. & Ultima,
quæ est ab anno 1680. ad seq.

§. 1.

In hujus Sectionis primordia, tristia inprimis Protestantium fata in Gallia & Anglia incidunt, paucis his attingenda.

§. 2.

Nimirum diu est, quod Lojolitarum cohors in παναλεθρίαν Reformatæ seu Hugonoticæ doctrinæ in Gallia diffusæ conjuraverat brachium, ut vocant, seculare, quo dirissima destinata exsequi posset, hactenus tantum defuerat. Id vero Rex Ludovic. XIV. qui a Jesuita P. Chaisio (quod sacra quidem attinet) regitur, inauditæ crudelitatis modo stimulante Archiepiscopo Parisiensi præstitit. Antequam vero istam in conscientias Hugonotorum tyrannidem exsereret, contentio illi gravis cum Pontifice R. Innocentio XI. de *Jure Regaliæ* intercesit; quod vi illius, Rex ipse vacantibus Episcopatibus, ad investituram usque novo-

rum Episcoporum, reditus episcopales & collationem præbendarum sibi vindicaret. Jus hoc regium, *Petrus de Marca*, Archiepiscopus Parisiensis in libro de *Concordia Sacerdotii & Imperii*, & alii in gratiam Regis defenderant. Pondus vero huic defensioni maximum Clerus Gallicanus anno 1681. Parisiis congregatus addidit, quando unanimi consensu id Juris Regi tam præclare scilicet, de Ecclesia Romana merito, competere declaravit, literisque ad Pontificem d. 3. Februar. an. 1682. exaratis publice significavit. Ad quas Pontifex acerbe respondit, conquestus ante omnia, *cogi se multis cum lachrymis usurpare Propheticum illud: Filii matris meæ pugnarunt adversus me.* At congregatio Cleri magis adhuc ægre facere Pontifici ausa est anno insequenti; cum unanimi iterum consensu Pontificis R. imperium in Reges prætensum aboleret; in spiritualibus vero ejusdem potestatem per *quatuor publicatas definitiones* coarctaret. Quarum PRIMA est: *Quod Papa, imo Ecclesia ipsa in Regum temporaria, nec directe, nec indirecte, potesta-*

tem

tem ullam habeat: quodque Rex deponi, vel subditi ejus a juramento fidelitatis, quamcunque demum ob causam, absolvi nequeant. Secunda: *Quod Concilium generale sit supra Papam, idque vi doctrinæ, quam Constantiense concilium quarta & quinta Sessione confirmavit; sicut congregatio præsens declarat, quod doctrina istihæc ab Ecclesia plenam efficaciam & adprobationem nacta sit; ex adverso autem opinionem eorum, qui pertendunt, id, quod in citatis Sessionibus concluſum est, eo duntaxat tempore, quo schismata invalescunt, obtineat; plane improbet.* Tertia: *Quod exercitium potestatis Pontificiæ limitandum & restringendum sit juxta Canones; quodque Papa nihil facere in præjudicium antiquarum consuetudinum, nec non libertatum Ecclesiæ Gallicanæ valeat.* Quarta: *Quod in rebus quidem fidei Papa præcipuam autoritatem habeat; nihilominus ejus decisiones sine consensu Ecclesiæ certæ & infallibiles non sint.* Has *definitiones* Rex edicto solenni munivit, cum curia ejusdem suprema illas quoque confirmasset. Papa autem lectis iisdem, amare

flevit. Deprehendit quippe Ecclesiam Gallicanam aperte schisma moliri. Recreatus tamen nonnihil fuit, quod easdem in Hispaniæ Academiis oppugnari intellexisset. Placuit etiam illi, quod postea Abbas San-Gallensis *Cœlestinus Sfondrata*, in libro *Gallia vindicata* inscripto, Jus Regaliæ a Gallo assertum erudite confutasset. Cæterum ad Reformatorum oppressionem in Gallia, multum contulit Episcopi Condomensis Dn. de Meaux liber, subdole sub *Expositionis Doctrinæ Catholicæ* titulo jam anno 1671. publicatus, & deinde fraudulenter interpolatus ac recusus, ut Reformatis imponeretur, Romanensia ab illorum sacris, paucis in partibus distare. Quas fraudes Fr. Sphanhemius in Epistola animadvertit atque detexit. Et cum iste liber etiam anno 1685. in Anglicum idioma translatus esset, doctissimus D. Stillingfleet eundem excussit, & de ejus fraudibus Anglos præmonuit. vide *Henr. Ludolfi Benthemii* Englischen Kirch- und Schulen-Staat/ *c. 27. §. 66.*

§. 8.

§. 3.

Interea vero, ne Clerus Gallicanus solum Pontificem, instinctu Regis vexare, aut ab Ecclesia Romana, schisma moliri videretur; constituto transactoque *Regaliæ* negotio, in curam, quod Rex volebat, extirpandæ religionis in universo ejus regno Reformatæ incubuit. Ideo in encyclicis suis literis ad universos Galliæ Episcopos, congregatio ista consilium exitiale non celavit: *Operæ pretium esse*, ajunt, *existimavimus, hæresin Calvinianam statim aggredi, eamque arcem schismatis potiorem, & inprimis validam impugnare.* Allegant præterea ipsius Pontificis R. & Regis sui autoritatem, dissidiumque cum Pontifice excusant ac charitatem in Hugonotos præ se ferentes, eosdem ad unionem cum sua ecclesia invitant prius. Verum cum illi conscientiæ libertatem, tot Regum pactis, & inprimis edicto Nannetico confirmatam submisse peterent; illud a Rege abolitum fuit, omnique sævitia in tota Gallia in Protestantes sævitum est, denegato etiam presfis emigrandi jure,

templis, scholis eversis, immissi dimachi, qui vexarent tamdiu homines, dum ad Missæ sacrum vel inviti se conferrent, aut raperentur. Multi ad triremes damnati, multi excarnificati animas exhalarunt miseras. Multi etiam non sine vitæ periculo, in Angliam, Bataviam, Daniam & Germaniam evaserunt, religionis libertatem incommodis exilii præferentes. Longa est calamitatis hujus historia, quæ multis libris descripta prostat. Non satis vero Regi erat in proprios cives fideles sæviisse; sed etiam Sabaudiæ ducem Victorem Amadeum velut coëgit, ut igne ferroque ac fame Waldenses affligeret, eosque exstirparet: ne contagio scilicet hæresis inde iterum in Galliam serperet. Paucis: ea in Gallia adversus Protestantes ac Hugonotos patrata sunt, quæ inter furores gentilium Cæsarum olim inaudita fuerunt.

§. 4.

Dum in Gallia hæc tyrannis in Hugonotos grassatur, in Germania *Spinola*, Comes & Episcopus de Thiena, Primas Croa-

Croatiæ, & postea Episcopus Viennensis, per Principum Protestantium in Germania aulas peragrat, ac nomine Cæsaris Papæque, illos ad Concordiam cum Ecclesia Romana ineundam sollicitat. Plerisque autem viri consilia vel suspecta, vel inania videbantur; nisi quod in aula N. adplausum invenirent. Ubi certa super compositione inter Protestantes & Pontificios formula, a duobus Theologis non ignotis concepta fuit. Quam solide excusit *Pufendorfius* in libro posthumo de *Feciali divino*, sive de *Consensu & Dissensu Protestantium §. 13. seqq.* Ubi prudentiores admiratio subiit, cur Spinola tantopere Pontificiorum pacis & concordiæ ecclesiasticæ studium prædicare apud Protestantes ausus sit; cum interim in Hungaria Collonitschius, acerbissimus Protestantium hostis, Evangelicos persecutione premeret; & Neussæ in Silesia liber in lucem prodiisset, quo inter multa tetrica, Gallorum crudelissimæ persecutiones, magna cum impudentia adprobarentur, ac ad plenam Evangelicorum exstirpationem consilia suggererentur.

Imo Elector Brandenburgicus Cæsareis ministris exprobravit, quod patronos se & advocatos Gallicarum persecutionum ferrent, apud laudatum *Pufendorf. Rerum Brandenburg. Histor. lib. XIX. §. 55.* Taceo, quod Collonitschius, Episcopus tunc Neostadiensis, librum, sub titulo, *Augustana & Anti-Augustana Confessio*, publicarit, quo Lutherani apostasiæ ab Aug. Confessione impudenter postulantur. Sed hunc jussu Electoris Saxoniæ, an. 1684. *D. Alberti* confutavit.

§. 5.

Dum Galliæ Rex ita in Hugonotos sævit, Belgæ uniti in Romano Catholicos duriora statuere, ac monachos in Zelandia & Frisia expellere non dubitarunt. Et cum talia Catholicorum Principum ministri improbarent, ipsisque exprobrarent, respondebatur: compertum sibi, missionarios, ac peculiari voto obstrictos Jesuitas atque monachos exteros esse nullo in hanc Rempublicam affectu; a suis cœnobiis & superioribus, dependere, quibus annuatim ingentes pe-

pecuniæ summas in fraudem harum provinciarum mittant, qui & ad res novas proclives sunt. Idque circa ultionis studium ac persecutionem, nec in talionis vicem fieri, quod Catholici in Belgio laicis sacerdotibus indigenis uti queant, eoque monachis ac voto obstrictis opus non habeant. Quin ipsos Sacerdotes Catholicos indigenas petere, ut Jesuitæ & alii amoveantur. vid. *Pufend. Hist. Brandeb. l. XIX. §. 55.* Hoc tempore *P. Marcus de Aviano*, Venetus monachus, in Germania famam miraculorum a se in Belgio Hispanico & Bavaria patratorum excitavit. Inde cum Viennam venisset, cum exercitu Cæsaris Budam obsessuro, in Hungariam abiit. Verum nec in obsessione, nec expugnatione urbis dictæ, miraculum facere ullum valuit.

§. 6.

In hoc turbatiori Religionis in Hungaria, Gallia & Anglia, statu, anno 1686. nova, quæ dicebatur, *Quietistarum* Secta in Italia emersit. Cujus autor fuit *Michael de Molinos*, sacerdos, gente Hispanus,

in Theologia mystica non leviter versatus. Is in *Manuductione sua Spirituali*, adsciscis suis *quietem animi* ab externis rebus abducti, & sanctis contemplationibus contenti promisit. Hujus institutum cum emanaret, statim Inquisitores illum, ad tribunal suum cum sociis rapuerunt, eumque carceri manciparunt, atque in Quietistas animadverterunt; metuentes suam religionem, quæ fere in ceremoniis est, hoc novo & abdito cultu everti posse. v. *M. Aug. Hermanni Franckii Manuductionem Spiritual. Molinosii*, ex Italico sermone ab ipso Latine redditam, & *Burneti Histor. de Quietismo.*

§. 7.

In Anglia Regi Carolo II. fataliter anno 1685. sublato, frater Jacobus II. successit. Qui, Pontificiæ quippe religioni addictissimus, ut ob conjurationem Jesuitarum in Regis Caroli vitam, jam anno 1678. detectam, permultis erat suspectus; ita Monmuthio regni proco capto, securique percusso, instinctu inprimis Jesuitæ Petersenii, omnes curas in hoc figebat, ut, multa, si non omnia, quæ Majores ejus

&

& Parlamenta fecerant decreta, de tuenda religione Reformata, refigerentur; inprimis ut lex antiquaretur, quæ lata erat de jurejurando, quo cives obstringebantur in nomen & verba Regis, tam in iis, quæ ad regni gubernationem, quam in iis, quæ ad sacra constituenda pertinent, ejurata omni potestate, quam aut Pontifex R. aut ullus mortalium sibi vindicavit, aut vindicare vellet de sacris aliquid sanciendi aut constituendi. Quo autem hæc sacerrimorum consultorum destinata spectarint, mox adparuit; cum Rex Reformatis jure privilegiisque exutis, Pontificios, in munerum publicorum collatione præferret, Jesuitas foveret, civibus Romanos ritus obtrudere satageret, atque cum Gallo, cui clandestino fœdere innexus erat, de exstirpanda religione Reformata, consilia agitaret feralia. Quæ nisi Deus evertisset, de conscientiarum libertate etiam in Anglia actum fuisset. v. *Pufend. Hist. Brand. l. XIX. & Henr. Ludolphi Benthemi librum* Germanicum von Engländis. Kirch- und Schulen-Staat/ *c. 27.* quo hanc revolutionem in Anglia luculenter describit.

§. 8.

Nunc ad noviores in ipsa Protestantium Ecclesia, intra decennium subortas controversias, quarum multæ sunt, enarrandas progrederer; nisi glisscente adulatione & fervente partium studio, homini etiam incorruptam fidem profesſo, obtrectationis aut adulationis crimina verenda essent. Nam C. Tacito dicente, rara temporum felicitas, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias, sine amore & odio, quorum causas historicus procul semper habere debet, scribere liceat. Relinquenda ergo illa opera posteritati, quæ non amplius inter infensos & obnoxios agit, ac libidine assentandi, aut adversus dissentientes odio vacare censetur. DEUS interim, cui Ecclesia vera semper curæ est, omnibus veritatis cœlestis amorem inspiret, motus animorum dissidentium componat, publicos omnes veritatis hostes, ac inimicos pacis, ab aris suis ac templis longe arceat, iisque meliorem mentem donet: ut Nominis ejus sanctissimi gloria in terris vigeat, ac in cœlis æternum celebretur!

M. de

M. de Claude (Claudii)

JUDICIUM

De

Patribus Græc. & Lat. antiquis ex operibus ejus posthumis

tom. V. Epist. 19. excerptum.

INter Patres Græcos illi, quorum lectio grata magis videtur & majoris momenti, sunt, *Justinus Martyr*, *Origenes*, *Eusebius*, *Chrysostomus*, *Basilius*, *Gregorius Nazianzenus* & *Theodoretus*. Utile quoque est *S. Epiphanium de hæresibus* legere. Quod *Cyrillum Alexandrinum* attinet, est ille scriptor durus, qui prima fronte quidem insignis videtur esse Theologus, & tamen nil nisi male digestas & valde vulgares cogitationes profert. S. *Irenæus* non est autor valde gratus propter ariditatem materiæ & subtilissimas ineptias, quas impugnat. *Gregorius Nyssenus* scriptor est fere, ut Cyrillus Alexandrinus. S. *Athanasius* vi præditus est & judicio, sed habet nescio quid tristis & fasti-

ftidiosi in stylo. *Cyrillus Hierosolymitanus* autor est facilis & perspicuus, sed nimis superficialiter res, de quibus agit, tractat, ut nihil ferme ibi reperiatur. Quoad reliquos, de quibus locutus sum, & quos lectu utiles valde gratosque credo, quam grati etiam sint & utiles, vitiis tamen suis non carent, iisque maximi momenti. *Justinus Martyr*, autor & elegans valde & judicio pollens, sed vix temperare nobis possumus, quin eum hæreseos accusemus, si Dialogum ejus contra Tryphonem parva saltem cum attentione legimus. *Origenes* scriptor venustus est, imaginatione abundat & amœnum agit oratorem; sed uti rebus elegantioribus, ita quoque miseris deliramentis abundat, & valde quis decipietur, qui Origenem pro norma ratiocinandi sequi vellet. *Eusebius* revera vir magnus est, curiosus, eruditus, judicio exacto pollens. Primus est historicorum Ecclesiasticorum, qui bonas multas & elegantes res docuit. Sed hoc non impedit, quo minus & multæ nugæ in eo occurrant, quibus homo judicio præditus, qualis est Eusebius, nequaquam

quam se onerare debebat. Infectus fuit errore Arii, homoque morum aulicorum, quique encomia Constantini veneno infecit. *S. Chrysostomus*, uti tibi notum est, excellentissimus omnium præconum suæ ætatis fuit. Eleganter cogitat, grate scribit, perspicue & fluide. Scripta ejus nil nisi pietatem spirant. Non nisi scripturæ se adstringit, nec philosophando de dictis rebus, multum temporis consumit, sed sensum literalem simpliciter explicat. Fatendum tamen quoque est, quod aridus admodum sit in explicationibus suis, quodque in mysteria religionis non alte penetret. Theologus est superficialis valde, & orator haud raro nimis in figuris occupatus. Tandem ingens est defensor liberi arbitrii, & ad minimum semi-Pelagianus. S. *Basilius* lectu gratus simul & utilis est. Loquitur bene, naturaliter & nervose, cogitata ejus judicium spirant. Theologia ejus solida claraque est, & uno verbo, ex omnibus Græcis Patribus ille, ut credo, præstantissimus & purissimus est. Recordor quoque, me idem judicium de eo, a B. Dallæo audivisse, qui sine du-

dubio tantum intelligebat de his rebus, quantum quivis seculo nostro. *Gregorius Nazianzenus* pulchra multa & sublimia continet, sed numerum & verborum periodos anxie nimis observat, & nihil loqui videtur, quam oracula, quod certe pessimum effectum habet: nam opera non amplius ut fructus naturæ intuemur, sed ut elaborationes rhetoricas, ubi labor & nimia cura elucet. Talis non est *Theodoretus*, qui simplicitate & humanitate potius prædicavit. Bene ratiocinatur, res accurate, uti in se sunt, enarrat, & quamvis ejus commentarii in Scripturam non magni momenti sint, aliaque in operibus suis habeat, quæ favere videntur invocationi Sanctorum; magni tamen eum æstimare non desino, eo magis, quia verosimile est, ipsum *historiam religiosam* & librum de *curandis Græcorum affectibus*, ubi loca illa, quæ invocationi Sanctorum favent, inveniuntur, mutata esse in ultimis demum seculis.

Quod Patres Latinos attinet primo *Tertullianum* habes, Scriptorem magnum & subtilem, admirabili metho-

do

do cogitandi & ratiocinandi præditum, sed dure se exprimentem. Austerus est, & asper & semper pungens, præoccupatus valde disciplina Montani, uti tibi notum est, Lectu tamen gratus est, multaque exinde possunt addisci. *S. Cyprianus* dulcis scriptor fuit, stylo perspicuo valde, in operibus suis omnibus ostendit virí boni characterem, qui DEUM & suam religionem amat. *S. Ambrosius* habet suas elegantias, sed est vir mediocris scientiæ, quia affectat inepta acumina, hinc ex operibus ejus parum addiscere possumus. *S. Hieronymus* certe magnus vir est, peritus Hebrææ linguæ, qui meretur conferri ad verba Scripturæ Vet. Test. sed ad sensum parum prodest. Commentarii ipsius pleni sunt frigidarum allegoriarum, & adplicationes ejus vi tortæ. Inter reliqua ejus opera habes tractatum de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui est fragmentum admodum utile. De cætero ubique hominem iracundum se ostendit, nodum, ut ajunt, in scirpo quærens. Venio ad S. *Augustinum*, ad quem legendum autor tibi

sum-

sum, quia multa exinde addisci possunt & ad Theologiam, & moralia, & ad elegantiores cogitationes conducentia. Autor est pulcherrimus & imaginatione abundante ac felici pollens, qui fere per omnia magnam ostendit pietatem, magnam justitiam & charitatem. Primus hic Patrum est, qui cognovit id, quod hypothesis aut Systema in Theologia adpellatur. Opera ejus polemica sunt elegantissima & digna, ut legantur cum adplicatione. Ipsius *Civitas DEI* elegans est; tractatus *de vera religione* sunt præstantissimi, *Enchiridion* non minus, de *agone Christiano* etiam non malus est. *Sermones* parvi momenti sunt, *Psalmi* minoris adhuc, in *S. Johannem*, *in Epistolam ad Romanos* nihil considerationе dignum habent. *Quæstiones in varios libros V. T.* aliquatenus valent. Plus justo paulisper concedit allegoriis, repetit sæpe easdem meditationes, affectat falsas antitheses, sed hic est genius seculi, sub quo vivebat. Et quod ipsius memoriæ summe officit; cum nempe quoad officia adversus hæreticos exercen-

cenda, ex ejus doctrina antea lenitas & charitas adparuerit; controversiæ tamen, quas cum Donatistis habuit, adeo eum excitarunt, ut se totum mutaret & maxime defenderet: hæreticos persecutione cogendos esse ad orthodoxam fidem, vel etiam plane extinguendos, quæ est sententia, uti vides, terribilis valde & inhumana.

D. MARTINI CHEMNITII

ORATIO

De

Lectione Patrum sive Doctorum Ecclesiasticorum.

INSTITERUNT apud me amici, ut meam de Patrum lectione sententiam brevi oratione exponerem. Etsi autem copiose & utiliter dici poterat, qua ratione lectio Patrum tuto, & quidem cum fructu ad studium sacræ & canonicæ Scripturæ adhiberi possit; in præsentia tamen

men libet duntaxat de singulorum Patrum scriptis breviter aliquid dicere. Perutile enim imo necessarium est, ut ad lectionem illorum accessurus, habeat antea informatam in animo methodum, & sciat, quid in singulis sit præcipuum & quasi emineat, ac ubi cavendi sint scopuli in illis locis, in quibus vel parum dextre, vel parum commode locuti sunt. Multum etiam proderit illa collatio, considerare, qua occasione aliqua incommodius & minus diligenter dicta illis exciderint, & quomodo alia ætas motis disputationibus, illa postea correxerit. Et multas alias utilitates habet hæc res. Sed requirit hominem non tantum multæ lectionis, sed præcipue singularis cujusdam judicii, cui quasi in conspectu sit forma doctrinæ in Ecclesia omnium temporum. Talis igitur hujus argumenti tractatio ab aliis peti potest. Ego, ut amicorum petitionibus satisfaciam, breviter de singulis, quos quidem mihi videre & legere contigit, aliquid dicam. Dicam autem de illis scriptis tantum, quæ ad nostram usque ætatem pervenerunt,

de

de aliis, quæ injuria temporum intercide-runt, consulatur libellus Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis, quem Augusti-nus lectu dignissimum judicavit.

Antiquissimum igitur scriptum est, cui titulum fecerunt, Canones Apostolorum. Extat & seorsim, & in tomis Conciliorum. Sciendum autem est, quod distinct. 15. cap. sancta Romana diserte dicitur, librum Canonum Apostolorum esse Apocryphum. Et Epiphanius *Lib. 3. tom. 1. hæres 70.* dicit: διάταξιν Apostolorum ἔσαν ὑφ' τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέ-ξῳ, ἀλλ' ἐκ ἀδόκιμον. Vide Dist. 16. ubi Isidorus dicit: *Ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur Cano-nes; & quamvis in eis utilia quædam inve-niuntur, tamen inter Apocrypha deputantur.* Procedentibus vero temporibus recepe-runt 50. canones: postea 60. demum in sexta Synodo circa ann. D. 677. recepti sunt 85. canones. Et Glossa mirabiliter se cruciat, ut illa conciliet. Ex vetustio-ribus nemo, quod ego sciam, illos Ca-nones allegat præter Epiphanium, qui valde

valde sudat, ut Paulum cum istis Canonibus conciliet. Paulus dicit: *Virgo, si nubit, non peccat.* Canon vero dicit: *Peccatum esse post semel decretam virginitatem ad nuptias converti.* Et Cyprianus illum Canonem ignoravit. Dicit enim *Lib. 1. Ep. 11.* de illis, quæ professæ erant virginitatem: *Si perseverare nolint, vel non possint, melius est nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant.* Ipse etiam stylus Canonum nihil habet Apostolicum, sed est tale genus dicendi, quale in Dionysii scriptis. Multa sunt ibi, quæ probari non possunt, ut, quod rebaptisationem ponunt. Vocant enim *baptisma hæreticorum, lavacrum Diaboli.* Vide Dist. 32. Ubi notetur, quod Stephanus Papa Roman. contra Cyprianum, allegat contrariam traditionem: non esse rebaptisandos rebaptisatos ab hæreticis vel schismaticis. Item 48. Canon numerat inter libros Canonicos tres libros Machabæorum: cum tota antiquitas contrarium testetur. Item quod trinam mersionem in baptismo fecit necessariam & alia. Est tamen antiquum scri-

scriptum, & continet aliqua non inutilia, de antiqua forma gubernationis in Ecclesia. Et quid sit laica communio, unde Ecclesius probare unam duntaxat speciem Eucharistiæ, ex istis Canonibus intelligitur. Observetur & hoc. Notum est, quo consilio conditum sit Symbolum ab Apostolis, & quare ita appellatum. Secuti sunt igitur homines, qui alia quædam confixerunt, & ut plausibili specie ea obtruderent Ecclesiæ, appellarunt Canones Apostolorum, quia dicit Paulus: τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι. Alii vocarunt διάταξιν, quia Paulus dicit: cætera cum venero, διατάξομαι. Hæc historica non sunt indigna observatu. *1. Cor. XI. v. 34.*

Proximus deinde est Dionysius Areopagita, cujus extant scripta de cœlesti hierarchia: de ecclesiastica hierarchia: de divis nominibus. Item, aliquot Epistolæ: Et alia quædam, quæ recensentur apud Suidam. Jam vero nullus ex veteribus, vel uno verbo mentionem facit istorum scriptorum. Et Hieronymus,

qui tamen expresse texit Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum, non ponit Areopagitam in illorum Catalogo, qui Scripta sua posteritati reliquerunt. Valla & Erasmus collegerunt multa argumenta, non esse Areopagitæ illa scripta, quæ ipsi inscribuntur. Et si nullum aliud esset argumentum; tamen ipse stylus satis convinceret, non esse Atticum, nedum Apostolicum scriptum. Putatur esse alterius cujusdam Dionysii. Utut sit, hoc constat apud omnes, non esse certi auctoris; nec, quo tempore sint scripta, facile colligi potest. Ecclesiastica tamen hierarchia propter historica potest legi. Quanquam enim cumulantur ibi valde multæ Ceremoniæ, redolentes jam Papisticam superstitionem; tamen collatio Papatus ad illud scriptum ostendit, quantum creverint superstitiones. Notabile est hoc, quod omnes ceremonias, quas describit circa Sacramenta & alias, dicit tantum significationis gratia adhiberi, nusquam vero ex professo dicit eas aliquid spiritualis gratiæ conferre, sicut nunc Papatus docet. Quanquam negari

ri non potest, nec debet, semina superstitionum in illo scripto esse sparsa. Valde enim liberalis est auctor cum suo oleo, & multis verbis, crucibus & aliis ceremoniis, quasi incantat aquam Baptismi, ut fiat lavacrum regenerationis; & describit Sacramenta tam multis ceremoniis, non dicam qualibus, onerata, ut verus usus nullo modo conspici possit. Insuper tam operosæ ibi describuntur ceremoniæ, ut ne in Papatu quidem retineri potuerint. Ridiculum hoc est, quod dicit, Pontificem, quando peculiari prece sanctificat aquam Baptismi, aliquoties ingeminare oden Propheticam Hebraice: & in 4. cap. dicit, illam vocem significare laudem DEI, vel laudare Dominum. Tantum enim tribuit voci Halleluja. Hoc tamen inde discitur, quod habet usum non contemnendum; nempe, quomodo Ecclesia mentionem fecerit Sanctorum circa Eucharistiam. Quocunque enim tempore scriptus sit iste liber, certe tunc nondum fuit invocatio Sanctorum in Ecclesia. Discitur & hoc ex illo scripto, quibus cere-

moniis circa sepulturas mortuorum vetustas usa sit: nulla ibi sunt suffragia, ut ex purgatorio liberetur, &c. Et illa possunt opponi in disputationibus contra adversarios. Item, unde venerit consuetudo susceptorum, ἀναδόχων in Baptismo, & quod sit ipsorum officium, ex illo libro discitur, nec facile alibi reperitur. In altero libro, de cœlesti hierarchia, tractat de ordinibus Angelorum, quibus gradibus inter se differant, & quomodo officia sint partita & similia. Sed August. bene dicit: *Esse thrones, esse dominationes, principatus & potestates, certum est: Sed quomodo inter se differant, ipse novit, qui condidit, & nos in altera vita a facie ad faciem videbimus.* Non potest igitur multum juvare lectorem illud scriptum.

Ignatius, discipulus Johannis Evangelistæ, aliquot Epistolas scriptas reliquit, quarum mentionem facit Hieronymus, & fuerunt in magna autoritate apud antiquos. Et nunc habentur in μιχροπρεσβυτικῷ; sed sunt admixta multa, quæ non sunt

sunt Ignatii. Ut, quod dicit quarta & sexta feria jejunandum, & prohibet jejunium Sabbathi, cum Augustinus aliter hæc disputet. Idem dicit: *Quicunque cum Judæis Paschæ egerit, comparticipabit eis, qui Dominum occiderunt*; cum Epiphanius citet canonem Apostolorum plane contrarium, & ex historia Ecclesiastica aliud probari possit. Item, quod valde ridiculum est, cum Ignatius Græce scripserit; Ille pseudo-Ignatius dicit: *Scripsi hæc vobis nono Calendarum Septembris*. Continentur tamen ibi quædam bona doctrinalia.

Irenæus inter illos, qui extant, & de quibus nihil dubitatur, vetustissimus est. Audivit Polycarpum, discipulum Johannis. Scripsit autem multa, quæ recensentur apud Hieronymum. Nunc vero tantum quinque libri exstant, & illi quidem satis male versi; cum tamen Irenæus in sua lingua eleganter loquatur; Epiphanius enim aliquot paginas ex illo græce citat. Dicunt Græcum exemplar alicubi exstare: & dignum esset, ut prodiret in lucem. Multa enim, quæ incommode sunt versa, dextre inde

possent intelligi. Sunt autem libri illi lectu dignissimi, quia fundamentaliter disputant de primis principiis Christianæ fidei. Hæretici enim tunc rejiciebant Scripturam, & sua etiam absurdissima deliria obtrudebant Ecclesiis, nomine traditionum Apostolicarum. Exponit igitur, quæ sit vera traditio ab Apostolis commendata Ecclesiæ: nempe, cujus summa comprehensa est in Symbolo (nam fere totidem verbis recitat Symbolum) & dicit, illam traditionem in omnibus Ecclesiis Apostolicis eandem esse. Huic addit textum Scripturæ, & multis ostendit, quæ scripta Apostolorum sint canonica. Sumit igitur illa duo, traditionem seu Symbolum, & textum Scripturæ: & quod cum his non convenit, rejicit tanquam hæreticum. Et hoc bene observandum est contra Adversarios, qui insignes errores & manifestos abusus recipi volunt, tantum propterea, quod dicunt esse traditiones. Deinde pius animus valde confirmatur, quando videt, in descriptione hæreticorum istius temporis depictam esse faciem

em Papatus, cum suis erroribus & abusibus: ut de chrismate, extrema unctione & multis aliis. Deinde continentur valde multa bona doctrinalia, de singulis fere articulis fidei: de duabus naturis in Christo: de Eucharistia, quod non sit sacrificium, quale fingunt adversarii: Item, quod eadem fide salvati sint Patres veteris Testamenti, & sancti novi Testamenti. Jam vero, quia disputat contra illam sententiam, quam postea Manichæi amplexi sunt, aliquando durius & incommodius loquitur de libero arbitrio: Item, quia disputat contra illos, qui fingebant, alium esse Deum legis justum, & alium Deum novi Testamenti misericordem; ideo minus diligenter loquitur de discrimine Legis & Evangelii. Alibi vero de fide Christi, & de justificatione, pie & commode disserit. Non ponit etiam satis explicatam sententiam de peccato originis: quia illos sibi proponit oppugnandos, qui causam peccati Deo tribuebant. Illa in multis locis apud Irenæum ita leguntur: & quando perfecta est causa & occasio, cur ita loqua-

tur, tunc sine offensione & cum fructu potest legi. Leviora sunt illa, cum exponit Eloi, Adonai, Sebaoth, sed parum grammatice. Item, cum dicit, Christum fere fuisse quinquaginta annorum, contra omnem historiam. Vetustas observavit in eo errorem in fundamento: quod amplexus sit sententiam Chiliasticam. & sunt quædam semina ejus in 5. libr. cum exponit aliquot capita Apocalypsis.

Eodem fere tempore fuit in Africa TERTULLIANUS: & inter latinos Scriptores, eos quidem, qui extant, vetustissimus est. Scripsit hic multa, quæ cum fructu legi possunt: ut de principiis Christianæ fidei, eodem fere modo, quo Irenæus. Titulus est de præscriptionibus hæreticorum. Defendit etiam articulum Trinitatis contra Praxeam, & dicit, Ecclesiam credere tres subsistentes personas. Item, de humana natura in Christo, titulus est de carne Christi, De resurrectione carnis. Et quinque libros contra Marcionem. Apologeticus ejus, quem edidit pro Christianis, propterea le-

lectu dignus est, quia describit statum veteris Ecclesiæ, cæremonias & disciplinam. Hunc Tertullianum postea clerici Romanæ Ecclesiæ invidia & contumeliis eo redegerunt, ut ad Montani dogma delaberetur. Ita enim scribit Hieronymus: Et scripsit aliquot volumina contra orthodoxos, de monogamia, de jejuniis, de persecutione, de pudicitia, de nova prophetia, &c. Extant & illa fere omnia, quæ propterea legere non inutile est. Sunt enim in illis semina totius Papatus, sæpe totidem verbis, sicut nunc Papistæ docent: Et propter illa postrema scripta, in quibus erravit in fundamento, Ecclesia omnes ejus libros ponit inter apocryphos, & vult eos caute legi. Hieronymus, cum ipsius auctoritate urgeretur, dicit: *De Tertulliano aliud nihil respondeo, quam Ecclesiæ hominem illum non fuisse.*

ORIGENES floruit circa annum Domini 230. & fuit discipulus Clementis Alexandrini, cui etiam postea successit in schola κατηχήσεως. Unde etiam conscripsit summam doctrinæ Christianæ, cui

titulum fecit περὶ ἀρχῶν. Vir fuit maximi ingenii; unde aliquot millia librorum edidit, & Hieronymus dicit: *Quis nostrum tanta potest legere, quanta ille conscripsit?* nunc vero tantum habemus, quod ex Ruffini versione ad nos pervenit, duo volumina. Porro scripta ejus semper fuerunt suspecta, & Hieronymus dicit: *Credite experto, venenata sunt illius dogmata; & aliena a Scripturis sacris, vim facientia Scripturis.* Et addit: *Laudo interpretem Origenem, sed non dogmatistam.* Sed tamen Epiphan. & ceteri, hoc in ipsius interpretationibus reprehendunt, quod planissima dicta transformat in monstrosas allegorias. Post mortem ipsius, an. 150. magnæ ortæ sunt turbæ in Ecclesia, quibusdam defendentibus Origenem, propter ingenii præstantiam & vitæ integritatem, quibusdam anathematisantibus ipsum mortuum, cum omnibus suis scriptis. Hinc Epiphanius & Hieronymus collegerunt multos insignes errores Origenis. Eusebius contra in historia Ecclesiastica integrum librum consumit in laudibus Origenis. Hieronymus modeste inquit: *Non con-*

consuevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Quod si quis nobis opposuerit errores ejus, audiat libere, interdum magnus dormitat Homerus: non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi. Notabile hoc est, quod citat Hieronymus ex Epistola quadam Origenis, ubi cum dolore fatetur, se multa erronea scripsisse, & culpam confert in Ambrosium notarium, qui illa, quæ Origenes secreto ingenii causa disputaret, consignavit. Legi tamen potest, sicut Hieronymus eum legit, ut bona ejus eligantur, reliqua auctori relinquantur.

Cyprianus martyr, circa annum Domini 260. ob vitæ sanctimoniam & confessionis constantiam, in maxima apud omnes fuit auctoritate. Extant quatuor ejus libri Epistolarum. Ætas ejus incidit in talia tempora, quæ non tam occasionem disputandi, quam consolandi & exhortandi vinctos præbebant. Hinc Epistolæ ejus pleræque sunt generis suasorii, & referunt pectus ardens pietate, ita ut lectorem accendere possint. Doctrinalia habet contra Novati hæresin de

Eucharistia, & multa historica de forma gubernationis Ecclesiæ istius temporis, & quod multis in locis disputet, omnia esse exigenda ad Canonem sacræ Scripturæ. Quia vero tunc inter sævitias persecutionis multi abnegabant doctrinam, & postea simulata pœnitentia redibant ad Ecclesiam; rursus vero orta alia persecutione primi erant, qui non tantum abnegabant, sed prodebant reliquos; ideo nimis est in exigendis publicis illis mulctis, quas satisfactiones vocant; adeo ut dicat, remissionem peccatorum non valere, nisi illa satisfactione fuerint persoluta. Dicuntur illa duriter, sed tamen commoda Interpretatione possunt mitigari, si quis consideret causam dictorum, & rationem illorum temporum. Sæpe etiam de aliis minus proprie loquitur, sicut fit in declamationibus vel materiis suasoriis. Habuit etiam errorem in fundamento, ut quod statuit cum suo Concilio Africano, Baptismum non valere, nisi sit datus a ministro orthodoxo & pio, & ideo censuit rebaptizandos. Renovarunt istum errorem Do-

Donatistæ, tempore Augustini, & tuebantur se auctoritate Cypriani: sed quia est error in fundamento, Augustinus auctoritatem Cypriani, salva ipsius honorificentia, hac in parte, plane rejecit; & veram sententiam ex Scriptura quæsivit. Dignum autem hoc est observatione, quod Cyprianus tam diligens lector fuerit Tertulliani, ut nullum diem transmitteret, quin magistrum (Tertullianum intelligens) sibi dari juberet: sicut refert Hieronymus. Et quia multa Montanica deliramenta sunt immixta scriptis Tertulliani, infectus est etiam Cyprianus illa opinione, quod ἐθελοθρησκείαις & ceremoniis, superadditis Sacramentis, tribuit efficaciam gratiæ & remissionis peccatorum &c.

LACTANTIUS fuit circa annum Domini 306. scripsit de Opificio Dei, & institutiones fidei, &, ut dicam breviter, non multum potest juvare lectorem. Tantum enim fere contra Paganismum disputat. Annotavit hoc Hieronymus, quod Lactantius negat Spiritum Sanctum esse substantiam, id est, personam.

Athanasii historia omnibus notissima est. Reliqua autem aliqua scripta posteritati, & Græcum quidem exemplar habetur. Nam D. Philippus eo aliquamdiu usus, nondum tamen editum est. Symbolum ipsius magno totius Ecclesiæ consensu semper probatum est. Extant deinde, ex versione qualicunque duo libri digni lectione; unus contra gentiles, alter de incarnatione verbi. In fine enim dicit se ea tradere, quæ a peritis Scripturæ doctoribus, & a Christi martyribus didicerit. Extat deinde disputatio Athanasii, habita contra Arium coram gentili judice. Feruntur præterea alii ejus libri de Trinitate: sed non videntur per omnia tanti viri eruditioni & gravitati respondere, & propter illos libros utile esset, Græcum Exemplar edi. Conscripsit etiam titulos, in quibus casibus, quibus Psalmis, vel pro oratione, vel pro gratiarum actione, utendum. Fertur etiam opusculum Athanasii nomine; de variis quæstionibus, quod non potest ipsius esse; quia allegat Epiphanii opus Panarium.

Eodem

Eodem fere tempore apud Latinos fuit Hilarius, cujus honorificentissimam mentionem facit Hieronymus ad Marcellum: quamvis alibi in illo Gallicum cothurnum, & græcos flosculos reprehendat. Primus apud Latinos scripsit de Trinitate. Scripsit etiam de Synodis Orientalium; ubi ostenditur, in quibus Episcoporum conventibus Ariana hæresis sit damnata. Illum librum vertit ex Græco. Scripsit etiam commentaria in Matthæum, & in aliquot Psalmos; sed illa ad verbum dicitur transtulisse ex Origene: & si historiæ hoc non dicerent, tamen res ipsa satis ostendit. De Trinitate Græcorum sententias collegit: & nisi ipse collegisset decreta Synodorum Orientalium, jam nihil sciremus: quia in Tomis Conciliorum, sicut nunc habentur, ceremoniæ quædam in illis Synodis sancitæ recensentur, nihil vero de dogmatibus. In commentariis, quia illa ex Origene transcripsit, sæpe satis incommode loquitur; sicut aliqua possem adscribere, nisi prolixum esset. De justificatione aliquoties bene loquitur; repetens

tens illud, nos sola fide justificari. Habet porro errorem in fundamento, qui ab antiquis etiam reprehensus est: quod aliquoties dicit, nullum fuisse sensum doloris in Christo, sed sicut telum transit per aerem, vel per aquam, sine aliquo sensu, ita fuisse omnes passiones in Christo. Dicit enim Verbum recessisse ab humana natura, cum Christus clamat: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Bonaventura vero scripsit, se ex Guilielmo Parisiensi audivisse, quod Hilarius illum errorem peculiari quodam libro retractarit, sed non extat.

Antequam pergamus, notandum est, quod florentissima ætas præcipuorum Patrum in idem fere tempus incidit. Athanasius enim jam senior, scripsit ad Basilium, tunc adhuc juvenem, & illa epistola extat. Jam vero Basilius & Nazianzenus aliquot annos, Athenis in communibus studiis, & eadem habitatione versati sunt. Præterea extat Epistola Basilii ad Ambrosium, & Ambrosius baptizavit Augustinum. Hieronymus vero senex fuit, juvene adhuc existente Augusti-

stino, sicut Epistolæ ostendunt. Et Epiphanius scripsit ad Hieronymum. Fuit etiam Chrysostomus eodem tempore. Fuit igitur seculum illud pulcherrimum, & postea vix umbra talium virorum in Ecclesia fuit, per multa secula, simul fere florere cœperunt, & simul etiam desierunt.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS, quem etiam Pamphili vocant, tempore Constantini Magni & Nicænæ Synodi floruit. Scripsit historiam, quæ Ecclesiastica vocatur, & primus contexuit Chronologiam omnium temporum. Scripsit item libros de Demonstratione & præparatione Evangelica. Quia vero apertissimus fuit propugnator Arii (ut refert Hieronymus) & in laudibus atque excusatione Origenis totum consumsit librum, Gelasius in cap. sancta Romana, refert historiam ejus inter Apocrypha: quamquam legi illam velit. Sed Hieronymus dicit: *Ecclesiasticam pulchre Eusebius historiam texuit.* Et Basilius vocat eum ἀξιόπιστον. Et res ipsa ostendit, Scriptum esse necessarium; cum illi autores, unde

ipse

ipse sumsit, intercederint: & tamen major est gravitas in illius historia, quam in Nicephori. Chronicum ipsius (quanquam secutus supputationem Septuaginta in temporibus non præcise conveniat) propterea laudem meretur, quod viam patefacit reliquis ad diligentiorem supputationem. Non enim facile esset (ne dicam impossibile) contexere chronologiam omnium temporum, si non posteritas ejus vestigia, quæ sequeretur, haberet. Reliqui libri de demonstratione & præparatione diligenter sunt scripti contra gentiles, sed non habent multa doctrinalia, unde lector admodum posset juvari, præter historica quædam. Ecclesiasticam historiam vertit Ruffinus, sed suo more: ideo græce commodius legi potest.

Basilius Magnus ex nobili genere fuit, & ut ipse scribit, a puero Christianis parentibus educatus, didicit sacras literas. Vid. Epist. 75. Versatus autem est in multis Academiis, & tandem profectus Athenas, sodalis & contubernalis fuit Nazianzeni per aliquot annos. Postea

ca multas Ecclesias perlustravit, quærens consensum istius doctrinæ, quam a nutrice sua acceperat, quæ Gregorium Neocæsariensem audiverat. Multa erudita conscripsit de articulo Trin. de divinitate Filii, & Spiritus Sancti & præterea multa alia doctrinalia lectu dignissima. Quam commode enim & pie loquitur de articulo justificationis, in scripto de humilitate? Et quid multis? Vetustas non sine causa illum vocavit Magnum. Jam vero nec illud negari potest: quod alicubi incommode & improprie loquatur, sicut de libero arbitrio, & peccato originis, quædam ipsius dicta mitigat & excusat contra Julianum. Secessui vero & monachismo plus, quam par est, tribuit: sed si quis statum illorum temporum consideret, potest dextre illa considerare. Fervebant tunc ut maxime tumultus Ariani-, & non tantum conviciis & clamoribus disputabant, sed sæpe in ipsis templis ad gladios perveniebatur. Cum itaque videret Basilius, non esse locum modestis ingeniis, secessit cum suo Nazianzeno in insulam quandam, ubi cer-

certis lectionibus, psalmodiis, & aliis exercitiis pietatis vacabat. Retractus tamen est ad Episcopatum; & cum videret deploratum istorum temporum statum, nec quicquam profici eruditione vel modestia, maluisset in honesto otio procul ab istis turbis vivere; ideo tantopere commendat secessus, & hyperbolice sæpe extollit exercitia istius generis vitæ. His cognitis, possunt Basilii scripta aliquo cum fructu & sine offensione legi.

GREGORIUS NAZIANZENUS, contubernalis Basilii, ingeniosus & doctus fuit. Per 30. enim annos in variis Academiis didicit: sed non fuit tam idoneus ad gubernationem Ecclesiarum, sicut Basilius. Ideo vel recusavit Episcopatus, vel, si compellabatur suscipere gubernationem, reliquit Ecclesias, petens secessus, & demum in tali philosophico otio mortuus est. Scripsit aliquot libros de divinitate Filii, tam acute, ut vix aliquis suspicari possit, quid velit dicere. Orationes vero ejus sunt elegantes, & propter multiplicis historiæ cognitionem legendæ sunt; quam-

quamvis etiam aliqua doctrinalia tractent. Habet vero suum quoddam peculiare genus dicendi, satis floridum: quod propterea observandum est, quia tunc primum cœperunt apostrophæ ad sanctos mortuos. Sunt enim Apostrophæ illi tam usitatæ, ut dicat: *O tu Paschæ magnum & sacrum, tecum enim colloquor &c.* Ideo illæ figuratæ locutiones in declamationibus non probant invocationem sanctorum. Nam de dogmate, an orent vel sint compellandi, manifeste dicit Basilius, nihil certi se habere.

Quomodo Ambrosius ad gubernationem Ecclesiæ venerit, ex ipsius historia notum est. Scripsit autem multa: sed optimus est ille labor, quod in omnes Epistolas Pauli commentaria scripsit, quæ lectorem aliquo modo juvare possunt. Extat & commentarius ejus in Lucam. In Esaiam etiam scripsit, & vetustas illud scriptum præ ceteris omnibus in auctoritate habuit, sed jam non extat. In commentariis Paulinis commodissime loquitur de justificatione. Sunt præterea alia ab eo scripta, ex professo doctrinalia. Habet tamen

men quædam, minus commode & proprie dicta, præcipue de libero arbitrio, & peccato originali: quæ Pelagiani pro sua sententia allegarunt. Sed quomodo sint intelligenda, Augustt. lib. 1. contra Julianum pulcherrime disseruit. Fuit autem in magna autoritate, etiam apud Orientales: ita ut Hieronymo vitio datum sit, quod alicubi parum honorifice ipsius mentionem fecerit.

Hieronymi ingenium fuit præstantissimum, & unicus ille labor æternam meretur laudem, quod sacra Biblia ex fontibus vertit. Et scribunt, ex Patribus solum Hieronymum, natum ex Christianis parentibus, habuisse cognitionem Hebraicæ linguæ. Quia vero præterea fuit multæ lectionis, variæ & difficiles quæstiones ab eo sunt erudite explicatæ. Et in illo genere, & præterea in commentariis, valet, & dignus est qui legatur. Quando vero disputat de aliquo articulo fidei, non conferri potest cæteris Patribus. Amans fuit disciplinæ, ideo sæpe tribuit electitiis exercitiis meritum remissionis, donec exortis Pelagianis, quædam mitigare & retra-

tractare coactus est. Damnat enim quædam in Pelagio, quæ Hieron. antea & scripsisse & sensisse constat. Præterea quando aliquem sibi refutandum proponit; omnino nimis hyperbolicus est, & acerbitas illius & hyperbolica vehementia, etiam sui temporis hominibus displicuit, sed noluerunt illum irritare. Ita, cum satis scabiose de conjugio scripserat contra Jovinianum, & aliquid respondendum esset: Augustinus scripsit libros de bono conjugali, adeo modeste, ut vix animadvertatur, cujus errori oppositi sint. Quæ igitur pertinent ad Grammaticam & historiam, ex Hieron. disci possunt, doctrinalia vero non item.

Epiphanii habemus scriptum de hæresibus, ex quo etiam Augustinus compendium quoddam contraxit, quod exstat, de Hæresibus, ad Quod vult Deum. Est autem scriptum illud valde bonum, & utile propter historiam. Quæ certamina mota sint contra singulos articulos fidei: & quam sententiam Ecclesia in singulis articulis contra hæreticos defenderit: Hæc duo utiliter possunt ex ipsius scripto disci.

Nam

Nam quas ipse opponit refutationes & confirmationes aliquando sunt frigidiores. Scripsit etiam Ancoratum, ubi præcipue tractat articulum de Filio DEI.

Chrysostomi magna fuit eloquentia. Scripsit commentaria in Genesin, in Matthæum, in Johannem, & in omnes Epistolas Pauli: quæ adeo fuerunt posteritati probata, ut Theophylactus in compendium illa contraxerit, resectis declamatoriis, quod hodie ab omnibus legitur & probatur. Scripsit præterea multas homilias, quarum lectio potest instituere studiosos. Sed tamen observandum est hoc, quod fuit & eloquens & valde vehemens, ideo ipse fatetur, se sæpe loqui declamatorie, non vere. Sicut etiam Hieronymus de se dicit, excusans quædam incommode dicta: *Rhetoricati sumus, & aliquid declamationibus dedimus.* Pelagiani valde jactabant, Chrysostomum secum facere, quia de libero arbitrio & peccato originis loquitur sæpe non satis proprie. Sed Augustinus vult sententiam Chrysostomi sumendam esse, non ex homiliarum declamationibus

bus, sed ex illis locis, ubi proprie loquitur, ex professo. Vide librum primum contra Julianum. Plura possent dici, sed temporis brevitas nunc non concedit.

AUGUSTINO omnium eruditorum judicio conceditur palma, sed considerandum est, quare & quibus in rebus. Incidit autem in illa tempora, ubi multa simul certamina mota sunt de præcipuis articulis fidei, & cum omnes Ecclesiæ in ipsum respicerent, coactus est opponere refutationes, & fundamenta quærere veræ sententiæ. Et inde factum est, quod non tantum habet integras disputationes de multis articulis, sed quod multo magis proprie & commode veram Ecclesiæ sententiam proponit & explicat, quam reliqui Patres, qui nondum motis disputationibus, sæpe securius locuti sunt, ut ipse Augustinus dicit. Et propterea etiam conatus est multa antiquorum incommodius dicta commoda interpretatione corrigere. Sæpe enim in hæreticis damnat & rejicit ex Scriptura illa dicta, quæ apud Patres totidem verbis

bis leguntur. Nec tamen in alieno scripto talis censor est; verum etiam de suis scriptis duos libros retractationum composuit. Et ita ex Augustino discitur, quo judicio & candore Patrum scripta legenda sint. Primum enim veram sententiam quærit ex Scriptura; Deinde si Patres retinuerunt fundamentum, candide eorum dicta interpretatur ad analogiam fidei: etiam quando aliquid incommodi habent. Non patitur autem ea opponi fundamento. Cum vero error est in fundamento, ut Cypriani de Baptismo, relinquit eos sine interpretatione, & sequitur sententiam Scripturæ. Et dignum est observatione: quod ante Augustini tempora nimium a multis tribuebatur auctoritati Patrum. Sed cum hæretici suos errores, sine Scriptura, tantum ex Patrum incommode dictis vellent stabilire, adegerunt Augustinum, ut sæpe in suis scriptis repeteret illud axioma, quod omnino necessarium est in Ecclesia, nempe: *Ex solis libris Canonicis probandos esse articulos fidei, reliquorum vero scripta ita legenda, ut liceat in il-*

illis improbare & respuere, quæ cum veritate canonica non congruunt, &c. Plura igitur doctrinalia habet Augustinus, quam aliquis reliquorum, & ea, etiam magis proprie & commode explicata, quam exstant apud reliquos. In Commentariis vero non est ita felix: accomodat se semper ad locos communes, pie quidem, sed sæpe non in loco quia non habuit perfectam cognitionem linguarum, sicut Hieronymus.

Necessario etiam hoc observandum est ei, qui cum judicio & fructu vult legere Augustinum, ipsum commode & pie quidem sentire, sed tamen sæpe loqui suo more: qnia accommodat se ad disputationes & certamina suorum temporum. Ut vocabulum justificare, justitia, gratia, usurpat paulo aliter, quam vel in Scriptura, vel in nostris Ecclesiis nunc usurpatur. Pugnat enim contra Pelagium, qui fingebat hominem post acceptam remissionem peccatorum, sine auxilio Spiritus S. suis naturalibus viribus posse legi satisfacere, & ita habere justitiam. Ideo Augustinus justitiam

vocat novam obedientiam, gratiam, auxilium Spiritus S. & justificare, ex injusto justum facere. De re ipsa vero pulchre nobiscum sentit, novam obedientiam non esse perfectam in hac vita: & ideo omnium piorum spem unicam esse, quod advocatum habent apud Patrem, qui est propitiatio pro peccatis eorum. Multi hoc non animadvertentes, ubicunque invenerunt vocabulum justitiæ vel gratiæ, comportant omnes sententias, sæpe parum vel nihil facientes ad ipsorum propositum. Ideo cum judicio non tam colligantur, quam eligantur. Unum vero est, in quo ipse suam regulam non observavit: Dicit, ex Scriptura probari non posse, an mortui viventium suffragiis juventur; & axioma fuit receptum apud omnes Patres, post hanc vitam nullum esse locum, vel pœnitentiæ, vel remissionis peccatorum. Tamen quia usitatum tunc erat in Ecclesia mentionem facere mortuorum circa Eucharistiam, coneludit Augustinus, contra Scripturam & illud axioma Patrum, mortuos aliquid juvare; & dubitat de Purgatorio. Et

quod

quod ille dubitavit, Gregorius Magnus postea ex Scriptura conatus est confirmare; ita ut Purgatorium fieret articulus fidei. Tam periculosum est, ambiguere vel dubitanter loqui de articulo extra & præter Scripturam.

CYRILLUS præcipuus fuit in Synodo Ephesina, & scribunt, Augustinum mortuum anno istius Synodi: Ideo Cyrillus fuit postremus fere ex florentissima illa ætate. Quia vero controversia Nestorii, de unione duarum naturarum in Christo & de communicatione Idiomatum, non fuit facilis explicatu: adeo, ut multi Episcopi contra Cyrillum cum Nestorio publice sentirent, magnæ fuit dexteritatis illa ita evolvere & explicare, ut vera sententia intelligeretur. Nam antiquitas non satis diserte locuta erat de isto articulo, cum satis erat Arianos refutasse. Multa autem reliquit scripta de ista controversia, quæ omnino digna sunt, ut legantur. Scripsit etiam 14. libros, de articulo Trin. quibus titulum fecit Thesauri. In Joannem etiam commentaria, digna ipsius eruditione. Sed desiderantur aliquot libri.

Sed jam cogor finem facere, ideo non possum pertexere catalogum eorum, qui secuti sunt: & ne de his quidem potui dicere, quantum volebam, propter temporis angustiam. Amici tamen, quicquid hoc est laboris, boni consulent. Scriptum Wittebergæ die sanctæ Catharinæ, Anno 1554.

INDEX

INDEX II. RERUM.

A.

Abelardus Petr. pag. 359. 368
Abrahamiani 219
Abyssinorum Rex 372. 598
Academia 459. Jenensis 591. Altorfina 611
Schaumburg. 677
Acephali 176. 154
Accœmetæ monachi 162
Acoluthi 89. 130
Adamiani 56
Adamitæ 495
Adelbertus Pseudo-Prophet. 220
Adiaphoristæ 590. 598. 600
Adrianus Pap. 546
Æra Alphonsina 413
Christiana 185
Æthiopes conversi 168
Aëriani 116. 121. eorum hæresis damnata 126
Aëtiani 115. seq.
Agapæ Christianorum 32
Agnoëtæ 177
Agnus DEI consecratus 456. 647
Agricola (Joh.) autor formulæ Interim 589
Alberti (Valentin.) 715. 730
Albertus Brand. Archiepisc. 536. 597
Albingenses 368. 386

Alexander Papa 348
- III. 363.367.369.372
- IV. 396.403.407
- V. 490
- VI. 515
- VII. 705. 707
Alexius Imp. 332
Alcoranus 203
Αλλοίωσις Zwinglii 555
Almaricus 390
Altaria in usum Missæ 202.630
America detecta 521
Americani conversi 643
Amsdorffius (Nic.) 569.590. 609
Amyraldus (Mos.) Calvinist. 691
Anabaptismus assertus 88
Anabaptistæ 544.553.554 568. 606.609
Anachoretarum origo 97
Anacletus II. Pap. 363
Anastasius Eutychianus 175
Anathematismi Cyrilli 152
Anathematismi Pontif. ortus 225.252
Andreæ (Jac.) 609. 617. 619. 621
Andreas R. Hung. 331
Anglia vectigalis Papæ 263. 344
- Virgo de Anglia 439
Anglicanæ Eccl. emendatio 588
Anglicana revolutio 732. seq.
Anglo-Saxones conversi 205
Anhaltini reformati 567
Annatæ 507. 52

Anima.

Animarum omnium festum 278
Ανόμοιοι 119
Anscharius septentrionis Apostolus 255
Anti-Christianismus pessima hæresis 389
Anti-Christus orientalis 189. 205
- occidentalis 188. 200. 297. 353. 443
Antididagma Colonienſe 578
Antipapæ 364
Antiphonorum origo 161. 228
Anti-scripturarii 711
Anti Trinitarii 603. 614. 656
Antoniani 455
Antonius de Padua 407
Antropomorphitæ 116. 121. 276
Apelles hæreticus 59
Aphthartodocetæ 176
Αποθέωσις ſ. Canonizatio Sanctorum 163
Apollinariſtæ 116. 121
Apologiæ Chriſtianorum 68
- Auguſtan. Confeſſ. 562
- Formulæ Concord. 613
Apoſtoli XII. 24. horum officium 25
Apoſtolorum doctrina 30
Apoſtolici (monachi) 184. 360
Aquarii 61
Aqua luſtralis 409
Aqui granenſis tumultus 625
Arabici hæretici 82
Arbitrium Liberum 547
- Servum 547
Archi-Diaconi 130

Archiepiscoporum origo 129. 252
Archiepiscopatus Gnesensis 295
Ariani 115. 118. 218
- eorum patroni 175
Arma in templis suspensa 280
Armeni conversi 168
Arminius (Jac.) 658. hujus doctrina rejecta 672
Arminiani 659. 662. 668. 671. 675
Arnaldistæ 358. 367
Arnoldus de Villa 358
Arnulphus Presbyter 369
Ascetæ 135
Athanasii Symbolum 114
Atheismus Christianis objectus 53
- Friderico II. Imp. falso impingitur 403
Attila Hunnorum R. flagellum DEI 164
Audæani 116. 120
Aug. Confessio defensa 684
- Ejusd. Haupt-Vertheidigung 685
Augustani 565
Augusta Vindelicorum pressa 687
Augustinus de Roma 497
Augustus El. Sax. 595. 615. 619
Augustus Administrator. Magdeb. 685
Aurea bulla 459
Aurea legenda 262
Austriaci libertatem religionis petunt 596. 670
Averroës & Avicenna Philosoph. 372
Azyma 274

B.

Badenæ de religione disputatum 553
Bajazethis crudelitas in Christianos 456
Balduinus Rex Hieros. 366.444
Balduinus Comes Constantinopolin occupat 411
Baptismi institutio 31
- Administratio laicis interdicta 650
- Ritus 67
- Controversia 80.81.86.220.310.326. 357.358.360.434.613
Baptizatorum lapsus 222
Barbæ rasio in Clericis R. reprehensa 309
Barbaries 168.415
Barclajus (Robert.) Quackerorum defensor 707
Barlaami contentio 432
Bernefeldius capite plexus 673
Barretus (Jo. Nonius) 598
Bartholomæi Janovezii hæresis 440
Basilides 55
Batavorum in religione dissensus 659
Bebelius, Balthas. 710
Beguardi (Beguinæ) 395 444
Belgæ adflicti 618
Bellarminus 613. ejus liber in Barclajum damnatus 661
Bellum Hussiticum 442
- Rusticanum 549
- Helveticum 566
- Smalcaldicum 586
- Germanicum tricennale 676 679

Benedictini Monachi 184
Benedictus V. Pap. 288
- IX. 446
- XII. 448
- XIII. 451 510
Berengarius 308. 312
Bernhardus (Mellifluus) 349
Bernhardus Politianus 458
Bertholdus Hallerus 553
Beryllus 82
Bibliorum versio vulgata, emendata per Alcuinum 229
- per Castalionem 604
- per Sixtum & Clementem Pap. 620. 635
- versio Germ. 256. 431
Biblia Tigurina 605
Bibliotheca Heidelbergensis translata Romam 677. 679
Blandrata Arianus 614
Bockelius (Jo.) fanaticus 569
Bodebratius R. Bohem. 500
Bodenstein (Andr.) fanaticus 544
Bodo ex Christiano Judæus factus 260
Boetii (Henr.) error 656
Bœhmius (Jacobus) 652. 663
Bogermannus Præses Synodi Dordrac. 672
Bogomili hæretici 355
Bohemi pressi 568. Eorund. libertas in religione 615
- motus 673. 675
Boleslaus Rex Polon. 404

Bonorum operum necessitas 598. 608
Bonifacius III. Episc. œcumenicus appellatus 199
Bonifacii VIII. vitia 394. 404. 412. 446. 458
- IX. 452. 455
Borgias 515
Brentius Theologus 556. 569
Brigida Scotá 185
Brigitta Sancta 455
Brodericus 495
Brownistæ 693
Brunsviga reformata 569
Bucerus insignis Theologus 553. 556. 571. 578
Bugenhagius Lutheri paraphrasta 554. 557. 569
Bulgari & Rusi religione Christiana imbuti 255
Burgundiones Christiani facti 138
Buscherus (Statius) 695

C.

Cadaverum Sanct. translatio 279
Cœciliæ B. corpus 629
Cajani (Cainiani s. Cajanistæ) 57
Calendarium novum 611. 615. 617.
Calix toxicatus 458
Calices in parietibus picti 495
Caliphatus duplex 231. 324
Calixtini 492. 495.
Calixtus II. P. 362. 367
- III. 512
Calixti (Georg.) Confutatio Methodi Novæ Veronii 699
- controversiæ 703

- antagoniſtæ 703
Calvinus 155. 566. 567. 591. 605.
Calviniani 591. 602. 610
Canones Apoſtolici 748
Canonizatio Sanctor. 263. 328. 366. 456. 585
Cantandi mos: ut, re, mi, fa &c. 332
Capito Theologus 552. 571
Capitula Tria controverſa olim 179. ſeq.
Caraffa (Carol.) in Proteſtant. iniquus 678
Cardinales 227. 363. 408
Eorundem diſſenſus circa electionem Papæ 653
Carmelitæ 365
Caroli M. cura religionis 213
Carolus V. Imp. 543. 551. 598
Carolus Andegavenſ. 404
Carolus V. Rex Gall. 431
- VI. 452
- VIII. 508
Carolus (Dux Borb.) 552
Carolus Marchio Bad. 597
Carolus Rex Suec. 625
Carolus II. Rex Angl. 732
Carpzovii (Sam. Bened.) Examen Praxeos novæ Maſenii 709
Carteſius (Ren.) 714
Carteſianiſmus ib.
Carthuſiani 328
Caſſander 605
Ejusd. Conſultationes 605
Catechiſmus Lutheri Minor 556
- Novus 610

Catechisatio Gersonis 464
Catechismus Romanus 634
- Heidelberg. 672
- Socinianus 656
Catechumeni veteres 91
Catharina Senens. 451
- a Bore Lutheri uxor 550
Catholicorum Liga 676
Cecus Asculanus 434
Cellarius (Mart.) Anabaptista 544
Cerdo vel Cerdon hæreticus 58
Ceremoniæ olim in Eccles. paucæ 31
Ceremoniale novum eligendi Papam 677
Cerinthus (hæret.) 34. 44
Chaisius Jesuita 723
Chazinzarii 196
Chemnitii (Mart.) Examen Concil. Trident. 603. 612
- Ejus oratio de Patribus 741
Chiliasmus 34. 35
Chorepiscopi 130
Chosroës in Christianos sævit 202
Christi nativitas 22. pueritia 23. adolescentia 23. ætas virilis 24. ministerium 24. Apostoli 34. Deitas 118. 619. Status exinanitionis controversus 679
Christianissimi titulus R. Gall. confirmatus 403
Christinæ Reginæ Suec. apostasia 705
Christophorus Columbus 521
Chytræus (David) Theologus insignis 612
Circumcelliones 118. 393
Cistertienses monachi 328

Cle-

Clemens II. Pap. 324
- III. 310 316. 364
- IV. 404
- V. 387. 395. 408. 445. 454. 458.
- VI. 449. 455
- VII. 451. 551. 633
- VIII. 635. 647. 653
- X. 719
Clementinæ Constitutiones 447
Clementia Theodosii in Antiochenos rebelles 136
Clerus subjectus magistratui civili 662
Clerici 306. 454. 517
Clerici a Laicis distincti 527
Clivia reformata 569
Cocceji (Joh.) doctrina 714. 715
Coccejanismus ib.
Cœlestinus III. 364
- V. 408
Cœlibatus clericorum 200. seq. 274. 288. 294. 310. 314. 353. 367
Cœna Domini 554. 571
Cœnæ s. perceptio trina 650
Colinius Amiral. 611
Colloquium Marburgense 548. 556
- Spirense 575
- VVormatiense 575
- Ratisbon. 575. 648
- Possiacense 601
- Maulbrunense 604
- Altenburgense 608

Col-

Colloquium Serveſtinum 609
- Franckenthal. 609
- Quedlinburg. 617
- Mompelgard. 619
- Badenenſe 621
- Neoburgic. 668
- Emending. 621
- Charitativum Thorunenſe 697
- Rheinfelſenſe 704
- Caſſelan. 709
Collyridiani hæretici 123
Colonia Agripp. reformationem reſpuit 578
Cometa terribilis viſus 261. 674
Comitia VVormatienſia 543
- Spirenſia 551. 555. 579
- Norimberg. 577
- Ratisbon. 580. 627
- Auguſtan. 559. 587. 592
- Arbogienſia 630
- Pariſienſia general. 667
Commendonus (Franciſc.) Legatus Papæ 600
Communio ſub una 387
- ſub utraque 595. 602
Compaternitas 276
Competentes in Eccleſ. 91
Conceptio Mariæ Deip. 485
- immaculata 695. 678
Concilia quid? 37. 125
- Nicænum I. 125
- Conſtantinopolitanum I. 125

Con-

Concilium Elibertinum I. 127
- Arelatense I. 227
- Sirmiense 127
- Ephesinum 157
- Chalcedonense 157. seq.
- Constantinopolit. II. 179
- - III. 199
- Toletanum 198. seq.
- Francofurtens. 223
- Constantinopolitana tria 247
- Sacrilegum 250
- Pisanum 529
- Lateranense 530
- Mantuanum 572
- Tridentinum 576.581.587.592.600.602. 632.633.639
- - finitum 602
- ej. Decreta 609.606
Concilium generale supra Pap. 725
Concionum ex suggestu origo 161
Conclave Pontif. 404
Concordia circa sacra 721
- Protestant. inter & Pontificios tentata 709
Concordantiarum Bibl. autor 378
Confessio Augustana 559.600.615
- Confutata 561
- Defensa 562
- A. versa in linguas alias 563
- Augustana & Anti-August. 730

Con-

Confessio Belgica 672
- IV. Civitatum 593
- Bohemica 627
Confessio peccatorum publ. sub Leone I. in privatam mutata 161
- Auricularis 399.400.409.499
Confessores olim, qui? 70
Conformitatum liber pessimus 408
Conformistæ & Non-Conformistæ 593
Congressus nocturni 277.311
Conjuratio pulveraria 654
Conradinus Papæ suasu interfectus 404
Conradus III. Imp. 367
Conradus Collinus 550
Consecrationes aquarum 279. 409
- Campanarum 281.316.455
Consistoria 636
Constantinus M. Christianus factus 98.135
- Baptismus ejus fabulosus 136
Constantinopolis a Turcis capta 462.520. 521
Continentiæ donum rarum 256
Contra-Remonstrantes 659
Conventus Flensburg. 557
- Lipsiensis 688.689
- Naumburgens. 600
- Torgavien. 610
- Pragensis 673
Copronymus Imp. Iconoclastes 215
Coraldus Parisiis Evangelium profitetur 570
Cornerus (Christoph.) theolog. Luth. 612

Coton Jesuita 661
Coska (Stenisl.) canonizatus 678
Cracovius (Georg.) carceri mancipatus 610
Cracoviæ tumultus 623
Crellius (Cancellarius) Crypto-Calvin. 604
628
Crucis signum 66. 92. 132. 357
- Ceremonia in baptismo 640
- Chr. cultus 174. 202
Cruciger (Casp.) Exegeseos Lipsi autor 610
Cruciata expeditio 301. 334. 371. 401. 404
410
Crypto-Calviniani 623
Cultus sanctorum 174
Cyrilli Patriarchæ Epistola ad Uytenbog. 664
- Lucaris confessio Christianæ fidei 680

D.

Damasus II. Papa 324
Dania fidem Christ. recepit 255. 550
Dannhaueri liber (Reformirtes Salve) 706. 710
Decreta Pontif. prælata S. Scripturæ 212
Delphinus (Zach.) Legatus 600
Denarius Petri 264
DEUS bonus & malus fictus 33
Diaconi ævo Apostolico quales? 40. 65. 89
Diaconissæ 65
Dictatus Hildebrandi 320
Dionysius Soulechat hæreticis accensetur 440
Dionysii Martyris manus &c. 280
Dionysius Abbas æram Christianam ordinavit
185

Diotrephes 37
Diptycha 309
Disciplina Eccl. olim severa 90
- - collapsa 255
- - corrupta 282.325.364.397.516
- - reparata 636
Docetæ 60
Dominicani 365.406
- Calviniſmi accuſantur 651
eorund. cum Franciſcanis controverſiæ 666
Donatiſtæ 115.117 ſeq.
Donawerda proſcripta 656
Dreierus (Regiomont.) Syncretiſta 703
Dresdenſis Conſenſus 610
Dubitatio de omnibus Carteſ. 714
Dunſtanus Ep. ſuperſtitioſus 277.294
Duræi (Joh.) Prodromus Irenicor. 709

E.

Eberus (Paul.) Synergiſta 608
Ebion hæreticus 35
Eccii clamoribus Oecolampadius obrutus 553
Eccleſiaſtici Scriptores pure hiſtorici 13
- - Apologetici 14
- - Dogmatici 15
Eccleſiæ incrementa ſub perſecutionibus 97
- Nova facies 98
- Conſtitutiones 637
Eccleſia locis certis non alligata 206
Eccleſiæ Gr. diſſenſus 488
Eccleſia & concilium ſupra Papam 506
Eccleſiæ Rom. vitia 397

Eckardus Monachus hæreticus 435
Edictum Cæsaris contra Protestantes 563
- Ferdinand. II. ferale de restit. bonis Eccl. 686.688
Edictum Nannetricum 631
Eduardus VI. R. Angl. 595
Eduardi (Baron.) liber de religione gentilium 711
Elcesæi (Helcesaitæ) 82
Electio ad vitam ætern. universalis Hubern. 625
Electorum VII Origo fabulosa 290
Elisabetha Regina Angl. Reformatam propagat religionem 599. 606. 622. 649
Emserus (Hieron.) iniquus in Lutherum 550
Ephesina Synodus λησξικὴ 153
Epicureismus 499 528
Episcopi Sedi R. juramento fidelitatis obligati 224.362
Episcopi 40. 64. horum electio & munus 65. & 89
Episcopius (Simon) os Remonstrant. 672
Epistola cœlo delapsa 413
Epulæ Thyesteæ 53
Erasmus (Roter.) N. Testam. vertit 538.546
- Ejusdem liber de amicabil. Eccl. Concord. 369
Eremitarum origo 97
Ericus IV. R. Dan. Hierosolymam petit precandi causa 327
Ernestus Dux Lun. Reformationem suscipit 566
Ernestus Frid. Bad. March. Romano-Catholicos eliminat 648
Eucharistia 245. 278. 308. 309. 311. 352. 356. 357. 358. 361. 364. 397. 492. 483. 502. 515. 548. 554. seq. Eucha-

Eucharistiæ ritus 67.274
Eudo de Stella præstigiator 360
Eudoxia Augusta (erudita) 265
Eugenius III. Papa 360. 365
- IV. 510
Eunomiani 116. 120
Euphemitæ 122
Europæ nova facies 641
Eustochium fœmina erudita 165
Eutychiani 152. 175. eorum error damnatus 153
Evangelici 627
Eorum unio 660.664.676
Evangelium ab Apostol. ubique prædicatum. 25
- Æternum
- Novum 351.388
Evangelii veri propagatio 547
- Impedimenta 547
Εὐχῆται 122
Excommunicatio piscium 631
Excommunicatio 225.252.325.366.397.401. 403.404.458.530.606.616.623.626
Exegesis Lipsi 610
Exorcismus in baptismo 624.630

F.

Faber Pontificius 553
Fabricii (Jac.) liber de visionibus divinis 697
Fames dira per German. 262
Fanatici 544
Farellius Genevæ reformationem aggreditur 568
Fechtius Argentor. Th. 571

Feli-

Felicisſimus (Schiſmat.) 86
Felix & Elipandus 217. Error eorum damnatus 223
Felix V. P. 506. 511
Ferdinandi II. Imp. zelus in religione Romano-Cathol. 670. 675. 682
Ferdinandi II. Imp. Edictum in Bohem. 683
- - de reſtit. B. E. 686
Ferdinandus Catholic. 529
Ferdinandus R. Bohemos perſequitur 568
- Imperator 598. 605
Feſtum aſcenſionis Chriſti inſtitutum 92
- Nativitatis 131
- Corporis Chriſti 387. 408. 454
- Mariæ 408
- Clavorum & coronæ Chriſti 455
- Viſitationis Mariæ 455. 506
- de ſacris ſtigmatibus S. Franciſci 456
- Præſentationis & Conceptionis Mariæ 514
- Annæ 514
- Joſephi 514
- Franciſci 514
Feuerbornii Κενωτιγραφία 680
Fideles ſ. Chriſtiani fiebant per gradus 91
Fides an hæreticis ſervanda 502
Finlandi converſi 336. 371
Fiſtulatores 503
Flacius (Matth.) formulæ interim hoſtis acerrimus 590. 601. 619
Flaciani 601
Flagellantes 328. 392

Fœdus Sanctum 574
Folmarus hæreticis accenſetur 361
Forerus (Laurent.) Jeſuita 684
Formula Concordiæ 612
Ejusdem oppugnatores 613
Defenſores 613
Foſſarii hæretici 500
Foxius (Georg.) Quackerorum autor 706
FranciſcusDavidis hæret. 614
Franci converſi 138
Franciſcus R. Gall. 551.557.570.572
Franciſcus Aſſiſius 406
Franconici Regni finis in Oriente 411
Fratricelli 393.444
Fratres Bohemi 500
Fridericus Barbaroſſa 363.364.367.368
- II. Imp. 400.403
- Auſtriacus Anti-Cæſar 447
- Sapiens Elect. Sax. munus aureæ roſæ accipit 541
- R. Daniæ religionem Luther. recipit 550
- Joach. Adminiſtr. Magd. 607
- III. Elect. Palat. moritur 611
- V. Elect. Palat. autor Unionis Evangelicorum 660
- Rex Bohemorum 675. ſeq. Proſcriptus 676
Fronsbergius Romam capit 552
Fullo, Epiſc. (Theopaſchita) 154
Funera cum pompa elata 162

G.

Galliam Calvinus reformat 567
Gallus (Nic.) Formulam Interim oppugnat 590
Gallicani Cleri definitiones contra R. Eccl. 524
Gallicana persecutio 723. seq.
Geneva reformata 568
Genovefa Paris. Francor. Patrona 185
Georgius Dux Sax. defensor Pontific. 541. 547. 554. 567. 577
- Dux Anhalt. pius & eruditus 567
Germaniæ prædicatum Evang. 206
- ejus turbator Pontifex 333
Gerson (Joh.) hæret. annumeratur 498
Gibellini 446
Giessensium & Tubing. controversiæ 679
Gilbertus Porretanus scholast. 348. 359
Gnostici hæretici 53. 60
Godeschalcus absoluti decreti autor 244
Gomarus (Francisc.) 659. 700
Gomaristæ 662
Gonsalvus (Mart.) fanaticus 439
Gormo Rex Dan. Evangelicos persequitur 290
Gothi Christianos adflixerunt 164
Graduum Ecclesiast. ordo 89
Græcæ Eccl. cum Lat. unio 507. 521
- dissensus a Rom. 309 431
Grandimontenses monachi 328
Granvellanus Legatus Imp. 575
Gratia Dei universalis 661
- Conversionis 706

Gratiani decretum 371
Gravamina adversus Pontif. R. 512.529.546
Gregoriani Monachi 184
Gregorius Ceremoniarum Pater 184
Gregorius V. Septemviros non instituit 290
- VII. (Hildebr.) dominatum Papal. stabilivit 301
- bella inter Principes excitat 330
- Henr. IV. excommunicat 332
- X. P. 401.404
- XI. P. 407. 408.451
- XII. P. 451.510
- XIII. P. 610.615.619.634
- XIV. P. Henr. IV. R. Gall. excommunicat 635
- XV. P. 677.679
Gretserus (Jesuita) 468
Grotius ad carcerem damnatus 673
Grynæus (Joh. Jac.) Calvinista 617
Gustavus (Adolph.) R. Suec. Evangelic. defensor 550. 690
Guilielmi de S. Amore liber de periculis novissimorum temp. 396
Guilielmus de Hilderniſſen fanaticus 446
Guimenius (Amad.) Probabilismi autor 712
Guisii 617.620

H.

Hadrianus P. 547.633
Hæreticorum pœna non capitalis 554

Hæteriæ Christianorum 67
Hamburgum direptum 330
- reformatum 554
Harwigi R. Norman. crudelitas in Presbyteros Angl. 331
Hasfia reformata 552
Hatto (Archiep. Mogunt.) a muribus devoratus 294
Heerbrandi Compend. theolog. 614
Hegira Muhammedanorum 205
Heidanus (Abrah.) Carteſianus 715
Heidelberga expugnata 677
Helceſaitæ (hæret.) 82
Helmſtadienſis Academia 611
Helmſtadienſes Theol. 616
Helvetiorum inter ſe diſſenſus 690
Henneberga reformata 578
Henoticum 154. (Zenonis) 158
Henricus (Pius Sax.) Lipſiæ reformat 574
- III. Rex Gall. cultro petitus 621
- IV. Rex Gall. Catholicus factus 626. 635. 626. 661
- II. R. Angl. virgis cæſus 459
- (monachus) fanaticus 357
- IV. Synodos egit 314. 315
- excommunicatur 317. 319
- IV. a Papa ludibrio habitus 364
- Rex Angl. vaſallus Papæ 403
- VII. Imp. nefarie occiſus 458
- VIII. R. Angl. antagoniſta Lutheri 546. 549. 550. 565. 570. 572

Hermogenes 37
Hermogeniani 53.62
Herodiani 9
Heruli & Hunni Christianos infestantes 164
Hesychastæ (monachi) 432.441
Hiberni ad fidem conversi 138
Hieracitæ (hæret.) 85
Hierosolymæ excidium 42
Hieronymus Pragensis 489.502.518
Hildebrandus P. 307
Hildebrandina secta 313
Hülteni (Jo.) monachi prophetia 531
Historiæ Eccl. descriptio 1
- utilis 10
- Curiosæ 11
- Fabulosæ 11
- Universalis 12
- Particularis 12
- Singularis 13
- Tractandæ ordo 18
Hobbesius (Th.) 711
Holosphyrus Muhammedis DEUS 372
Homiliarii 431
Homines Intelligentiæ 496
Homoritæ conversi 168
Honorius Papa hæresis damnatus 197
- III. P. VII. Cardinal instituit 363
- IV. (III.) P. jus Canon. auget 403 604
Horæ canonicæ 193
Hospitalarii (monachi) 365
Hospitalarii (monachi) 328

Hostia consecrata adoratur 387
- venenata 458
Hotton (Gotthofr.) Tractatus 700 seq.
Huberi (Sam.) error 625
Hugonis de S. Victore liber 354
Hugonotti 601. 611. 619. 621. 628. 631
Eorum πανολεθρία tentata 685. 723. 727. 728
Hund tragen 294
Hungari conversi 232
Eorum clades 291. 293. 333
Hungerus Jesuita 648
Hussus (Joh.) Papatum impugnat 489
crematus 502 518
Hutteni Equ. Fr. 543
Hymenæus 37
Hypatia Philosopha 265

J.

Jacobitæ hæretici 153. 178. 218
Jacobus Misnensis, testis veritatis 496
- V. R. Scot. supremum Eccl. Angl. caput 570
- II. R. Angl. Pontificius 732. seq.
- VI. 649
Jansenius (Corn.) 694
Jansenistæ 696. 707. 713
Japanenses Pontif. R. subjici nolunt 618
- adfliguntur 678
Iconolatræ 214. 242
Iconomachi s. Iconoclastæ 216. 606
Idola Saxonum 229
Idololatria 486

Jejunii Quadrages. origo 161
Jejunium Sabbati 274
Jenensis Academiæ origo 591. Jen. Theol. 610
Jesuitissæ 680
Jesuitæ Pelagianismi accusantur 651
- facultatem scholarum in Gall. impetrant 669
Jesuitarum autor 585. secta horum a Papa confirmatur 597. turbas excitat 623. eorum proscriptio 628. 662. molimina 723
Ignatius de Lojola, Jesuit. autor 585
Imagines in templis collocatæ 132
- harum cultus controvertitur 214, 212, 353
- usus 630
- subversio in Oriente 222
Imago Christi ἀχειροποίητος 294
Independentium secta 693
In dulci Jubilo (Cantio) 496
Indulgentiæ Papales 353. 397. 412. 452. 535. 917
Innocentiæ probandæ modus per ferrum candens 263
- - per usum Cœnæ S. 279
Innocentius II. P. 358. 363. 367
- III. P. 364. 387. 389. 398
- IV. P. 400. 403
- VI. P. 450. 455
- VIII. P. 514
- IX. P. 635
- X. P. 696. 701
- XI. P. 719
Inquisitio Pontif. & Hispan. 406. 411. 588. 521. 633. 606

Insignia imperii 293
Interim Augustanum 580
- Lipsiense 590
Interregnum magnum 404. 410
Investitura per annulum & bacul. 367
Joachimus El. Brand. Luthero infensus 554
Joculatores 503
Johannis de Regusio error 494
Johannes de Mercuria (hæret.) 436
Johannes Evangelista in Pathmum relegatus 174
Johanna IIX. Papissa 254
Johannes XXI. P. 430. 431. 447
- XXII. P. 430. 435. 443
- XXIII. P. 451. 510
- Medicæus Papa factus 538
Johannitæ (equites) 365
Joh. Dux Cliviæ Evangelicam doctrin. recipit 569
Johannes Frid. El. Sax. infelix 568. 586
Joviani (Jovinianistæ) 122
Irenicum Parei 666
Irmensula & Crodo (Idola) 229
Isidori corporis translatio 328
Jubileum institutum 405. 412
- in 50. annum reductum 449. 452
- ad 25. annum contractum 514
- Lutheranorum 645
- Reformatorum 670
Judæi 53
- Eorum fata in Babylone 333
- receptio in Hispan. ib.

Judæi, eorum strages in German. 459
- Multi in Gallia conversi 186
- Eorum ex Gallia ejectio 412
Judæus immortalis & vagabundus 412
Juliana (virgo) 387
Julianus Apostata gentilismum reducere tentat 99
- Christianos persequitur 134
Julius II. Papa 517.528.529
- III. P. 591.633
- Dux Brunsuic. A Confess. recipit 607
Jurisprudentiæ studium excitatum 460
Jus Canonicum 316.374.403.634
Jus circa Episcopos investiendos 224.226.253 285
Jus circa sacra defendit Arcadius, Honorius, Theodosius &c. 129. Carolus M. 226. & alii 252. seq.
Jus a Papa Imperatori extortum 324.367
Jus Pontif. R. in Reges nullum 724
Justiniani Imp. Constitut. Eccl. 183.186

K.

Karræi 9
Keddus (Jodoc.) Jesuit. 704
Keithus (Georg.) Quackerorum defensor 707
Kirchen-Ordnungen 637
Knipperus Dollingius, fanaticus 569
Kuhlmannus (Quirinus) fanaticus 722
Kunigundæ S. virginitas in matrimonio &c. 333
Κυνοφορία 293
Κύριε ἐλέησον 277

L.

Labadie (Jo.) ex Jesuit. Reformatus 716
- Ej. Sectatores 717
Laici eruditos converunt 136
Lancea sacra 280.293
Lanfrancus (Transubst.) 308. Theolog. Scholast. parens 348
Lapsi quinam? 69. recepti 87
Latino sermone sacra in Eccl. R. fiunt 201
Latinaliter loqui 509
Legendæ aureæ 262
Legio fulminatrix 72
Leo I. universalis Episc. 160
- IX. P. 308.309.314
Leucorus (Gerard.) Canonizatus 428
Leuchterus (Henr.) Lutheranus 653
Libellatici 69
Liberum arbitrium 148.601.608
Librorum crematio 634
Liga Sancta 617.620.626
- Catholica 661
Linguæ Ebraic. studium 459
Lipsienses Crypto-Calv. 602
Lipsiense fœdus 688
- prælium 690
Lisoius (hæret.) 311
Litania septem formis instituta cur? 185
Litaniæ 162
Literarum studia resuscitata 462.521

Literæ Synodicæ 130
- Communicatoriæ ib.
- Canonicæ ib.
- Formatæ ib.
- Encyclicæ R. Gall. 727
- Majestaticæ 658. 670
Lithuani conversi 459
Liturgia (Guil. Laudi) 692
Livones conversi 336. 372
Locustæ 232. 263
Lojola (Ignat.) canonizatus 677
Lolhardi hæretici 433
Longobardorum ingressus in Ital. 186
- furor 204
- exitus 237
Lotharii Cæs. ignominiosa pictura 363
Lovanienses antagonistæ Lutheri 580. 591
Lubecenses 365
Lucanus (hæreticus) 59
Lucidus Presbyter Prædestinatianus 155
Lucifer ad inferos detrusus 392
Luciferiani (schismatici) 124
Lucretia notha Alexandri VI. 515
Ludovicus Pius Imper. depositus 259
- Bavarus Imp. excommunic. 447. 449. 457
- Elect. Palat. Lutheranus 611. 616
- Senior R. Gall. Synodum adversus Abelard. indicit 368
- XIV. R. Gall. Hugonottos extinguit 723

Luneburgum reformatur 566
Lutherus (Mart.) Reformationem aggreditur 525
535.545.553.567.571.573 637
- Excommunicatus a Pontif. 543.632
- Proscriptus a Cæsare 544
Ejusd. nuptiæ 549
- Mors 581
- Libri 584
Lutherani adflicti 597
- a jugo Pontif. liberi 635
- calumniis petuntur 730.684
Eorum dissensus a Reform. 652
Lutheranæ & Gr. Relig. differentia 697
- Eccl. veritas 704

M.

Macedoniani 120.115
Magdeburgum expugnatum 689
Magdeburgenses 592
Majoristæ 609
Malchitæ 153
Mamaluchi 410
Manfredus R. Sicil. excommunicatus 403.sq.
Manichæi hæretici 85.117.218.276
Marcellus II. P. 633
Marchionatuum in German. origo 293
Marci S. corpus Venetias translatum 264
Mariæ Festum Purificat. & Annunciat. 174
Marcion hæret. 58
Maria Deip. sine peccato 506
Mariani (equites) 366

Marcolphus 576
Marsilius Patavinus 442
Martyriani hæret. 112
Martyrum ossa collecta 71
- dies natales 71.92
- Intercessiones 92
Martyris nomen 68
Martinus V. P. 457.503.510
Mathildis (Comitissa) 319.333.372
Materiarii 62
Mauricii miseranda cædes 205
Mauri in Christianos crudeles 259
- ex Hispan. ejecti 660
Maximinianistæ 118
Maximilianus I. Reformationem meditatus 539
Marozia (Scortum) 285
Mauritius (Dux Sax.) leges Eccl. condit 578
- Concil. Trident. rejicit 592
- occumbit 595
Melanchthon honoratur 570
- timidus 583.590
- communis Germ. Præceptor moritur 599
Meletiani hæret. 115.123
Melitonii hæret. 60
Menander hæret. 34
Mendoza (Cæsar. legat.) 577
Messaliani hæret. 117.122
Messias falsus 72
Meth (Ezech.) fanaticus 651
Metaphysica Aristot. 59

Methodus Auguſtiniana 698
Metropolitanorum origo 129
Michael Balbus hæret. 245
- Cerularius perperam hæreticis accenſetur 313
Miecislaus Dux Pol. 282
Miltitius Legatus Pontif. 541
Miniſterium S. 356
Minores monachi 396
Minoritæ 406. 430
Miraculorum donum ævo Apoſtol. frequens 44
Miſſale Romanum a Papa improbatum 707
Miſſæ pro defunctis 174
- Canone ſancitæ 193. 327. 353
Miſſionarii in Perfidem &c. 658
Miſtiwous R. Vandal. in Chriſtianos crudelis 291
Molinos (Mich.) Quietiſt. autor 73. 650
Molinæi liber Arminianos offendit 678
Monachatus merita 353
Monachi militiam ſequentes 135
- Reges 201
- Eorum opes unde? 201
- Cluniacenſes 278
- Vallisumbroſa 328
Monaſteriorum diſtinctio 258. 325
Monergitæ 177
Monarchia V. fingitur 722
Monarchiæ Papalis fundamenta 227
- ſtabilita 367. 317. 353. 462. 532

Monotheletæ 154. 177. 195. 218
- eorum hæresis damnata 197
Monophysitæ 153. 177. 194
Montanistæ 53. 61. Montenses 118
Moravi 658
Morgenröthe (Bœhmii) 663
Muhammed. 189. 203. 372
Münzerus (Th.) Anabaptista 544
Musæus (Joh.) 704
- refutat Naturalismum 711
- lib. ejus de Eccl. vera & falsa 717
Mutationes Regnorum 333
Milius Superintend. Augustan. ejicitur 617
Mysticus sensus Scripturæ 255
Mystica theologia 358. 466

N.

Nanneticum edictum confirmatum 678. & abolitum 727
Naturalistæ 711
Naylor (Jac.) Quackerus 707
Nepotiani hæret. 86
Nepotes Papæ ditati 706
Nestoriani 151. error in Synod. Eph. damnatus 152
Neuserus ex Calviniano Arianus 609
Nicolai (Henr.) errores 614
Nicolaitæ hæret. (Nicolajani) 36
Nicolaus I. P. dominatum affectat 252
- V. Papa 512
Nicolaus de Ultricuria (hæret.) 437
- Calaber (fanat.) 439

Noëtius, Noëtiani 83
Nominales 417. 429
Norberta S. ossa Pragam translata 682
Nordlingensis clades 692
Norwegia conversa 255. 371
Novatiani 82. 86
Nudipedales 388
Nuptiæ Parisienses 618

O.

Oblationes in Eccl. 98
- pro dormientium spiritibus 162
Occam (Gu.) a quo Occamistæ 427. 429
Odeschalcus (Benedict.) Papa factus 719
Oecumenici Episcopi origo 199
Ὁμοιούσιοι 119
Operum merita 242
Orationes ad statuas in templis 221
Ordines militares 365
Orebitæ (Hussitæ) 495
Organa musica in Gallia primum nota 232
Organandi ars ex Eccl. Gr. in L. translata 228
Origenis industria singularis 96
Origenistæ 178
- horum error resuscitatus 710
- confutatus ib.
Orphani discipuli Husii & Hieron. Pr. 492
Osculum Charitatis 31
Osiandri (Andr.) errores 592
Osmanes Christianos adfligit 456
Osnabruga reformata 567

Ostorodus (Socinianus) 618
Otto I. Eccl. & Reipubl. negotia curat 267
285
- Ej. victoria ab Hungaris reportata 293
- II. Imp. Episcopos instituit 286
- III. Imp. Pontifices R. declarat 286
Otto Ratisbon. Episc. Hierosolymam precatum proficiscitur 317
Otto Henricus Palat. Augustanam Confess. recipit 597

P.

Paganorum Origo 98
Palamas 432. Palamitæ 441
Palatinatus reformatus 581.795
Palæstina recuperata a Christianis 329.371
Pallium Episcopale 362
Pamphilius Olympiæ artibus Papa 696
Pantheon in panagium conversum 202
Papa supra Principes 622. 623
Papatus triceps 451. a Satana constitutus 559
Papæ nomen olim commune 88. seq.
Papa damnatus 197. infra concilium 492.521
662
Papismus hæresis 389
Papissa Johanna 254. Papalis sedes mutata 447
Parisiensis schola a Carolo M. electa 259
Parmeniastæ 118
Pareus (David) syncret. 666
Paschalis II. P. 352.353.362
Paschatis tempus controversum 54.117
Passaviensis Transactio 594

Passionis Christi historia in templis quotannis recitata 161
Pastores 40
Pathmus Lutheri 544
Patriarchales sedes V. 159
Patriarcharum origo 129
- R. cum Constant. de primatu pugna 182
Patrimonium Petri 333
Patripassiani 62.84
Patrum nævi 52
Pauliciani 84 195.245
Paulus II. P. 513
- III. P. 571.576. 591.633
- IV. P. 597.633
- V. P. 651.653.655.669. 677
Pauperes de Lugduno 386
Pauperum Pater 377
Pax religiosa Augustana 595
- Infestata 627
Pragensis 692
Peccatores graviores excommunicati 66
Post pœnitentiam recepti 66
Peccatum originis 148. 150. an substantia? 601. 609
Pelagius hostis gratiæ 148
Pelagiani 150
Pentecostes Festum 66
Peregrinationes ad loca S. 238. 327.535
Perfidiæ punitæ exempl. 511
Persecutiones generales X.

I. Neroniana 41
II. Domitiana 42
III. Trajana 67
IV. Hadriana 68
V. 68. & 93
VI. 94
VII. 94
VIII. 95
IX. 95
X. 95
Persecutio Vandalica 163
Persecutionis modi crudelissimi 70
Persecutio mota ab Hunerico Vand. R. 184. a Theodorico ib. Arabum tres 259. Norwegorum 260. Vandalorum ib.
Persecutiones in VValdenses 369
- in Judæos 271
Turcarum in Christianos 456. 520
- in Lutheranos & Reformatos 610
- in Græcos Christianos 641
Pestis inguinaria 186
Petrarcha (Fr.) falso hæreticis accensetur 442
Petrus & Paulus martyres 42
Petri de Marca liber de concord. sacerdotii & imperii 724
Petrus Gnapheus autor Theopaschitarum 154
- Lombardus Sentent. Pater 346. 348
- de Bruis damnatus 367
- Dresdensis 496
- de Osma (hæret.) 499
Petrobrusiani 356

Pezelius (Calvinianus) 610
Peucerus Crypto-Calvin. 610
Philippiſtæ 600
Philippus Landgrav. Haſſ. defenſor proteſtantium 552. 555. 586
- II. R. Hiſp. Romano-Catholicorum defenſor 698. 606. 643
Philetus (hæret.) 37
Philippi Gall. R. Epla ad Pap. Bonif. VIII. 405. 444. 446
- Pulchri perſecutio in Judæos 412
Philoſophi converſi, errores ſuos Theolog. admiſcuerunt 52. 62
Philoſophia Ariſtot. 412
Phocas tyrannus 199
Photiniani 115. 119
Photinus Patriarch. Conſtant. 242. 248
Photinianiſmus 604
Phygellus hæret. accenſetur 37
Picardi, (Huſit.) 492
Piſcator (Joh.) Calvin. 649
Piſtorius (Joh.) apoſtata 621
Pius II. P. 513
- IV. P. 600. 605. 633
- V. P. 605. 634
Pneumatomachi 120
Polygamia 603
Polonia tributaria Papæ 334
- hujus Eccleſ. cum Romana unio 629
Pomerani converſi 336. 371

Pomerania reformata 569
Popieli R. Pol. miser interitus 261
Pœnæ canonicæ 128
Pœnitentiales gradus 90
Pontificiorum impudentia 97. 394
Pontificis R. electio olim irrita, nisi confirmata a Cæsare 186
- Potestas restringenda juxta Canones 725
- Decisiones ejus non sunt infallibiles 725
Pontifex Reges abrogare non potest 655. 662
Pontifici jus vitæ ac necis in Reges nullum 667
681
Pontificem s. Papam eligendi constitutio nova 677
Poppo Episc. 324
Porretanus (Gilb.) hæreticus 359
Prædeterminatio gratiæ &c. 651
Prædestinatio 148
Prædestinatiani 149. 155. 625
Prædicatores (monachi) 430. 406
Præmonstratenses 365
Praxeas, Praxeani 62
Preces pro sanctis 132. pro defunctis 202
- causa victoriæ 136
Presbyteriani 608. 636. 693
Primatus in Eccl. origo 129
Priscillianistæ 123
Proba Falconia 165
Prognostici 82
Propheticum donum ævi Apost. 43
Προσευχὴ 72
Pro-

Proſtibula publ. 397
Proteſtantes unde dicti 555.577
- Eorum jus circa ſacra 635
- - religio in Germ. diffuſa 669
Proteſtantium e Bohemia, Moravia, Auſtria ejectio 383
- Laniena in Hybern. 696
Pruſſi converſi 412
Pſalmi Davidis, ceu cantiones profanæ, Hugonotis interdicuntur 601
Pſeudepigrapha 27
Pſeudo-Moſes Judæus quidam 165
Pſeudo-Chriſtus 186. 599. 712
Pſeudo-Prophetæ 239. 246
Pſeudo-Pontifices 267. 284
Pſeudo-Demetrii 653
Puccius (Franciſc.) Pelagianus & Naturaliſta 625
- confutatus ib.
Puer natus in Bethlehem (cantio) 496
Pulcheria fœmina erudita 165
Pulveris pyrii inventor 460
Purgatorium 162. 193. 202. 274. 350. 409. 507. 553
Puritani 608. 622
Puritaniſmi abolitio tentata 692
Pyxis nautica 459

Q.

Quadrageſimæ 309
Quackerorum origo 706
Quido (hæreticus) 438

Quie-

Quietistæ Græci 431.441
- Latini in Italia orti 731

R.

Rathmannus (Herm.) 683
Ratramus (Bertramus) 245. 236
Ravaillac. (Fr.) Jesuita sicarius 661
Ravennatensis Eccl. Papæ se opponit 282
Reales (Scholast.) 429
Reditus monaster. 552
Reformatio religionis Sec. IIX. necessaria credita 224. 248. 251. 502. 503
Regimen Eccl. externum Constantinus sibi vindicat 128
Reghardus Bertholdus de Rorbach. (hæret.) 438
Regimen Eccles. τύπον regiminis civilis induere cœpit 159
Rhemensis ampulla 165
Reihing (Jac.) Jesuita Lutheranus factus 677
Rei literariæ incrementa 165
Reformati 613. 632. pressi 783
Reformatio in capite & membris necessaria 516. 518
- Lutheri 525. 535
Regaliæ Jus 723
- Ej. progressus 545. 547
- Impedimenta 547. 548. 551. 557
Regnum Christi novum 568
Regum autoritas in temporalibus 667. 683
Reliquiæ Sanctorum 257. 328. 353. 409. 428
Religio Papis ludus & fabula 528. 597
- cogi nescit 621

Reli-

Religio naturalis non salvifica 615. 711
Reliquiarum cultus 132
Rhedonius (Th.) crematus 511
Remonstrantes 659
Reservatum Ecclesiast. 596
Richelius (Cardinal.) Rupellam expugnat 685
Rituum Ecclesiast. delectus 637
Rivetus Antagonista Gomari 700
Robertus Norm. Princeps nudipes sepulchrum Domini veneratus 327
Rogatistæ (hæretici) 118
Rockyzanus (Calixtinorum caput) 492
Rollo Norman. dux crudelis erga Christian. 292
Roma Babylon 386
capta 552
Romanæ Eccl. litigia intestina 650
Romano-Catholici 632. pressi 730
Rosa aurea 545
Rosarii autor 407
Ruscelini (hæretici) 312
Roseæ crucis fratres (Rosen-Creutzer) 652
Eorum autor ib.
Rothius (Jo.) Fanaticus 722
Roswida (virgo) 295. Poetria
Rozelini (hæretici) 312
Rudolphus Habsp. familiæ Austriacæ fundator 413
Ruisswik (Herm.) 499
Rupella capta 685

S.

Sabatai Sevi Impostor 712

Sabbatica controversia 708
Sabelliani (hæret.) 84
Sacerdotum Conjugium 602
Sacramenta integra 273
Sacramentariæ lites 608
Sacrificati quinam? 69
Salnerius (Ant.) Genevam reformat 568
Samaritani 7
Samosateni (hæretici) 84
Samson Bernh.) impostor 542
Sanctio Pragmatica 508
Sanctorum memoriæ 212
Sanctorum cultus 148. 353
- omnium festum 263
Sandius (Christoph.) Arianus 710
Sanguis Christi controversus 487
Sanguis Christi in Augiam delatus 281
Santarelli liber damnatus 681
Saraceni Christianos premunt 200. 230. 259. 329
- Eorum progressus 231. 292
Sartor Leidens. fanaticus 569
Satanael 355
Satisfactionum necessitas 353
Saturnius (hæret.) 55
Savonarola (Hieron.) martyr 515
Saxonum conversio 232
Schismatis origo inter Eccl. Gr. & Lat. 205. 243. 265
Schisma inter ipsos Pontific. 221. 310. 332. 353. 371. 419. 501. 521

Schwenckfeldius 548. 602
Scholæ illustres 3. 579. Misenensis, Mersburgens. Portens. 579
Scholæ institutæ a Carolo M. 230. 259
Schonerus (Valent.) e suggestu deturbatur 653
Scioppii (Casp.) Classicum belli Sacri. 675
Schurmannia (Ann. Mar.) virgo docta 717
Smalcius Socinianus 628
Scotistæ 427. 430
Scribendi mos per notas 294
Selneccerus (Bezæ antagonist.) 610
Semipelagiani (Massilienses) 151
Sendomirensis Consensus 627
Separatistæ 693
Sergius Patriarcha Constant. 309
Servetus (Michael) (hæret.) 595
Sethiani (hæret.) 57
Severitæ (hæret.) 176
Sfondrati (Cœlest.) 726
Sibyllina Carmina 28
Sidonius (Mich.) 589
Sigismundus Imp. 491. 502
- Elector Brandenb. Reformatus 665
Sigwartus antagonista Parei 665
Silesii religionis exercitio libero gaudent 654
Simon (Magister) hæret. 438
Simon Magus 32. 43
Simonia 33. 276 397. 452
Sixtus V. P. 514. 609. 621. 623. 634
Slavones conversi 255
Smalcii Commentarius in c. 1. Joh. 668

Smalcaldiæ conventus 571. 575
Smalcaldiæ fœdus 793.174
Socinus (Lælius) 603.628
- (Faustus) ib.
- Assectæ 628
Sodalitas Novi amoris 633
Spanhemius Frider. 716
Spectrum diabolicum 262
Spencerus (Joh.) Gomarista 700
Spiera Fr. desperat 591
Spinola inter Protestantes & Romano-Catholicos concordiam molitus 729
Spinosa (Bened.) Atheista 718
Spirituales (hæret.) 122.427
Spiritus S. processio 274 507
Stancari (Francisc.) error 593
Stantes quinam? 69
Staurolatræ 196
Stedingi (hæret.) 390
Stellarum influxui fatalis necessitas tribuitur 433
Stephani Episc. R. ambitio 94
Stephanus scholasticus (hæret.) 316
Stiefelius (Esaias) fanaticus 651
Stigmata S. Catharinæ Senens. & Francisci controversa 488
Stiria libertate relig. gaudet 615
Storch (Nic.) fanaticus 544
Strigelius (Vict.) Synergista 601
Stubnerus (Marc.) fanaticus 544
Studium monasterium 163

Sudarium Christi 409
Sultaha (Sim.) Patriarch. 594
Suarez (Francisc.) Jesuita 667
Suecia reformatur 550
- turbatur 626 seq. 629
Suecis Evangel. prædicatum 255
Syllabici quinam? 121
Symmachi Antipapa Laurentius 155
Symbolum Apostolicum 27. 326
- Athanasianum 114
- Nicænum 117
- Pelegrini 273
Symbola œcumenica, ut IV. Evangelia habita, 308
Syncretismus 666. 700. 703
Synergismus 598. 600. 601. 608
Syngramma Suevic. 553
Synodi per literas convocatæ 88
Synodus Protest. generalis postulata 617
Synodus πενθέκτη s. quinsexta 196
- Oecumenica VII. Nicæna II. 212
- Liptinensis 214
- Aquisgranensis 248
- Meldensis 250
- Moguntina 250
- Romana (de moribus Cleri reformandis) 250
- Ticinensis 251
- Erffurdiensis 287
- Virdunensis 287
- Romana ib.

Syno-

Synodus Auguſtana 288
- apud Troſejum Sueſſionenſis 289
- Anglicana 289
- VVintonienſis 289
- Romana 290
- Conſtantinopolitana 309
- Aurelianenſis 311
- Aquisgranenſis 314
- Romana 314
- Mantuan. 314
- VVormatienſ. 315
- Romana 315
- Placent. 316
Claromont. 316
- Sueſſionenſis 368
- Papienſis 368
- Laudanenſis ib.
- Lateranenſ. IV. 387.398
- Viennenſis 387
- Lugdunenſis I. 400
- - II. 401
- Viennenſis Allobr. 443
- Piſana 501
- Conſtantienſis 502
- Senenſis 503
- Baſileenſis 504
- Florentina 507
- Avarici Biturgium 508
- Toletana 509
- Upſalienſis 625
- Dordraçena 671

Synodus Vadicenſis 649
- Londinenſis 649
- Hieroſolymitana 716

T.

Talmud Hieroſol. 96. 629
Tanchelinus (hæret.) 356
Tandemus ibid.
Tannerus (Jeſuita) 647. 648
Tartari 410
Taſtius (Herm.) Calviniſta 557
Tatiani (hæret.) 61
Tauchelinus (hæret.) 356
Taulerus theologus myſticus 442
Templa imaginibus ornata 202
Templarii 366. 443. 459
Templorum origo 131
- Conſecrationes 174. 316
- Direptio 230
- Nomina 280
Templi Hieroſolymit. everſio 135
Terræ motus 73. 187
Teſtamentum V. Speculum N. 714
Teſtamentum N. Lat. 538
- Anglice verſum 565
Teſtardus (Claud.) Calviniſta 691
Teutonici (equites) 366
Tezelius indulgentiarum nundinator 536
Thaboritæ (hæret.) 492. 494
Theoda Pſeudo-Prophetiſſa 246
Theodora (ſcortum) 285

Theodorici miser interitus 185
Theodosii M. excommunicatio 130 136
Theologia Scholastica 336.346.348.374.384. 485
- Mystica 255.385.428
Theopaschitæ hæretici 154.177
Tholosa reformata 568
Thomas Aquinas 385.387
Thomistæ 427.430
Thumii ταπεινοστιγεμφία 680
Thurificati quinam? 69
Thurunienſis Conventus 627
Tillius exercitus Ligiſtici dux 679
- Jeſuitis addictiſsimus 681
Tolerantia Eccleſiaſtica 703
Traditiones humanæ 208.212.384
Traditores in veteri Eccl. 69
Transſubſtantiationis dogma 242.336.348 387 409.428
Trapezuntinum Imperium 521
Trementes, Tremuli (Quackeri) 706
Trinitatis myſterium controverſum 695
Tubingenſes controverſiæ cum Gieſſenſ. 614. 569
Turcæ 231.332.413.415.456
Tyndallus, Anglus Lutheranus 565
Typographiæ inventio 522

U.

Ubiquitiſtarum origo 617
Uladislaus Polon. Princeps linteum S. Veronicæ attigit 681

Uladislaus Pacis amans 697
Ulmenses adflicti 365
Unno Episc. Hamburg. 291
Unio naturarum in Christo hypostatica 148
Urbanus III. P. 364
- IV. P. 387.408
- V. P. 430.450
- VI. P. 451.455
- VII. P. 635
- IIX. P. 585.679.682.689.697

V.

Valdo (Joh.) a Pap. damnatus 351
Valentiniani 53
Valentinus hæresiarcha 57
Valentinus Gentilis 607
Valesii 621
Vaninius (Jul. Cæsar f. Lucilius) atheus 674
Varnensis clades 511
Varicinia Russi & Hieronym. Prag. 519
Venationes Episcoporum 258
Venedi Christianos adfligunt 330
Veneti Excommunicati, cur? 655
Verbi divini virtus in conversione 683
Vergerius (Paul.) Pontif. Legatus 571.591
Vernantis (Jac.) propositiones 712
Veronicæ linteum 409.681
Veronii (Francisc.) methodus Nova 698. seq.
Vesperæ Siculæ 411
Victor Episc. ambitiosus 54.64
Victoria Theodosii M. per preces obtenta 136
Protestantium prope Lipsim 69

Vigilantius perperam hæresis postulatur 124
Vigiliæ 132
Vigilius 129.181.186
Visiones fæm. 425
Visitationes Eccl. Saxon. 554.624
Vitalianus P. sacra idiomate Latino fieri jubet 201
Vitus S. Saxoniæ patronus 280. seq.
Vivicomburium hæreticorum 411
Volckelius, Socinianus 628
Vorstius (Conrad) & Arianismi & Papismi suspectus 630.687
Ejus liber crematus 667
Vossii (Ger. Joh.) historia Pelagiana 673

W.

VValdenses 350 362. 369. 386. 390. 409. 457. 579. 705
VValterus, Lolhardorum seductor combustus 434
VVeigelius (Valent.) 663
VVenceslaus R. Boh. Hussum defendit 459 491
VVicletus (Joh.) 415. 427. 442. 457
VVidonis abbatis corpus 328
VVigandus (Jenens. Theol.) 610
VVildebram (Frid.) Calvin. 610
VVilhelmus Frid. dux Sax. 624. 608
VVittebergenses Crypto-Calviniani 602. 609
VVittichius (Christoph.) Cartesij defensor 715
VVolffgangus VVilhelm. Com. Palat. 665
VVurtenbergicus ducatus reformatus 569

X.

Xaverius (Francisc.) Jesuita canonizatus 677

Z.

Zanchius (Hier.) 566
Zæmannus (Georg.) religionis causa captivatur 686
Ziska dux Husitarum 446
Zwinglius 542. 553. 556. 566
Zwingliani 567. 598. 600. 602. 605

S. D. G.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866669213/phys_0860
DFG

ERUM

571. 575
793.174
603.628
ib.
628
633
716
262
700
591
Romano-Catholicos
holitus 729
718
122.427
274 507
593
69
196
390
aecessitas tribuitur
433
94
t.) 316
651
& Franciſci contro-
488
615
544
601
544
163
uda-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn866669213/phys_0861
DFG